This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600096485

600096485

DIVI THOMÆ AQUINATIS

IN

OMNES D. PAULI EPISTOLAS

COMMENTARIA.

PARISIIS,
APUD LAGNY, FRATRES,
VIA GARANCIÈRE.

DIVI THOMÆ AQUINATIS

EX ORDINE PRÆDICATORUM

DOCTORIS ANGELICI

IN OMNES

D. PAULI APOSTOLI EPISTOLAS

COMMENTARIA.

EDITIO NOVA,

SEDULO RECOGNITA ET MENDIS EXPURGATA.

TOMUS III.

LEODII,
SUMPTIBUS ET TYPIS H. DESSAIN,
CANCELL. EPISC. TYPOGRAPHI.
MDCCCLVIII.

101. b. 13.

Domino H. Dessain, Cancellariæ episcopalis typographo, libenter concedimus licentiam prelo denuo cudendi opus Doctoris Angelici cui titulus: *Divi Thomæ Aquinatis ex ordine prædicatorum, Doctoris Angelici, in omnes D. Pauli apostoli epistolas commentaria*, utpote perutile futurum Scripturæ Sacræ studiosis sive in seminariis sive pro collationibus ecclesiasticis.

Datum Leodii, 28a Decembris 1856.

H. J. JACQUEMOTTE, Vic. Gen.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

DIVI THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

SUPER I EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

PROLOGUS.

Multiplicatæ sunt aquæ, etc. (*Gen.* 7.) Hæc verba competunt materiæ hujus epistolæ. Ecclesia enim figuratur per arcam, sicut dicitur (*1 Petr.* 3.) quia sicut in arca cæteris pereuntibus paucæ animæ salvatæ sunt, ita in Ecclesia pauci, id est, soli electi salvabuntur. Per aquas autem significantur tribulationes. Primo quia aquæ impellunt irruendo sicut tribulationes. (*Matth.* 7.) *Venerunt flumina et flaverunt venti et irruerunt in domum illam.* Sed impulsu fluminum Ecclesia non movetur. Unde subdit: *et non cecedit.* Secundo aqua extinguit ignem. (*Eccl.* 30.) Ignem ardentem extinguit aqua: sic tribulationes extinguunt impetus concupiscentiarum, ne homines ad libitum eas sequantur, sed non extinguunt veram charitatem Ecclesiæ. (*Cant.* 8.) *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Tertio aquæ submergunt per inundationem. (*Thren.* 3.) *Inundaverunt aquæ super caput meum,* sed ecclesia non per has submergitur. (*Joan.* 2.) *Circumdederunt me aquæ usque ad animam meam, abyssus vallavit me, pelagus operuit caput meum, etc.* Et post: *Rursum videbo templum sanctum tuum, etc.* Non ergo deficit, sed sublevatur. Et primo per elevationem mentis ad Deum. Greg. Mala quæ nos hic premunt ad Deum nos ire compellunt. (*Oseæ* 6.) *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Secundo per spiritualem consolationem. (*Ps.* 93.) *Secundum multitudinem dolorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* (*2 Cor.* 1.) *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra.* Tertio per multiplicationem fidelium, quia tempore persecutionum

Deus multiplicavit ecclesiam. (*Exod.* 1.) *Quantoque magis opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur et crescebant.* Sic ergo convenit huic epistolæ: quia isti multas tribulationes passi, steterunt fortes. Videamus ergo textum.

CAPUT I.

Dicit se laboris Thessalonicensium memorem, gaudetque eorum fidem per omnes vagari ecclesias.

1. *Paulus et Silvanus et Timotheus ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro et Domino Jesu Christo.*
2. *Gratia vobis et pax. Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis: memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione.*
3. *Memores operis fidei vestræ et laboris et charitatis et sustinentiæ spei Domini nostri Jesu Christi ante Deum et patrem nostrum.*
4. *Scientes fratres dilecti a Deo electionem vestram.*
5. *Quia evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantum, sed et in virtute, et in Spiritu Sancto, et in plenitudine multa, sicut scitis quales fuerimus in vobis propter vos.*
6. *Et vos imitatores nostri facti estis, et Domini excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus Sancti.*
7. *Ita ut facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia et in Achaia.*
8. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini; non solum in Macedonia et in Achaia, sed in omni loco, fides vestra, quæ est ad Deum, perfecta est, ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui.*
9. *Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulachris, servire Deo vivo et vero.*
10. *Et expectare filium ejus de cœlis (quem suscitavit ex mortuis) Jesum qui eripuit nos ab ira ventura.*

Apostolus vult munire hic ecclesiam contra tribulationes: et primo contra tribulationes præsentes. Et hoc in prima epistola. Secundo contra futuras tempore Antichristi, et hoc in secunda. Prima dividitur in salutationem et epistolarem narrationem, ibi: *Gratias agimus.* Item primo tangit personas salutantes. Secundo ecclesiam salutatam. Tertio bona optata. Notandum est autem, quod quia ubi non delinquimus omnes pares sumus, ideo quia istis bonis scribit, non facit mentionem de officio suo, sed solum de nomine humilitatis, quod est Paulus. (*Sap.* 7.) *Et innumerabilis honestas per manus illius.* Et adjungit duos, qui eis prædicaverunt cum eo, sc. Silvanum, qui est Sylas, et Timotheum, quem circumcidit, ut dicitur (*Act.* 16.) Salutat autem ecclesiam, quæ est congregatio fidelium. Et hoc *In Deo patre et Domino nostro Jesu Christo*, id est, in fide trinitatis, et divinitatis et humanitatis Christi, quia in horum cognitione erit nostra beatitudo. Tangit autem personam patris et filii incarnati, in quibus intelligitur Spiritus Sanctus, qui est nexus amborum. Bona optata sunt gratia, quæ est principium omnium bonorum. (1 *Cor.* 15.) *Gratia Dei sum id quod sum.* Et pax quæ est finis, quia tunc est

pax, quando appetitus totaliter pacatur.

Deinde cum dicit : *Gratias agimus*, incipit epistolaris narratio, et primo commendat eos de præterita perseverantia. Secundo monet eos ad bene agendum in futurum, 4 cap. ibi : *De cætero*. Item primo agit gratias universaliter de bonis eorum. Secundo ea commemorat in speciali, ibi : *Scientes fratres, etc.* Circa primum duo facit, quia primo ponit gratiarum actionem. Secundo ejus materiam, ibi : *Memores*. Item primo pro eis gratias agit. Secundo pro eis orat, ibi : *Memoriam vestri*. Quantum ergo ad primum dicit tria, quæ debent esse in gratiarum actione. Primo quod sit ordinata, sc. ad Deum. Ideo dicit : *Gratias agamus Deo.* (*Ps.* 83.) *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* (*Jac.* 1.) *Omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum est descendens a patre luminum.* Item assidua, quia *Semper*. Item universalis, ibi : *Pro omnibus vobis.* (*Infra* 5.) *In omnibus gratias agite.* Deinde orat pro eis, dicens : *Memoriam vestri faciens, etc.* quasi dicat : Quandocumque oro, habeo vos in memoria. (*Rom.* 1.) *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.*

Deinde cum dicit : *Memores operis*, ponit bona de quibus agit gratias, sc. fidem, spem, et charitatem. (1 *Cor.* 13.) *Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria hæc, etc.* Fidem præmittit, quia est substantia sperandarum rerum, etc. Accedentem enim ad Deum oportet credere, etc. (*Hebr.* 11.) Hæc autem non est sufficiens nisi habeat operationem et laborem. Et ideo dicit : *Operis fidei vestræ et laboris.* (*Jac.* 2.) *Fides sine operibus mortua est.* Item quia qui laborando propter Christum deficit, nihil valet. (*Luc.* 8.) *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Ideo dicit : *Operis et laboris.* Quasi dicat : memores fidei vestræ operantis et laborantis. Item, charitatis, in cujus operibus abundabant. (*Infra* 4.) *Charitatem fraternitatis, etc.* Item spei quæ facit patienter sustinere adversa. (*Rom.* 12.) *Spe gaudentes, in tribulatione patientes.* Et sustinentia, quam spes facit. (*Jac.* 5.) *Patientiam Job audistis, etc.* Spei, inquam, *Domini nostri*, id est, quam habemus de Christo, vel *quam Christus dedit nobis.* (1 *Petr.* 1.) *Regeneravit nos in spem vivam, etc.* Hæc spes est, *Ante Deum*, non ante oculos hominum. (*Matth.* 6.) *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, etc.* (*Hebr.* 6.) *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam, etc.* Spes enim in veteri testamento non induxit ad Deum.

Deinde cum dicit : *Scientes fratres*, in speciali commemorat eorum bona, quos primo commendat, quod devote et prompte susceperunt prædicationem, non obstante tribulatione. Secundo quod propter tribulationem ab ea non recesserunt, in 2 capite, ibi : *Nam ipsi scitis.* Iterum prima pars dividitur in duas, quia primo ostendit qualis fuit ista prædicatio. Secundo qualiter ab eis recepta, ibi : *Et vos imitatores.* Circa primum tria facit, quia primo ostendit quid circa eos sciebat. Secundo modum prædicationis suæ, ibi : *Quia Evangelium.* Tertio quid ipsi sciebant de Apostolo, ibi : *Scientes.* Dicit ergo : *O fratres dilecti a Deo.* Non solum communiter inquantum dat esse naturæ, sed inquantum specialiter ad bona æterna estis vocati. (*Mal.* 1.) *Jacob dilexi, Esau autem odio habui, etc.* (*Deut.* 33.) *Dilexit populos, etc.* — *Electionem vestram.* Quasi dicat : Certitudinaliter cognosco vos esse electos, quia hanc electionem

non meruistis, sed a Deo estis gratuite electi. Et hoc scio, quia Deus dedit mihi magnum argumentum in prædicatione, sc. quod illi quibus loquor sunt a Deo electi, sc. quando Deus dat eis gratiam fructuose audiendi verbum eis prædicatum, vel mihi gratiam copiose prædicandi eis. Contra videtur esse quod dicitur (*Ezech.* 3.) *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, etc.* Ideo primo commemorat, quam virtuose eis prædicavit. Secundo inducit eorum testimonium, ibi: *Sicut scitis.* Virtuose quidem, quia non fuit in sublimitate sermonis, sed in virtute. (1 *Cor.* 2.) *Sermo meus et prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed ostensione spiritus et virtutis.* (1 *Cor.* 4.) Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Vel potest referri ad confirmationem prædicationis, vel ad modum prædicandi. Si ad primum sic confirmata fuit prædicatio mea vobis, non argumentis, sed virtute miraculorum. Unde dicitur (*Marc. ult.*) *Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis.* Item in datione Spiritus Sancti, unde dicit: *Et Spiritui Sancto.* (*Act.* 10.) *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum, etc.* (*Hebr.* 2.) *Contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus et Spiritus Sancti distributionibus.* — *Et in plenitudine, etc.* Et hoc addit, ne crederent se minus recepisse quam Judæi, quasi dicat: Spiritus Sanctus non est personarum acceptor, sed in ea plenitudine fuit apud vos sicut apud Judæos. (*Act.* 2.) *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, etc.* Sed si ad secundum, sic *In virtute*, id est virtuosam vitam vobis ostendens. (*Act.* 1.) *Cœpit Dominus facere et docere.* Et in Spiritu Sancto, sc. suggerente. (*Matth.* 10.) *Non estis vos qui loquimini, etc.* — *In plenitudine multa*, sc. quia instruxi vos de omnibus ad fidem necessariis. Inducit autem eorum testimonium ad hoc cum dicit: *Sicut vos scitis, etc.* id est, qualia dona et virtutes ostendimus in vobis. (2 *Cor.* 5.) *Spero autem in conscientiis vestris manifestos nos esse.*

Deinde cum dicit: *Et vos imitatores, etc.*, ostendit quomodo prædicationem suam virtuose receperunt, nec propter tribulationes recesserunt. Et primo ostendit eorum virtutem in hoc, quod alios imitati sunt. Secundo quod aliis se imitabiles præstiterunt, ibi: *Ita ut facti sitis.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit quos sunt imitati. Secundo in quibus sunt imitati, ibi: *Excipientes.* Circa primum dicit, quod imitati sunt eos quos debuerunt, sc. prælatos. Et ideo dicit: *Imitatores nostri facti, etc.* (*Phil.* 3.) *Imitatores mei estote fratres.* Sed imitati sunt non eo in quo delinquimus sicut homines, sed in quo imitamur Christum. Unde et dicitur: *Et Domini.* (1 *Cor.* 4.) *Imitatores mei estote sicut et ego Christi*, id est, in quo imitatus sum Christum, sc. in patientia tribulationis. (*Matth.* 16.) *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* (1 *Pet.* 2.) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Et ideo dicit: *In tribulatione multa cum gaudio*, id est, quamvis multa tribulatio immineret propter verbum, tamen illud accepistis cum gaudio. (*Jac.* 1.) *Omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis, etc.* (*Act.* 5.) *Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Cum gaudio, inquam, Spiritus Sancti: non alio quo-

cumque, qui est amor Dei, qui facit gaudium patientibus propter Christum, quia amant eum. (*Cant.* 8.) *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eam.*

Et sic estis imitatores nostri, quod sc. aliis estis imitabiles. Unde dicit: *Ita ut facti sitis, etc.* Circa quod tria facit, quia primo ostendit eos esse imitabiles. Secundo quomodo eorum fama divulgata est, ibi: *A vobis enim diffamatus.* Tertio quomodo ab omnibus laudabantur populis, ibi: *Ipsi enim annuntiant.* Dicit ergo: Ita perfecte nos imitati estis, *Ut sitis facti forma,* id est, exemplum vitæ, non solum in terra vestra, sed in aliis. (*Matth.* 5.) *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, etc.* Sed credentibus forma facti estis quibus fides vestra innotuit. Ad quod bonitas vestra accessit. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini,* id est, prædicandi Dominum, id est, vestra fama diffusa est non tantum in Macedonia et Achaia, quæ sunt vobis vicinæ, sed *Fides vestra ad Deum perfecta,* id est, quam Deus acceptat, et quæ conjungit vos Deo, quæ etiam est in omni loco divulgata. (*Rom.* 1.) *Fides vestra annuntiatur in universo mundo, etc.* Et signum hujus est, quia non est necesse, etc. Boni enim prædicatoris est bona aliorum in exemplum adducere. (2 *Cor.* 9.) *Vestra enim æmulatio provocavit plurimos.*

Deinde dicit: *Ipsi enim, etc.,* ponit eorum laudem qua ab aliis laudabantur, quia *de nobis annuntiant, etc.* (*Prov. ult.*) *Laudent illam in portis opera ejus.* Laudant autem in vobis meam prædicationem et vestram conversionem. Annuntiant ergo qualem introitum habuerimus ad vos, quia cum magna difficultate et in tribulationibus. Laudant etiam vestram conversionem. Et ostendit quomodo, a quo, et ad quid conversi sunt. Quo ad primum dicit: *Et quomodo conversi estis ad Deum,* id est, quam faciliter, et perfecte. (*Joel.* 2.) *Convertimini ad me in toto corde vestro, etc.* (*Eccl.* 5.) *Ne tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem.* Quo ad secundum dicit: *A simulachris.* (1 *Cor.* 12.) *Scitis quoniam cum gentes essetis ad simulachra muta prout ducebamini euntes:* Quo ad tertium dicit: *Servire Deo,* sc. servitute latriæ, non creaturæ, sed Deo. Contra quod dicitur (*Rom.* 1.) *Servierunt creaturæ potius, quam creatori, etc.* Et dicit: *Vivo,* ut excludat idololatriæ cultum, quia idololatræ colebant quosdam mortuos, quorum animas dixerunt deificatas, sicut Romulum et Herculem. Et ideo dicit: *Vivo.* (*Deut.* 32.) *Vivo ego in æternum.* Item quia Platonici putabant quasdam substantias separatas Deos esse participatione: dicitur vero non participatione divinæ naturæ, sed quia servientes ei sunt remunerandi, ideo quia sic estis, restat ut remunerationem expectetis. Unde dicit: *Et expectare filium ejus,* sc. Dei, *De cœlis* descendentem. (*Luc.* 12.) *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis.* (*Is.* 30.) *Beati omnes qui expectant eum.* Illi autem sunt qui sunt lumbis præcincti. Duo autem expectamus, sc. resurrectionem, ut sc. ei conformemur. Unde dicit: *Quem suscitavit ex mortuis Jesum.* (*Rom.* 8.) *Qui suscitavit Jesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra, etc.* (*Phil.* 2.) *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Item liberari a pœna futura, quæ imminet reis. A causa autem pœnæ, sc. a peccato, liberamur per Christum. Unde dicit: *Qui eripuit nos, etc.* (*Apoc.* 6.) *Abscondite*

vos a facie sedentis super thronum et ab ira agni, etc. Ab hac ira nullus potest nos liberare nisi Christus. (*Matth.* 3.) *Quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira?*

CAPUT II.

Multa se passum dicit Apostolus antequam Thessalonicensibus prædicaret, asseritque ob hoc non extinctam in eo fuisse verbi prædicandi fiduciam.

1. *Nam et ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit.*
2. *Sed ante passi multa et contumeliis affecti (sicut scitis) in Philippis fiduciam habuimus in Deo nostro, loqui ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine.*
3. *Exhortatio enim nostra, non de errore, neque de immunditia, neque in dolo.*
4. *Sed sicut probati sumus a Deo, ut crederetur nobis Evangelium, ita loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra.*
5. *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ, Deus testis est.*
6. *Neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis.*
7. *Cum possemus vobis oneri esse, ut Christi Apostoli, sed facti sumus parvuli in medio vestrum tanquam si nutrix foveat filios suos.*
8. *Ita desiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non solum evangelium Dei, sed etiam animas nostras, quoniam charissimi nobis facti estis.*
9. *Memores enim facti estis fratres nostri et fatigationis, nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus, prædicavimus in vobis evangelium Dei.*
10. *Vos testes estis et Deus, quam sancte et juste et sine querela vobis qui credidistis affuimus.*
11. *Sicut scitis qualiter unumquemque vestrum sicut pater filios suos.*
12. *Deprecantes vos et consolantes, testificati sumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.*

Supra commendavit eos, quod in tribulationibus verbum Dei receperunt, hic commendat eos, quod ab eo non recesserunt propter tribulationes. Et circa hoc tria facit, quia primo commemorat eorum tribulationes. Secundo ostendit quale eis remedium adhibuit, in 3 capite, ibi: *Propter quod.* Tertio propter quid, *Quia nunc vivimus.* Quia vero supra dixit de eis nuntiari ab omnibus introitum Apostoli ad eorum conversionem, ideo primo agit de introitu suo, secundo de eorum conversione, ibi: *Ideo et nos gratias.* Circa primum tria facit, quia primo commemorat suam constantiam, quam habuit antequam ad eos veniret. Secundo sinceritatem doctrinæ per quam eos convertit, ibi: *Exhortatio enim nostra.* Tertio sinceritatem suæ conversationis cum conversis, ibi: *Vos enim.* Iterum prima in duas, quia primo præmittit tribulationes, quas passus est antequam ad eos veniret. Secundo quomodo fiduciam ex hoc non amisit, ibi: *Fiduciam habuimus.* Dicit ergo: Dico quod annuntiat introitum nostrum, quem et vos scitis, quoniam, *Non fuit inanis, etc.* id est levis, sed difficilis, quia per multas tribulatio-

nes. Vel non inanis, id est, vacuus, sed plenus. (*Gen.* 1.) *Terra erat inanis et vacua, etc.* Vel non inanis, id est, mobilis, sed stabilis. (*Phil.* 2.) *Non in vanum cucurri, neque in vacuum laboravi.* Sed ante sumus passi passiones corporales. (*Prov.* 19.) *Doctrina viri per patientiam noscitur.* (*Ps.* 61.) *Bene patientes erunt, ut annuntient.* Item spirituales, quia contumeliis ex hoc affecti in Phil. ubi propter curationem Pythonissæ passus est tribulationes. Et hæc civitas est Macedoniæ. Nec tamen propter hæc, fiducia prædicandi est extincta. (*Is.* 12.) *Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam et non timebo.* Et hæc fiducia fuit prædicandi: *Ad vos Evangelium Dei in multa sollicitudine* de vestra conversione. (*Rom.* 12.) *Qui præest in sollicitudine.* (2 *Cor.* 11.) *Præter ea quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.*

Deinde cum dicit: *Exhortatio*, ostendit sinceritatem suæ prædicationis. Et circa hoc duo facit, quia primo probat sinceritatem suæ doctrinæ, secundo quædam quæ dixerat, exponit, ibi: *Non quasi hominibus.* Circa primum duo facit, quia primo excludit corruptionem doctrinæ, secundo ponit sinceritatem, ibi: *Sed sicut probati.* Doctrina autem corrumpitur vel propter rem quæ docetur, vel propter intentionem docentis. Propter primum dupliciter corrumpitur doctrina, sc. vel per errorem, sicut docens salutem esse per Christum cum legalibus. (2 *Tim.* 3.) *Mali homines et seductores proficient in pejus errantes, et in errorem alios mittentes.* Ideo dicit: *Exhortatio enim nostra non est* sicut aliquorum, *De errore,* vel propter immunditiam, sicut dicentium vacandum esse voluptatibus, quæ doctrina est a quodam Nicolao, qui permisit promiscua matrimonia, communicans alii suam uxorem, ideo dicit: *Neque de immunditia.* (*Apoc.* 2.) *Permittis mulierem Jezabel, quæ se dicit Prophetam docere et seducere servos meos fornicari, et manducare de idolotitis, etc.* (*Job.* 6.) *Non invenietis in lingua mea iniquitatem.* Item nec est exhortatio in dolo sicut quorumdam, qui licet verum dicant, habent tamen intentionem corruptam, quia non profectum auditorum neque Dei honorem, sed suum quærunt honorem. Contra quod dicit: *Neque in dolo.* (*Jer.* 9.) *Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, etc.* Sua ergo prædicatio non est corrupta, sed sincera. Sincerum autem aliquid est, quod servat suam naturam. Tunc autem est prædicatio sincera, quando quis docet eo tenore et fine quo Christus docuit. Et ideo dicit: *Sed sicut probati,* id est, eo modo et ea intentione qua Deus nos elegit et approbavit ad prædicandum Evangelium loquimur. (*Gal.* 2.) *Creditum est mihi Evangelium præputii, sicut Petro circumcisionis.* (*Act.* 9.) *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus, et regibus, et filiis Israel.*

Deinde cum dicit: *Non quasi hominibus, etc.,* ostendit quod sua prædicatio non est in dolo. Primo excludens illud per quod videretur esse dolosa, secundo manifestat per signum, ibi: *Neque aliquando.* Tertio per causam, ibi: *Neque in occasione.* Propter primum dicit: Prædicatio mea non est quasi hominibus placens, sc. finaliter. (*Ps.* 52.) *Dissipata sunt ossa eorum, qui hominibus placent.* (*Gal.* 1.) *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Aliquando tamen debent velle placere hominibus propter gloriam Dei, ut prædicatio magis fructificet,

sicut dicitur (1 *Cor.* 10.) *Ego per omnia omnibus placeo, etc.* — *Sed Deo, etc.* (*Prov.* 16.) *Omnes viæ hominum patent oculis ejus.* Hujus autem signum est, quia non adulati sumus loquentes eis placentia. (*Is.* 30.) *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, etc.* (*Prov.* 24.) *Non lactes quemquam labiis tuis, etc.* Et idem ostendit per causam. Propter duo enim aliquis quærit hominibus placere, sc. vel propter beneficia, vel propter gloriam. Hoc autem hic excludit, et primo primum, dicens: *Neque fuimus, etc.* Quia non solum adulationem devitamus, sed etiam omnem occasionem avaritiæ. (1 *Tim.* 6.) *Existimantium quæstum esse pietatem.* (*Jer.* 6.) *A minori quippe usque ad majorem, omnes avaritiæ student.* Secundo secundum, ibi: *Neque quærentes a vobis, neque ab aliis gloriam* de doctrina, cum haberemus unde possemus gloriari et accipere, imo oneri esse, et quia debebant ei, unde dicit: *Cum possemus* gloriam et sustentationem. Et vocat onus, quia perverse eis prædicantes ultra modum hæc ab eis quærebant. (*Is.* 3.) *Vos enim depasti estis vineam meam, etc.*

Deinde cum dicit: *Sed facti sumus, etc.* manifestat hæc duo, et primo quod non quærit humanam gloriam, secundo quod nec occasionem avaritiæ, ibi: *Memores enim estis.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit suam humilitatem, secundo sub similitudine ostendit suam sollicitudinem, ibi: *Tanquam si nutrix.* Ponit ergo primum dicens: quod *Facti sumus parvuli, etc.* id est humiles. (*Eccl.* 32.) *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex ipsis.* Quod ostendit in similitudine, dicens: *Tanquam si nutrix*, quæ sc. condescendit infanti balbutiendo et loquens, ut puer loqui discat, et in gestibus ei etiam condescendit. (1 *Cor.* 9.) *Omnibus omnia factus sum.* (1 *Cor.* 3.) *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* — *Etiam animas.* (*Joan.* 10.) *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, etc.* — *Quoniam charissimi, etc.* (2 *Cor.* 12.) *Ego autem libentissime impendam et superimpendar ego ipse pro animabus vestris, etc.*

Deinde cum dicit: *Memores enim estis*, ostendit secundum, quod supra dixerat, sc. *Item neque per occasionem avaritiæ*, quia nihil a vobis sumpsimus, sed de labore, quia laboris, etc. Et aliqui laborant quidem, sed ex solatio, sed nos non, sed cum labore. Ideo dicit: *Laboris nostri*, non propter exercitationem corporis, sed cum fatigatione. Unde dicit: *Et fatigationis.* Aliqui etiam laborant de die, nos vero nocte et die. Per hoc enim voluit arcere pseudo, qui nimis accipiebant, et propter otiosos inter eos. (1 *Cor.* 4.) *Laboramus operantes manibus nostris, etc.*

Deinde cum dicit: *Vos enim estis.*, ponit puritatem suæ conversationis, et primo quomodo sancta, quo ad vitam, secundo quomodo sollicita, quo ad doctrinam, ibi: *Qualiter unumquemque.* Dicit ergo: scitis *Quam sancte*, id est pure. (*Lev.* 11. *et* 19.) *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* — *Juste*, quo ad proximum. (*Tit.* 2.) *Sobrie et juste, et pie vivamus in hoc seculo.* Sine querela, *Vobis qui credidistis*, id est, ex quo credidistis nihil agentes, unde quis posset scandalisare unumquemque vestrum singulariter. Nota quod singularis prædicatio quandoque multum valet. Tanquam pater. (1 *Cor.* 4.) *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.* — *Deprecantes.* (*Philem.*) Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro. *Et*

consolantes per verba lenia. Contra quod dicitur (*Ezech.* 34.) *Cum austeritate imperabatis eis cum potentia.* (*Is.* 61.) *Ut consolarer omnes lugentes, et ponerem consolationem lugentibus Sion.* Et quid prædicasti? *Ut digni*, id est, ut vestra conversatio esset talis, qualis decet ministros Christi. (*Col.* 1.) *Ambuletis digne Deo per omnia placentes.* — *Deo, qui, etc.* (*Sap.* 6.) *Concupiscentia itaque sapientiæ deducet ad regnum perpetuum.*

LECTIO 2.

Gratias refert Deo pro Thessalonicensium fide, quam firmiter tenuerunt, non cedentes adversis.

13. *Ideo et nos gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis.*
14. *Vos enim imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, in Christo Jesu, quia eadem passi estis et vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis.*
15. *Qui et Dominum occiderunt Jesum et Prophetas, et nos persecuti sunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus adversantur.*
16. *Prohibentes nos gentibus loqui ut salvi fiant, ut impleant peccata sua semper, pervenit enim ira Dei super illos usque in finem.*
17. *Nos autem fratres desolati a vobis ad tempus horæ, aspectu non corde, abundantius festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio.*
18. *Quoniam voluimus venire ad vos. Ego quidem Paulus et semel et iterum, sed nos impedivit Satanas.*
19. *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Jesum Christum estis, in adventu ejus?*
20. *Vos enim estis gloria nostra et gaudium.*

Supra ostendit Apostolus qualis fuit ad eos introitus suus, hic ostendit qualis fuit eorum conversio. Et circa hoc duo facit, quia primo ostendit, quod perfecte conversi sunt per fidem firmam, secundo quomodo fortiter perstiterunt in tribulationibus, ibi: *Vos enim.* Ponit ergo primo bona eorum pro quibus gratias agit, et reddit rationem. Dicit ergo ideo, quia sollicite vobis prædicavi sicut pater filiis, ideo de bonis vestris gratias ago, sicut pater de bonis filiorum. (*Joan.* 2.) *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* (*Phil.* 4.) *Cum gratiarum actione.* Sed de quo? *Quoniam cum accepissetis a nobis, etc.* Gratias debet agere prædicator quando verbum ejus in auditoribus proficit. Et dicit verba auditus Dei a nobis, id est, per nos. (*Ps.* 84.) *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* (*Rom.* 10.) *Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* — *Accepistis illud*, id est, firmiter in corde tenuistis. Non ut verbum hominum, quia vana verba hominis. (2 *Cor.* 13.) *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* (2 *Petr.* 1.) *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Et quare gratias agitis, quia *Hoc ipsum quod credidistis Deus in vobis operatus*

est. (*Phil.* 2.) *Deus est qui operatur in vobis velle et perficere pro bona voluntate.* (*Is.* 26.) *Omnia opera nostra operatus es in nobis, Domine.*

Deinde cum dicit: *Vos enim*, ostendit quomodo fortiter perstiterunt in tribulationibus. Et circa hoc duo facit, quia primo ponit tribulationes eorum in quibus steterunt, secundo quod remedium proposuit adhibere, ibi: *Nos autem.* Item prima dividitur in duas, quia primo commendat eorum patientiam in adversis, secundo reprehendit eos, qui intulerunt adversa, ibi: *Qui Christum.* Dicit ergo: Accepistis verbum non ut est hominum, *Sed sicut est vere verbum Dei*, quia exposuistis vos pro illo usque ad mortem. Per hoc enim, quod homo moritur propter Christum, testificatur, quod verba fidei, sunt verba Dei. Et ideo martyres, idem est, quod testes. *In Judæa.* Ibi enim fides Christi primo est annuntiata. (*Is.* 2.) *De Sion exibit lex et verbum Domini de Jerusalem.* Ibi etiam primo persecutio fidei facta fuit. (*Act.* 8.) *Facta est autem in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, etc.* (*Hebr.* 10.) *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati magnum certamen sustinuistis passionum.* Et isti similes passiones passi sunt. Et ideo dicit: *Eadem passi a contribulibus vestris*, id est, ab infidelibus Thessalonicensibus. (*Matth.* 10.) *Inimici hominis, etc.*

Deinde cum dicit: *Qui et Dominum*, vituperat Judæos, a quibus incepit persecutio. Et primo commemorat eorum culpam, secundo rationem culpæ, ibi: *Ut impleant.* Circa primum tria facit, primo eorum culpam ponit in comparatione ad Dei ministros, secundo ad ipsum, tertio ad totum genus humanum. Ministri Dei sunt prædicatores. Prædicatio autem principaliter est a Christo, figuraliter a prophetis, executive ab Apostolis. Contra hos tres insurrexerunt Judæi. Et primo dicit de Christo, ibi: *Qui et Dominum.* (*Matth.* 21.) *Hic est hæres, venite occidamus eum.* Nec obstat si Gentiles occiderunt eum, quia ipsi suis vocibus petierunt eum occidi a Pilato. (*Jer.* 12.) *Facta est hæreditas mea mihi, quasi leo in silva, dedit contra me vocem, etc.* Secundo dicit de prophetis, ibi: *Et Prophetas.* (*Act.* 7.) *Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? et occiderunt eos, qui prænuntiabant de adventu justi, cujus vos nunc proditores et homicidæ fuistis.* Tertio dicit de Apostolis: *Et nos*, sc. Apostolos. (*Matth.* 10.) *Tradent vos in conciliis, etc.* Secundo ponit culpam in comparatione ad Deum, ibi: *Deo non placent*, licet crederent in hoc se obsequium præstare Deo. (*Joan.* 16.) Sed quia zelum Dei habent non secundum scientiam. Ideo Deo non placent, quia non faciunt recta fide. Et sine fide impossibile est placere Deo. (*Hebr.* 11. *Is.* 5.) *Iratus est furor Domini in populo, etc.* Tertio ostendit eorum culpam in comparatione ad totum genus humanum, cum dicit: *Omnibus hominibus adversantur.* (*Gen.* 16.) *Manus ejus contra omnes, etc.* Adversantur autem in hoc, quia prohibent et impediunt prædicationem Gentilium et conversionem. (*Act.* 11) reprehenditur Petrus, quod ivit ad Cornelium. Item (*Luc.* 15.) Filius major, sc. populus Judæorum turbatur, quia filius minor, id est, populus Gentilium recipitur a patre. (*Is.* 45.) *Væ qui dicit patri, quid generas?* (*Num.* 11.) *Quis det ut omnis populus prophetet?* Ratio autem hujus culpæ est ex divina permissione, qua vult ut impleant peccata sua. Omnium enim quæ fiunt sive bona, sive mala, est

quædam certa mensura, quia nihil est infinitum. Et omnium istorum mensura est in præscientia. Bonorum quidem in ejus præparatione. (*Ephes.* 4.) *Quia unicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Malorum vero in permissione, quia si aliqui sunt mali, non tamen quantum volunt, sed quantum Deus permittit. Et ideo tamdiu vivunt, quamdiu perveniant ad hoc, quod Deus permittit. (*Matth.* 23.) *Implete mensuram patrum vestrorum, etc.* Et ideo dicit: Ut impleant, etc. Deus enim dedit Judæis post passionem Christi spatium pœnitentiæ per quadraginta annos, nec conversi sunt, sed addebant peccata peccatis. Et ideo Deus non plus permisit. Unde dicit hic: *Pervenit ira Dei, etc.* (4 *Reg.* 22.) *Ira Dei magna succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri hujus, etc.* (*Luc.* 21.) *Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic, etc.* Et non credas quod hæc ira sit per centum annos, sed *Usque in finem* mundi, quando plenitudo gentium intraverit, etc. (*Luc.* 19. *et* 21. *et Matth.* 24.) *Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.*

Deinde cum dicit: *Nos autem*, ostendit remedium, quod eis proposuit adhibere, sc. quod personaliter iret ad eos. Et circa hoc duo facit, quia primo ponit propositum suæ visitationis, secundo impedimentum, ibi: *Sed impedivit.* Tertio causam quare volebat ire, ibi: *Quæ autem est.* Dicit ergo: *Nos autem fratres desolati a vobis*, a quibus eramus separati, vel propter tribulationes vestras. *Ore*, id est, carentes collocutione. *Et aspectu*, id est, carentes visione, propter hæc enim duo necessaria est amici præsentia, quia est consolativa, sed *Non corde*, quia corde sumus præsentes. (1 *Cor.* 5.) *Ego absens quidem corpore, præsens autem spiritu.* — *Abundantius festinavimus faciem, etc.* Ut sicut corde, sic et corpore præsens esset. (*Rom.* 15.) *Cupiditatem habens veniendi ad vos ex multis jam præcedentibus annis, etc.* — *Festinavimus*, dicit pluraliter, quia scribit ex persona trium, sc. sui, Silvani, et Timothei. Ideo etiam, *voluimus venire ad vos*, omnes forte semel, sed ego Paulus *Semel et iterum*, id est, bis proposui, *Sed impedivit nos satanas*, id est, procuravit impedimenta, forte per aeris tempestates. (*Apoc.* 7.) *Isti sunt Angeli, qui tenent ventos.*

Deinde cum dicit: *Quæ est enim*, ostendit causam propositi. Primo quantum ad futurum. Secundo quantum ad præsens, ibi: *Nos enim, etc.* Dicit ergo: Desidero videre vos, et gratias ago de bonis vestris, quæ sunt spes nostra. Nam pro his speramus a Deo præmia, quando reddere venerit unicuique secundum opera sua. Maxima enim est retributio prædicatori ex his quos convertit. *Aut gaudium*: quia gaudium illorum est gaudium Apostoli, sicut bonum eorum est bonum Apostoli, bonum enim effectus reducitur in bonum causæ. *Aut corona gloriæ*, quia pro certaminibus eorum et iste, qui induxit ad certandum, coronatur: Dux enim, qui induxit milites ad pugnam coronabitur. (*Eccl.* 30.) *Qui docet filium, laudabitur in illo, et in medio domesticorum in illo gloriabitur, etc.* Hæc, inquam, spes, quæ est? *Nonne vos?* Imo sic in futuro ante Dominum nostrum Jesum Christum in adventu ejus, sed etiam in præsenti, *Vos enim estis*, apud omnes fideles, *Gloria nostra.* (1 *Cor.* 9.) *Melius est mihi mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* — *Et gaudium*, quo lætor de bonis vestris in præsenti.

CAPUT III.

Consolationem se accepisse a Timotheo dicit, qui eos in fide confirmaverat, eo quod Thessalonicenses audiret pro eo maximo affici eum videndi desiderio.

1. *Propter quod non sustinentes amplius placuit nobis remanere Athenis, solis.*
2. *Et misimus Timotheum fratrem nostrum, et ministrum Dei in evangelio Christi, ad confirmandos vos et exhortandos pro fide vestra:*
3. *Ut nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.*
4. *Nam et cum apud vos essemus, prædicebamus vobis passuros nos tribulationes, sicut et factum est, et scitis.*
5. *Propterea et ego amplius non sustinens misi ad cognoscendum fidem vestram, ne forte tentaverit vos is, qui tentat, et inanis fiat labor noster.*
6. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram: et quia memoriam nostri habetis bonam, semper desiderantes nos videre, sicut et nos quoque vos.*
7. *Ideo consolati sumus fratres in vobis, in omni necessitate et tribulatione nostra per fidem vestram.*
8. *Quoniam nunc vivimus si vos statis in Domino.*
9. *Quam enim gratiarum actionem possumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum nostrum:*
10. *Nocte ac die, abundantius orantes, ut videamus faciem vestram, et compleamus ea, quæ desunt fidei vestræ?*
11. *Ipse autem Deus et pater noster, et Dominus Jesus Christus dirigat viam nostram ad vos.*
12. *Vos autem Dominus multiplicet, et abundare faciat charitatem vestram in invicem, et in omnes, quemadmodum et nos in vobis:*
13. *Ad confirmanda corda vestra sine querela, et sanctitate, ante Deum et patrem nostrum, in adventu Domini nostri Jesu Christi cum omnibus sanctis ejus. Amen.*

Commemoravit tribulationes quas passi erant, et remedium quod proposuit eis impendere, hic ostendit quomodo eis subvenisset visitando per Timotheum. Et primo agit de missione nuntii: secundo de relatione facta per eum, ibi: *Nunc autem.* Tertio de effectu relationis in Apostolo, ibi: *Ideo consolati.* Item prima in tres, quia primo promittit causam quare misit eum, secundo qualem misit: tertio causam propter quam misit. Dicit ergo: *Propter quod*, id est, quia impedivit nos Satanas, tamen, *Vos estis gloria nostra*, ideo: *Non sustinentes*, pondus amoris inclinantis ad vos. (*Is.* 1.) *Facta sunt mihi molesta, etc.* (*Gen.* 40.) *Non se poterat ultra cohibere.* – *Placuit nobis*, sc. Paulo et Silvano, *Remanere Athenis solis*, et misimus Timotheum, quia erat Apostolo convenientissimus. (*Philip.* 2.) *Neminem habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit.* (1 *Cor.* 4.) *Misi ad vos Timotheum, qui est filius meus charissimus et fidelis in Domino.* — *Fratrem*, per charitatem adjuvantem. (*Prov.* 18.) *Frater qui juvatur a fratre quasi civitas firma.* — *Et ministrum.* Ecclesiæ dignitas est. (2 *Cor.* 11.) *Ministri Christi sunt et ego, etc.* Mittit autem

ad confirmandos eos et referendum sibi.

Deinde cum dicit: *Ad confirmandos, etc.*, ostendit quod mittitur ad confirmandum. Et primo facit hoc: secundo ponitur ratio confirmationis, ibi: *Ipse enim.* Dicit ergo: *Ad confirmandos vos et exhortandos,* quia per exhortationes animus hominis confirmatur. (*Job.* 4.) *Vacillantes confirmaverunt sermones tui.* (*Luc.* 22.) *Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et indigetis exhortari pro fide vestra, ut nemo moveatur in his tribulationibus. (*Eccl.* 10.) *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* Est autem ratio duplex confirmans. Una ex ordinatione divina. Ipsi euim scitis, etc. quasi dicat: ita voluit Deus, ut per tribulationes in cœlum intraretis. (*Act.* 14.) *Per multas tribulationes oportet vos intrare in regnum Dei, et* (2 *Tim.* 3.) *Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* Per hanc viam ivit Christus. (*Luc. ult.*) *Oportebat Christum pati et resurgere, et sic intrare in gloriam suam.* Alia ratio est ex parte prænuntiationis, quia prævisa minus feriunt. Unde dicit: *Nam et cum apud, etc.*, id est, quia ego prædixi vobis tribulationes quas estis passi in istis annis, *Misi ad cognoscendum, etc.* qualiter sc. essetis fortes in fide. (*Prov.* 27.) *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, et greges tuos considera.* Is qui tentat, sc.diabolus. (*Matth.* 4.) *Accedens tentator.* Glossa. Cujus officium est tentare. Sed contra. Tentat mundus et caro. (*Jac.* 1.) *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua, etc.* Item (*Gen.* 22.) *Tentavit Deus Abraham, etc.* Respondeo: Tentare, est experimentum de aliquo sumere. In hoc considerandum est ad quid velit sumere, et quomodo. Nam hoc est dupliciter. Vel ut ipse cognoscat, vel ut alium cognoscere faciat. Primo modo Deus non tentat, ipse enim scit quid est in homine. (*Joan.* 2.) Secundo modo sic: Deus enim tentavit Abraham, sc. ut alii scirent fidem ejus. Sed primo modo tentare est dupliciter, sc. ut promoveat ad bonum, sicut episcopus promovendos examinat; vel aliquis tentat ut decipiat, et hoc est diaboli, quia sc. inquirit conditionem hominum, ut secundum diversas conditiones ad diversa vitia ad quæ proni sunt inducat. (1 *Petr.* 5.) *Adversarius vester diabolus, etc.* Officium ergo ejus est tentare ad decipiendum. Mundus autem et caro dicuntur tentare materialiter, quia per ea, ad quæ ipsa inclinant, sumitur experimentum de homine, utrum firmus sit ad mandata Dei et dilectionem. Si enim vicerit concupiscentia, non perfecte diligit Deum. Et similiter quando res mundi, vel terrent, vel afficiunt. *Et inanis*, quia si tentationi non resistitis, labor vester esset inanis. (*Gal.* 4.) *Timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis.* (*Ezech.* 18.) *Omnes justitiæ ejus quas operatus est, non recordabuntur.* Inanis autem dicitur, respectu mercedis æternæ, tamen bona ante peccatum commissa ad aliquid valent, quia post pœnitentiam reviviscunt, et disponitur quis faciliter ad convertendum.

Deinde cum dicit: *Nunc autem, etc.*, ostendit quomodo retulit Timotheus bona eorum pertinentia ad Deum et Apostolum. Ad Deum fidem, et charitatem. (*Gal.* 6.) *In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.* Sed fidem, etiam ad Apostolum: unde dicit: *Et quia memoriam.* (*Eccl.* 49.) *Memoria Josiæ in compositione operis facta, opus pigmentarii, etc.* (*Prov.* 10.) *Memoria justi cum laudibus, etc.* — *Desiderantes*

videre nos sicut et nos quoque vos. Augustinus. Durus est animus, qui dilectionem, et si non velit impendere, noluit rependere. (*Is.* 51.) *Attendite ad Abraham patrem vestrum, etc.*

Deinde cum dicit: *Ideo consolati,* ponitur effectus relationis triplex, sc. spiritualis consolationis, gratiarum actionis, ibi: *Quam enim.* Et orationis multiplicatæ, ibi: *Nocte.* Dicit ergo: Quia talia audivimus de vobis, licet necessitates temporalium immineant et tribulationes corporales: tamen consolati sumus. (*Ps.* 93.) *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam, etc.* (2 *Cor.* 1.) *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, etc.* Et hoc: *Per fidem vestram*, id est, audiens firmitatem fidei vestræ, *Quoniam vivimus, etc.* Quasi dicat: Tantum diligo statum vestrum, quod reputo me per ipsum vivere. (*Gen.* 45.) *Sufficit mihi si adhuc Joseph filius meus vivit.*

Deinde cum dicit: *Quam enim, etc.,* ponitur secundus effectus relationis factæ, sc. gratiarum actio, quasi dicat: Non sufficio, quod aliquam condignam gratiarum actionem agam Deo pro vobis. (*Mich.* 6.) *Quid dignum offeram Domino, etc.* (*Ps.* 115.) *Quid retribuam Domino pro omnibus, etc.* Referendæ sunt tamen gratiarum actiones, *In omni gaudio*, quod omnino non est exterius, sed: *Quo gaudemus propter vos*, in conscientia, *Ante Dominum,* qui videt eam. Vel ante Dominum, quia de proximo placet Deo. (1 *Cor.* 13.) *Congaudet veritati, etc.*

Deinde cum dicit: *Nocte, etc.,* ponitur tertius effectus relationis, et primo proponit multiplicitatem orationis, secundo ostendit quid orando optet, ibi: *Ipse autem, etc.* Dicit ergo: Gratias agimus de præteritis, nec tamen deficimus quin oremus pro futuris, imo, *Nocte ac die,* id est, adversis et prosperis. (*Ps.* 54.) *Vespere et mane ac meridie narrabo, etc.* — *Quæ desunt, etc.* Non quidem quæ erant de necessitate fidei, sed aliqua secreta, quæ necdum Apostolus eis prædicavit in sua novitate. (1 *Cor.* 3.) *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus: sed quasi carnalibus, etc.* (*Joan.* 16.) *Multa habeo vobis loqui, quæ non, etc.*

Deinde cum dicit: *Ipse autem Deus, etc.,* demonstrat quid optet eis. Et circa hoc primo ostendit quid petat, ibi: *Ad confirmanda.* Petit autem duo. Unum ex parte sua, ut posset ire ad eos. Unde dicit: *Ipse Deus et pater noster, etc.* (*Joan.* 20.) *Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, etc.* (*Prov.* 16.) *Hominis est præparare animum et Domini gubernare linguam.* Aliud ex parte eorum. Unde dicit: *Vos autem multiplicet,* sc. in fide. (2 *Reg.* 24.) *Adaugeat Dominus populum suum centuplum, quam sunt, etc.* Et ut augeantur merita. Unde dicit: *Et abundare faciat charitatem vestram,* quæ semper in via crescere potest. (*Col.* 3.) *Super omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et primo: *Invicem,* secundo, *In omnes.* (*Gal.* 6.) *Operemur bonum ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei.* Et ponit exemplum de seipso, dicens: *Quemadmodum, etc.,* quasi dicat: Sicut et ego diligo vos. (2 *Cor.* 7.) *In cordibus nostris estis ad commoriendum et ad convivendum.* Sed ad quid petit? *Ad confirmanda corda vestra sine querela*, id est, ut nullus possit conqueri de vobis. (*Luc.* 1.) *Incedentes in omnibus mandatis et justificationibus sine querela.* — *Et sanctitate ante Deum*, sc. qui cor videt. (*Luc.* 1.) *In sanctitate et justitia coram*

ipso, etc. Et hoc apparet, *In adventu Domini nostri Jesu Christi,* ut vos inveniat sanctos, qui adventus erit, *Cum omnibus sanctis ejus,* id est, sitis in conspectu ejus, sicut sunt omnes sancti ante eum.

CAPUT IV.

Ad munditiam corporis hortatur, ne fiant Gentibus similes, ac ad laborandum manibus impellit, ne aliena cupiant.

1. *De cætero ergo fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu: ut quemadmodum accepistis a nobis quomodo oporteat vos ambulare et placere Deo, sic et ambuletis, ut abundetis magis.*
2. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum.*
3. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione.*
4. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore.*
5. *Non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.*
6. *Et ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis et testificati sumus.*
7. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.*
8. *Itaque qui hæc spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum suum Sanctum in nobis.*
9. *De charitate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis, ipsi enim vos a Deo didicistis, ut diligatis invicem.*
10. *Etenim illud facitis in omnes fratres in universa Macedonia. Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis.*
11. *Et operam detis, ut quieti sitis, et ut vestrum negotium agatis et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, ut et honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt, et nullius aliquid desideretis.*

Supra commendavit Apostolus fideles de constantia in tribulationibus et aliis bonis, hic in futurum monet ad bene agendum. Et primo proponit generalem admonitionem, secundo specificat, ibi: *Ut abstineatis.* Circa primum duo facit, quia primo proponit intentum, secundo rationem monitionis assignat, ibi: *Ut abundetis, etc.* Dicit ergo: Audivi bona vestra præterita, sed in futurum rogamus, etc. Inducit autem eos primo ex parte sua. Et ideo dicit: *Rogamus.* (*Ps.* 121.) *Rogate, quæ ad pacem sunt, etc.* Item ex parte Christi, et sic dicit: *Obsecramus, etc.* Obsecrat autem, quia erant perfecti. (1 *Tim.* 5.) *Seniorem te ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Sed quid rogat? *Ut quemadmodum, etc.* Docuerat eos Apostolus quomodo oporteret eos ambulare in via communi justitiæ, quæ est per mandata. Unde dicit: *Accepistis, etc.* (*Ps.* 118.) *Viam mandatorum tuorum, etc.* Item quomodo placerent Deo in via consiliorum. (*Sap.* 4.) *Placens Deo factus est dilectus.* Vel quomodo ambuletis, sc. per rectam operationem. (*Joan.* 12.) *Ambulate dum lucem habetis.* Quomodo placeatis, sc. per rectam intentionem. *Sic et ambuletis,* id est, ut servetis pri-

mam doctrinam non recedendo ab ea. (*Gal.* 1.) Sed licet nos aut angelus de cœlo evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

Ratio monitionis accipitur primo ex fructu servatæ monitionis, secundo ex ipsa monitione, ibi: *Scitis enim quæ, etc.* Dicit ergo: Licet sitis boni, tamen per exercitium mandatorum et consiliorum abundabitis et proficietis. (2 *Cor.* 9.) *Potens est Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Est enim charitas tam magna, quod semper restat quo proficiendum sit. Item quæ ex monitione accepistis, honesta sunt et utilia. (*Ps.* 18.) *Lex Domini immaculata, etc.* (*Prov.* 6.) *Mandatum lucerna est, et lex lux et via vitæ.* Ideo dicit: *Quæ præcepta*, id est, qualia. Et hoc per Dominum Jesum accepta ab eo. (1 *Cor.* 11.) *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis, etc.* (*Hebr.* 2.) *Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab his, qui audierunt, etc.* Et hæc sunt ista, *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, quasi dicat: Omnia præcepta Dei sunt ad hoc quod sitis sancti. Sanctitas enim dicit munditiam et firmitatem. Et omnia Dei præcepta inducunt ad ista, ut quis mundus sit a malo, et firmus in bono. (*Rom.* 12.) *Probetis, quæ sit voluntas Dei*, sc. explicata per præcepta.

Deinde cum dicit: *Ut abstineatis*, monet in speciali. Et primo corrigit eos de quibusdam inordinationibus inter eos: secundo promovet ad observantiam bonorum, 5 cap., ibi: *De temporibus.* Tres autem inordinationes erant inter eos, sc. carnalium vitiorum quantum ad quosdam. Item curiositatis. Item tristitiæ de mortuis, et ideo de istis agit. Secunda ibi: *De charitate autem.* Tertia ibi: *Nolumus vos.* Circa primum duo facit, quia primo monet abstinere ab immoderato appetitu carnalium. Secundo ponit rationem, ibi: *Quoniam vindex.* Iterum prima in duas, quia primo prohibet luxuriam: secundo avaritiam. Et conjungit hæc semper: quia utrunque est circa objectum corporale, licet hoc compleatur in delectatione spirituali. Item primo docet cavere luxuriam quantum ad non suam, secundo quantum ad uxorem propriam, ibi: *Ut sciat.* Dicit ergo: *Ut abstineatis a fornicatione.* Voluntas enim Dei est abstinere a fornicatione, ergo est peccatum mortale, quia est contra præceptum et voluntatem Dei. (*Tob.* 4.) *Attende tibi ab omni fornicatione.* Sed et respectu uxoris abstineatis honeste, *Ut sciat unusquisque vas suum*, id est, uxorem, possidere in sanctificatione, cessando ad tempus, *Et in honore, non in passione*, ut sc. passio præcedat, *Sicut et Gentes*, quia hoc est Gentilium quærere delectationes præsentes, non autem futuræ vitæ. *In sanctificatione et honore*, quia hic est debitus usus matrimonii, quia est ad bonum prolis, vel ad reddendum debitum, et sic potest esse sine peccato, sed aliquando est veniale peccatum, si non efferatur concupiscentia ultra limites matrimonii, sc. quando licet concupiscentiam habeat, non tamen uteretur ea nisi esset uxor sua. Sed quando est extra limites matrimonii, sequitur mortale, et hoc quando si non esset sua uxor adhuc uteretur ea, et libentius cum alia. (*Hebr. ult.*) *Sit honorabile connubium, et thorus immaculatus.* Fornicatores autem et adulteros judicabit Deus. (1 *Petr.* 3.) Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tanquam cohæredibus gratiæ

et vitæ, ut non impediantur orationes vestræ.

Deinde cum dicit: *Et ne quis*, prohibet avaritiam. Unde dicit: *Et ne quis supergrediatur*, id est, violentiam inferat auferendo aliena per potentiam. (*Jac.* 2.) *Nonne divites per potentiam vos opprimunt?* Neque circumveniat per dolum. (*Jer.* 5.) *Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo.*

Deinde cum dicit: *Quoniam vindex, etc.*, ponitur ratio monitionis, quam primo assignat ex divina ultione: secundo ostendit hanc ultionem esse justam, ibi: *Non enim vocavit.* Dicit ergo: Abstineamus ab his, quia *Dominus est vindex.* (*Gal.* 5.) *Prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Nam certe juste ulciscitur, cujus una est ratio ex Deo vocante, secunda ex contrarietate doni. Si Dominus vocat te ad unum, et tu agis contrarium, dignus es pœna. Et ideo dicit: *Non enim vocavit, etc.* (*Ephes.* 1.) *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut simus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* (*Rom.* 8.) *Quos vocavit, hos et justificavit, etc.* Ideo dicit: *Itaque, etc.*, quasi dicat: Hæc est una ratio specialis quam dixi. Alia est ratio, quia contrariantur hæc vitia spiritui, qui datus est nobis. Unde qui hæc agit, injuriam facit Spiritui Sancto. Ideo dicit: *Qui etiam, etc.* (*Hebr.* 10.) Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur, quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit et sanguinem testamenti pollutum duxerit in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit.

Deinde cum dicit: *De charitate autem, etc.*, retrahit ab otiositate. Sciendum est autem, quod sicut dicit Hieron. in epist. ad Gal. Thess. erant liberales, et erat consuetudo apud eos divites dare multum: et ideo pauperes otiose inhærebant beneficio eorum, non curantes labores; sed discurrere per domos. Et ideo primo commendat liberalitatem dantium, secundo otium accipientium dissuadet, ibi: *Et operam detis.* Dicit ergo primo, quod non indigent moneri ad charitatem: secundo monet quod in ea proficiant, ibi: *Rogamus autem.* Dicit ergo: *De charitate autem fraternitatis*, id est, quod diligatis fratres, *Non est necesse scribere vobis.* (*Rom.* 12.) *Charitatem fraternitatis invicem diligentes.* (*Hebr. ult.*) *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* Et ratio est, quia *Ipsi didicistis a Deo*, sc. præceptum in lege. (*Levit.* 19.) *Diliges amicum tuum sicut teipsum.* Item in evangelio. (*Joan.* 13.) *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, etc.* Vel didicistis interiori disciplina. (*Joan.* 6.) *Omnis qui audivit a patre et didicit, venit ad me, etc.* Et hoc addiscit per Spiritum Sanctum.

Deinde cum dicit: *Rogamus autem*, hortatur eos ad proficiendum in charitate, dicens: Et quia habetis charitatem ad omnes: Deum rogamus, ut proficiatis. Et licet alii abutantur, vos tamen insistatis. (*Prov.* 15.) *In abundanti justitia virtus maxima est.*

Deinde cum dicit: *Et operam detis*, arguit otiosos, et primo eorum inquietudinem: secundo ostendit quomodo eam reprimant, tertio quare. Dicit ergo: *Operam detis, ut quieti sitis.* (*Prov.* 7.) *Garrula et vaga quietis impatiens, nec valens pedibus suis in domo consistere, etc.* (2 *Thess.* 3.) *Non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes, etc.* Otium reprimentes

exercendo negotia. Unde dicit: *Et ut vestrum negotium agatis.* (*Prov.* 24.) *Diligenter exerce agrum, ut postea ædifices domum tuam.* Dicit autem vestrum. Sed nunquid non alienum negotium est agendum? Et videtur quod sic. (*Rom. ult.*) *Assistatis ei in quocumque negotio.* Respondeo: Dicendum est, quod omnia possunt inordinate fieri si fiant præter ordinem rationis tunc sc., quando aliquis se improbe gerit, et ordinate, sc. quando servatur ordo rationis, et in necessitate, et hoc est commendabile. *Et operemini manibus vestris*, id est, operando manibus vestris. (*Eccl.* 33.) *Multa mala docuit otiositas, etc.* (*Ezech.* 16.) Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium ipsius et filiarum ejus, et manum egeno et pauperi non porrigebant, etc. Et hoc est in præcepto omnibus illis, qui non habent alia unde licite vivere possunt: quia de præcepto naturæ est, quod homo corpus sustentet. (2 *Thess.* 3.) *Qui non vult operari, nec manducet.* Hujus est duplex ratio. Prima propter exemplum aliorum. Unde dicit: *Ut et honeste, etc.* Infideles enim videntes conversationem vestram sic otiosam detestantur vos. (1 *Tim.* 3.) *Oportet autem illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, etc.* Secunda ratio, ut non desideretis ea quæ sunt aliorum, unde dicitur: *Et nullius aliquid desideretis.* (*Prov.* 21.) *Desideria occidunt pigrum.* (*Ephes.* 4.) *Qui furabatur, jam non furetur, etc.* Et ideo hæc inquietudo si reprimatur, est in bonum exemplum, et in repressionem desiderii.

LECTIO 2.

Tristitiam de mortuis removet, ne videantur de resurrectione dubii, asseritque omnes in extremo die resurrecturos.

12. *Nolumus autem vos ignorare fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent.*

13. *Si enim credimus, quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo.*

14. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.*

15. *Quoniam ipse Dominus in jussu, et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi.*

16. *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

17. *Itaque consolamini invicem in verbis istis.*

Supra induxit ad continentiam a cupiditatibus, et compescuit ab otiositate, hic compescit ab inordinata tristitia. Primo præmittens monitionem, secundo assignat rationem, ibi: *Sicut et cæteri.* Prohibentur ergo: ne sc. inordinate tristentur. Unde dicit: *Sicut et cæteri.* Videtur autem Apostolus bene concedere tristari pro mortuis, aliquid tamen prohibere, ne sc. inordinate tristentur. Unde dicit: *Sicut et cæteri.* Quod enim aliquis tristetur, sc. de mortuis, habet pietatem. Primo

propter defectum corporis deficientis. Debemus enim eos diligere et corpus propter animam. (*Eccl.* 41.) *O mors quam amara est memoria tua homini pacem habenti, etc.* Secundo propter discessum et separationem, quæ dolorosa est amicis. (1 *Reg.* 15.) *Siccine separat amara mors?* Tertio, quia per mortem fit commemoratio peccati. (*Rom.* 6.) *Stipendia peccati mors.* Quarto quia fit commemoratio mortis nostræ. (*Eccl.* 7.) *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum et vivens cogitat quid futurum sit, etc.* Sic ergo tristandum, sed moderate. Unde (*Eccl.* 22.) *Modicum plora supra mortuum quoniam requievit, etc.* Et ideo dicit: *Sicut et cæteri qui spem non habent*, sc. quia isti credunt hujusmodi defectus perpetuos, sed nos non. (*Philip.* 3.) *Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Unde signanter dicit: *De dormientibus.* (*Joan.* 11.) *Lazarus amicus noster dormit.* Dormiens enim tria facit. Cubat in spe surgendi. (*Ps.* 10.) *Nunquid qui dormit non adjiciet ut resurgat?* Sic et qui moritur in fide. Item in dormiente anima vigilat. (*Cant.* 5.) *Ego dormio, et cor meum vigilat, etc.* Item postea homo resurget magis refectus et vegetus. Sic sancti resurgent incorruptibiles. (1 *Cor.* 15.)

Deinde cum dicit: *Si enim credimus*, ponitur ratio monitionis. Et primo astruit resurrectionem, secundo excludit dilationis suspicionem, ibi: *Hoc enim vobis.* Tertio ponit resurrectionis ordinem, ibi: *Quoniam ipse Dominus.* Sciendum est autem quod Apostolus (1 *Cor.* 15) ex resurrectione Christi astruit nostram, quia illa est causa nostræ, unde arguit per locum a causa. Et resurrectio Christi non est causa solum, sed etiam exemplar: quia verbum caro factum suscitat corpora, verbum vero simpliciter, animas. Et enim eo quod Christus accepit carnem, et in ea resurrexit, est exemplar nostræ resurrectionis. Nec solum hoc est, sed et causa efficiens: quia quæ humanitate Christi gesta sunt, non solum sunt gesta secundum virtutem humanitatis, sed virtute divinitatis sibi unitæ. Unde sicut tactus suus curabat leprosum inquantum instrumentum divinitatis, sic resurrectio Christi causa est nostræ resurrectionis non inquantum corporis, sed inquantum resurrectio corporis uniti verbo vitæ. Et ideo Apostolus hoc firmiter supponens sic arguit: *Si enim credimus* firmiter *quod Christus resurrexit, ita et eos qui dormierunt, etc.* Illi dormierunt *Per Jesum*, qui facti sunt conformes morti ejus per baptismum, vel per Jesum, quod secum *Adducet*, sc. *Cum ipso Christo.* (*Zach.* 14.) *Et veniet Dominus Deus meus omnesque sancti ejus cum eo, etc.* (*Is.* 3.) *Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui et principibus ejus.*

Deinde cum dicit: *Hoc enim*, excludit dilationem resurrectionis, quasi dicat: Scimus quod resurgent et venient cum Christo: ideo non debemus tantum dolere. Non enim illi, qui invenientur vivi, prius consequentur resurrectionis gloriam, quam mortui. Et ideo: *Hoc enim vobis dicimus*, non ex conjectura hominis, sed *In verbo Domini*, cujus verba non deficient, *quia nos qui vivimus*, id est, illi, qui sunt vivi, non prius sortientur consolationem ex adventu Christi, quam mortui. Et ideo dicit: *Nos qui vivimus.* Ex quo videtur non intelligentibus, quod Apostolus hic dicat: quod adhuc Apostolo vivente hoc fieret, et hoc etiam Thessalonicensibus videba-

tur. Et ideo scribit eis aliam epistolam, in qua dicit : (2 *Thess.* 2.) *Non moveamini a vestro sensu, etc.* Sed non loquitur ex persona sua, et tunc existentium, sed eorum qui tunc vivi reperientur. *Qui residui sumus,* id est, erunt residui post persecutionem Antichristi. *Non præveniemus eos*, id est, non prius recipient consolationem. (1 *Cor.* 15.) *In momento enim, in ictu oculi, in novissima tuba, etc.*

Deinde cum dicit: *Quoniam ipse, etc.*, ostendit ordinem resurrectionis et modum. Primo proponit resurrectionis causam, secundo ejus ordinem et modum, ibi: *Et mortui.* Tertio concludit eorum consolationem, ibi : *Itaque consolamini invicem.* Primum ostendit dicens : *Ipse Dominus.* Ubi notandum est, quod sicut dictum est, causa communis resurrectionis est resurrectio Christi. Sed si dicas, quod jam fuit, quare ergo non sequitur effectus ejus ? Respondeo : dicendum est, quod est causa resurrectionis nostræ secundum quod operatur in virtute divina, Deus autem operatur per ordinem suæ sapientiæ. Tunc ergo erit nostra resurrectio, quando hoc disposuit ordo divinæ sapientiæ. Ut ostendat, quod Christus sit causa, ostendit quod ad præsentiam Christi omnes mortui resurgent. Ad resurrectionem autem communem faciendam triplex causa concurrit. Una principalis, sc. virtus divinitatis ; secunda instrumentalis, sc. virtus humanitatis Christi ; tertia quasi ministerialis, sc. virtus angelorum, qui habebunt aliquem effectum in resurrectione. Augustinus enim probat, quod ea quæ fiunt nunc per creaturas corporales, fiunt a Deo eis mediantibus, in resurrectione vero aliqua per eos sunt agenda, sicut collectio pulveris. Sed reintegratio corporum, et unio animæ ad corpus, erit immediate per Christum. Has ergo tres causas ponit. Primo humanitatem Christi gloriosam, dicens ; *Ipse Dominus, etc.* (*Act.* 1.) *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet.* — *In jussu.* In primo adventu venit ut obediens. (*Philip.* 2.) *Factus est obediens usque ad mortem.* Et hoc, quia ille fuit adventus humilitatis, sed iste erit gloriæ. (*Luc.* 21.) *Venit cum potestate magna et majestate.* Secundo virtutem angelorum, cum dicit : *In voce archangeli.* Non quod operetur in voce ejus, sed ministerio ejus. Et dicit archangeli, quia omnes angeli sub uno archangelo ministrant ecclesiæ. (*Apoc.* 12.) *Hic est Michael princeps ecclesiæ.* Vel in voce archangeli, id est, Christi principis angelorum. (*Is.* 9.) *Magni consilii angelus.* Et in voce ejus corporali, vel spirituali erit resurrectio. (*Joan.* 5.) *Audient vocem filii Dei*, sc. surgite mortui et venite ad judicium, et illi voci corporali obedient. Tertio virtutem divinitatis, cum dicit : *In tuba Dei.* Hæc est virtus divina, quia dicitur vox archangeli, inquantum fiet ministerio archangelorum, et tuba Dei inquantum virtute divina fiet. Et dicitur tuba propter ejus sonoritatem, quæ provenit a Deo suscitans mortuos. Item tuba congruit ad officia, cujus usus fuit multiplex in veteri testamento, ut ad bellum. Et tunc pugnabit pro eo orbis terrarum. (*Sap.* 5.) Item fiebat usus ejus ad solemnitates, sic ista ad cælestem Jerusalem. Item ad movendum castra, et tunc sancti movebunt castra. Unde si sit vox corporalis, dicitur tuba propter has rationes; vel non erit vox corporalis, sed virtus divina Christi præsens et manifesta toti mundo.

Deinde cum dicit : *Et mortui*, ponitur ordo resurrectionis, et circa hoc tria facit : quia primo ponit resurrec-

tionem mortuorum, secundo occursum vivorum, ibi: *Deinde*. Tertio beatitudinem sanctorum utrorumque, ibi: *Et sic semper*. Occasione horum verborum crediderunt aliqui quod futuri in fine nunquam morerentur, ut dicit Hieronimus in epistola, propter hoc quod dicit: *Deinde nos, etc.* Alias enim frustra distingueret viventes a morientibus. Sed contra (1 *Cor.* 15.) *Omnes quidem resurgemus.* Item *sicut in Adam omnes moriuntur, etc.*, ut habetur (*Rom.* 5.) Ergo mors ad omnes pertransit. Dicendum est ergo, quod aliqui invenientur vivi in tempore illo, quo Christus veniet ad judicium: sed in illo momento temporis morientur et statim resurgent. Et ideo propter modicam interpolationem reputantur viventes. Sed tunc est quæstio, quia dicitur hic: *Et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, et deinde nos, etc.* Ergo prius resurgent mortui, quam vivi occurrant Christo, et in hoc occursu morientur. Ergo prius aliqui resurgent, et sic non erit omnium resurrectio simul, quod est contra illud (1 *Cor.* 15.) *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba, etc.*

Respondeo: dicendum est, quod duplex est hic opinio: quidam enim dicunt, quod resurrectio non erit simul, sed primo mortui venient cum Christo. Et tunc in adventu Christi, vivi rapientur in nubibus, et in illo raptu morientur et resurgent. Et ideo quod dicitur esse in momento, intelligitur, quia in modico tempore fiet. Et si dicatur, quod erit in instanti, tunc non est hoc referendum ad totam resurrectionem omnium, sed ad resurrectionem singularium, quia singulus resurget in instanti. Alii vero dicunt quod omnes simul et in instanti resurgent. Quod ergo dicit: resurgent primi, denotat ordinem dignitatis, non temporis. Sed videtur hoc difficile, quia de vivis multi erunt probati in persecutione Antichristi, qui dignitate præcellent multos prius defunctos. Et ideo videtur aliter esse dicendum, quod omnes morientur et omnes resurgent et quod simul. Nec Apostolus dicit hic, quod illi prius resurgent, quam isti, sed quod illi prius resurgent, quam isti occurrant. Apostolus enim non ponit ordinem resurrectionis ad resurrectionem, sed ordinem ad raptum, vel ad occurrentiam. Nam primo veniente Domino morientur, qui invenientur vivi, et tunc statim cum illis, qui prius mortui fuerant resurgentes rapientur in nubibus, etc. ut Apostolus hic dicit. Est autem hæc inter bonos et malos differentia, quia mali remanebunt in terra, quam dilexerunt, boni rapientur ad Christum quem quæsierunt. (*Matth.* 24.) *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.* In resurrectione etiam sancti conformabuntur Christo, non solum quantum ad gloriam corporis. (*Philip.* 3.) Sed etiam quantum ad situm, quia Christus erit in nube. (*Act.* 1.) *Et nubes suscepit eum.* Et *quemadmodum vidistis eum, etc.* Sic et sancti a nubibus rapientur. Et quare hoc? Ad ostendendum eorum deiformitatem. In veteri enim testamento gloria Domini apparuit per modum nubis. (3 *Reg.* 8.) *Dominus venit in nebula.* Hæ nubes erunt præparatæ virtute divina ad ostensionem gloriæ sanctorum. Vel ipsa fulgentia corpora gloriosorum videbuntur malis quædam nubes, qui erunt in terra. (*Matth.* 25.) *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.*

Deinde cum dicit: *Et sic semper*, ostendit beatitudinem sanctorum, quia semper erunt cum Domino eo fruentes. (*Joan.* 14.) *Iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et*

vos sitis. Hoc sancti desiderant. (*Philip.* 1.) *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo.*

Deinde cum dicit: *Itaque, etc.*, concludit consolationem habendam esse de mortuis dicens: ex quo sancti resurgunt, et nullum detrimentum consequuntur, ergo de mortuis consolamini. (*Is.* 40.) *Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Dominus Deus vester.*

CAPUT V.

Sollicitudinem removet ab eis, tempus judicii scire cupientibus, tantum dicit, diem illam, bonis bonam, malis vero malam futuram.

1. *De temporibus autem et momentis fratres, non indigetis ut scribamus vobis.*
2. *Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet.*
3. *Cum enim dixerint pax et securitas: tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habentis, et non effugient.*
4. *Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies ille tanquam fur comprehendat.*
5. *Omnes enim vos, filii lucis estis, et filii diei: non sumus noctis, neque tenebrarum.*
6. *Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus et sobrii simus.*
7. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: et qui ebrii sunt, nocte ebrii sunt.*
8. *Nos autem qui diei sumus, sobrii simus, induti loricam fidei, et charitatis, et galeam, spem salutis.*
9. *Quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum.*
10. *Qui mortuus est pro nobis: ut sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.*
11. *Propter quod consolamini invicem, et ædificate alterutrum sicut et facitis.*
12. *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos.*
13. *Ut habeatis illos abundantius in charitate po pter opus illorum: pacem habete cum eis.*

Supra correxit in eis corrigenda: hic monet eos in futurum, et primo ponit monitionem, secundo orationem, ibi: *Ipsi autem Deus.* Hæc autem duo sunt nobis necessaria. Nam quia bona quæ facimus sunt ex libero arbitrio, ideo indiget homo monitione, et quoniam sunt etiam ex gratia, ideo oratione. Circa primum duo facit, quia primo hortatur, ut præparent se ad futurum judicium; secundo ostendit præparandi modum, ibi: *Propter quod consolamini.* Iterum prima in duas, quia primo ostendit qualis sit conditio futuri judicii; secundo qualiter præparent se ad illud, ibi: *Igitur non dormiamus.* Item prima in duas, quia primo præmittit conditionem futuri judicii, secundo exponit, ibi: *Cum enim.* Item primo quietat eorum sollicitudinem circa scientiam futuri adventus; secundo ostendit quid circa illum sciant, ibi: *Ipsi enim.* Dicit ergo: Necesse erat, quod scriberem de præmissis, quia indiguistis. Sed *De temporibus*, sc. æstate, hyeme, vel potius, quæ tempora futura sint, non erat necesse, quia quædam de his sunt soli divinæ

scientiæ reservata. (*Matth.* 24. *et Marc.* 13.) *De die illa, vel hora nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi pater, etc.* (*Act.* 1.) *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, etc.* (*Eccl.* 6.) *Quid necesse est homini majora se quærere, cum ignoret, quid conducat sibi in vita numero dierum vitæ suæ? etc.* Et ideo hoc non est necesse scribere, quia illud quod sciendum est, *Vos scitis,* quia sc. *Dies Domini sicut fur in nocte, etc.* Sunt autem omnes dies Domini. (*Ps.* 118.) *Ordinatione tua perseverant dies.* Sed iste specialiter est Domini, quia facit in omnibus suam voluntatem, quæ impletur in bonis, qui perducuntur ad finem præscitum a Deo, sc. salutem. (1 *Tim.* 2.) *Vult omnes homines salvos fieri, etc.* In malis, quia punientur. (*Ps.* 74.) *Dum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Iste veniet sicut fur, id est, ex impræmeditatione. (*Luc.* 12.) *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, etc.* (2 *Petr.* 3.) *Adveniet dies Domini sicut fur.* (*Apoc.* 3.) *Veniam tibi tanquam fur.* Quomodo autem dies dicitur venire in nocte? Sed sciendum, quod utrumque est, quia in die venit propter manifestationem cordium. (1 *Cor.* 4.) *Quoadusque veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium*; sed in nocte propter incertitudinem. (*Matth.* 25.) *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, etc.* Incertum enim est qua hora erit.

Deinde cum dicit: *Cum enim dixerint,* exponit quæ dixerat, et primo quantum ad malos, secundo quantum ad bonos, ibi: *Vos autem.* Circa primum duo facit. Primo describit præsumptionem malorum, secundo periculum moræ. Dicit ergo: Veniet sicut fur, quia ex improviso. *Cum enim dixerint pax.* Quantum ad præsentia, id est, dum tranquille vivunt, sic decipiuntur. (*Sap.* 14.) *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* — *Et securitas*, quantum ad futura. (*Luc.* 12.) *Anima mea multa habes bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, et epulare.* Sed contra (*Luc.* 21.) *Arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi, etc.* Ergo nulla securitas. Solutio est duplex. Una quæ est Augustini, quæ talis est: In tempore illo aliqui erunt boni, et affligentur, lugebunt et expectabunt. Et de hoc dicitur (*Luc.* 21.) *Arescentibus* ex carentia voluptatum, et abundantia malorum, etc., sed in malis erit pax et securitas. Alia datur solutio in Glossa.

Deinde cum dicit: *Tunc repentinus,* describit periculum a quatuor. Primo quia subitum, ibi: *Repentinus.* (*Is.* 30.) *Subito dum non speratur, veniet contritio ejus*; secundo quia mortiferum, ibi: *Interitus.* (*Job.* 18.) *Calcet super eum quasi rex interitus, etc.* Tertio afflictivum, ibi: *Dolor.* (*Ps.* 47.) *Ibi dolores, ut parturientis, etc.* Quarto inevitabile, ibi: *Et non effugient.* (*Job.* 11.) *Effugium peribit ab eis.* Ab ira Dei nunc est effugere ad ejus misericordiam, ibi vero non est tempus misericordiæ, sed justitiæ.

Deinde cum dicit: *Vos autem,* exponit quæ dixerat quo ad bonos, et duo facit, quia primo excipit bonos a consortio malorum, secundo rationem assignat, ibi: *Omnes enim vos.* Dicit ergo: *Non estis in tenebris,* quia illuminati estis per Christum de illo die, ideo vobis non est improvisus. (*Joan.* 8.) *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*; et hujus ratio est, ibi: *Omnes enim vos filii lucis estis.* Astruit enim quod sunt filii lucis et diei. Filii autem alicujus

rei in scriptura dicuntur aliqui propter abundantiam in re illa. (*Is.* 5.) *In cornu filio olei*, id est, habente multum oleum, Qui ergo participant multum de die et luce dicuntur eorum filii. Hæc lux est fides Christi. (*Joan.* 8.) *Ego sum lux mundi, etc.* (*Joan.* 12.) *Credite in lucem, ut filii lucis sitis.* Item diei. Sicut enim ex luce fit dies, ita ex fide Christi fit dies, sc. honestas bonorum operum. (*Rom.* 13.) *Nox præcessit, etc.* Et ideo: *Non sumus filii noctis*, id est, infidelitatis, *Neque tenebrarum*, id est, peccatorum. (*Rom.* 13.) *Abjiciamus ergo a nobis opera tenebrarum, etc.*

Deinde cum dicit: *Igitur non dormiamus, etc.*, ostendit qualiter se præparent ad illum adventum, et primo qualiter per ultionem malorum, secundo per observantiam bonorum, ibi: *Induti.* Circa primum duo facit, quia primo ponit monitionem, secundo ejus rationem, ibi: *Qui enim dormiunt.* Dicit igitur: Ex quo dies Domini est sicut fur. (*Luc.* 12.) *Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique.* Ergo vos, quia scitis, vigiletis. Unde dicit: *Igitur non dormiamus*, somno peccati. (*Eph.* 5.) *Surge qui dormis, et exurge a mortuis.* Item nec pigritiæ. (*Prov.* 6.) *Usquequo piger dormis? etc.* – *Sed vigilemus per sollicitudinem.* (*Matth.* 24.) *Vigilate itaque, etc.* Et ad hoc est necessarium, quod *Sobrii simus.* Ut et corpus et mens sint sobria, id est, non occupata voluptatibus, et curis mundi. (*Luc.* 21.) *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra crapula et ebrietate.* (1 *Petr.* 5.) *Sobrii estote et vigilate.* Ratio autem hujus est ex temporis congruitate, quia qui dormiunt, vel ebrii sunt, aliquid faciunt in nocte. Sed nos non sumus in nocte. *Ergo, etc.* Dicit ergo: *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt*, id est, tempus noctis deputant quieti, diem vero operationi. (*Ps.* 103.) *Ortus est sol et congregati sunt, et in cubilibus suis collocabuntur.* Et rursum ibi: *Exibit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad vesperam.* Item abstineant aliqui a vino in die propter negotia exercenda, sed de nocte tantum concurrant. (*Job.* 24.) *Oculus adulteri observat caliginem.* Somnus ergo et ebrietas est nocti conveniens, eo quod nocte infidelitatis et tenebris peccatorum occupati, sunt ebrii, per amorem præsentium non habentes spem futurorum. (*Ephes.* 4.) *Desperantes tradiderunt se impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in avaritia, etc.* — *Nos autem qui diei sumus*, id est, pertinentes ad diem honestatis et fidei, *Simus sobrii.* (*Rom.* 13.) *Honeste ambulemus in die.*

Deinde cum dicit: *Induti, etc.*, ostendit quomodo se præparent per bona; et primo ponit monitionem generalem, secundo specialem, ibi: *Propter quod.* Item prima in duas, quia primo ponit ipsam monitionem, secundo rationem ejus, ibi: *Quoniam non posuit.* Sunt autem in homine duo principalia membra, quæ consueverunt in bellis protegi, sc. cor, quod est principium vitæ, et caput, sc. principium motus exterioris, a quo sunt sensus, et aliquo modo nervi. Et protegitur cor lorica, caput galea. Spiritualis vita in nobis est Christus, per quem anima vivit, et Dominus in nobis per fidem habitat. (*Ephes.* 3.) *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Habitat etiam per charitatem. (1 *Joan.* 4.) *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo*, quæ informat fidem. Et ideo debemus habere fidem et charitatem. Unde dicit: *Loricam fidei et charitatis*, quia protegit vitalia: *Et galeam, spem salutis*, quæ est principium motus spiritualis, quod

est ex intentione finis, quem speramus assequi.

Deinde cum dicit: *Quoniam non posuit nos*, ostendit rationem quomodo in nobis operatur. Et primo ex præordinatione divina, secundo ex gratia Christi, tertio ostendit modum consequendæ salutis. Dicit ergo: *Quoniam non posuit*, id est, non ordinavit. (*Joan.* 15.) *Posui vos*, sc. sanctos, *ut eatis, etc.* – *Deus in iram*, id est, ad hoc, ut consequamur ejus iram. (*Sap.* 1.) *Deus mortem non fecit.* (*Ezech.* 18.) *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, etc.* — *Sed in acquisitionem*, id est, ut acquiramus salutem. (*Matth.* 11.) *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* (1 *Pet.* 2.) *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, etc.* Et hoc per gratiam Christi, ideo dicit: *Per Dominum nostrum, etc.* (*Act.* 4.) *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri*: – *qui mortuus est pro nobis*, id est, salvavit nos moriendo pro nobis. (1 *Petr.* 3.) *Mortuus est justus pro injustis, ut offerret nos Deo mortificatos quidem carne, vivificatos autem spiritu.* Et modus perveniendi est, quia Christus docuit nos operando salutem nostram, et hoc moriendo et resurgendo. (*Rom.* 4.) *Traditus est propter delicta nostra, et resurrexit propter justificationem nostram;* et ideo dicit: *Sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum illo vivamus.* (*Rom.* 14.) *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.*

Deinde cum dicit: *Propter quod*, docet nos quomodo præparemus nos quantum ad speciales conditiones personarum. Et circa hoc tria facit, quia primo ostendit quomodo se debeant habere ad æquales, secundo quomodo subditi se habeant ad prælatum, ibi: *Rogamus autem.* Tertio quomodo prælati ad subditos, ibi: *Rogamus autem.* Debemus autem æqualibus consolationem in adversis. Unde dicit: *Consolamini invicem.* Item ædificationem in exemplis. Unde dicit: *Et ædificate, etc.* (*Rom.* 14.) *Quæ ædificationis sunt invicem custodiamus.* Subditi autem ad prælatos, primo debent beneficiorum recognitionem, secundo charitatem, tertio pacem. Unde *Ut noveritis*, id est, ut recognoscatis beneficia eorum. (*Hebr. ult.*) *Mementote præpositorum vestrorum, etc.* Noveritis, inquam, primo ex parte eorum, quia maximum laborem ferunt pro vobis. Unde dicit: *Eos qui laborant inter vos*, pro bono vestro. (2 *Tim.* 2.) *Labora sicut bonus miles Christi, etc.* Secundo ex parte Dei. Et ideo est habenda reverentia ad eos sicut ad Deum. Unde dicit: *Et præsunt vobis in Domino*, id est, vice Domini. (2 *Cor.* 2.) *Ego si quid donavi vobis in persona Christi.* Tertio ex parte vestra, quia sunt vobis utiles. Unde dicit: *Et monent vos, ut habeatis, etc.* Ideo secundo debetis eis charitatem abundantius, id est, præ aliis. Quarto, *Pacem propter opus illorum.* Sed contra hoc quidam agunt. (*Amos.* 5.) *Odio habuerunt in porta corripientem, etc.* (*Eccl.* 19.) *Qui odit correctionem, minuetur vita.* Sed vos habete pacem propter opus correctionis, quod proprie spectat ad eorum officium. (*Ps.* 119.) *Dum loquebar illis, impugnabant me gratis.*

LECTIO 2.

Vult prælatos, subditos corripere, docet pariter quomodo mutuo sese omnes habere debeant, et charitate invicem prosequi in oratione. Demum ut sui moris est epistolam signat.

14. *Rogamus autem vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes.*
15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes.*
16. *Semper gaudete.*
17. *Sine intermissione orate.*
18. *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei in Christo Jesu in omnibus vobis.*
19. *Spiritum nolite extinguere.*
20. *Prophetias nolite spernere.*
21. *Omnia autem probate: quod bonum est tenete.*
22. *Ab omni specie mala abstinete vos.*
23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, ut integer spiritus vester, et anima et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.*
24. *Fidelis est, qui vocavit vos, qui etiam faciet.*
25. *Fratres, orate pro nobis.*
26. *Salutate fratres omnes in osculo sancto.*
27. *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus.*
28. *Gratia Domini nostri Jesu Christi vobiscum. Amen.*

Supra ostendit quomodo subditi debent se habere ad prælatos, hic ostendit e converso. Et circa hoc duo facit, quia primo docet quomodo prælati ad sacerdotes subditos se debeant habere, secundo generaliter quomodo se debeant habere ad omnes, ibi: *Videte ne quis.* Sciendum est autem, quod cura prælatorum ad duo debet tendere, sc. ad retrahendum alios a peccatis, et ad custodiendum seipsos. Quantum ad primum, tria Apostolus dicit. Tripliciter enim subditi possunt pati defectum. Primo in actu, secundo in voluntate, tertio in virtute. In actu autem quando prorumpunt in actum peccati, et tunc sunt corrigendi. Et quamvis de omni peccato, specialiter tamen corrigendi sunt de peccato inquietudinis. Et ideo dicit: *Corripite inquietos.* (2 *Thess.* 3.) *Non inquieti fuimus inter vos.* (*Eccl.* 19.) *Corripe proximum antequam commineris, et da locum timori.* In voluntate vero, quando non aggreditur magna, quia dejicitur propter adversa et peccata præcedentia. Unde dicit: *Consolamini pusillanimes.* Pusillanimis est non habens animum ad magna, timens ne deficiat. (*Is.* 35.) *Dicite pusillanimes, confortamini et nolite timere.* (*Job.* 4.) *Vacillantes confirmaverunt manus tuæ, etc.* In virtute autem, quando vel ex infirmitate peccant, vel debilitantur in bono actu, et isti sunt fovendi. Unde dicit: *Suscipite,* sc. in visceribus charitatis fovendo: *Infirmos,* quorum est virtus debilis, vel ad resistendum malis, vel ad faciendum bona. (*Rom.* 15.) *Debemus nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere.* Prælatus autem debet se custodire a defectu cujuscumque modi, et maxime ab impatientia, quia ipse portat totum pondus multitudinis. (*Num.* 11.) *Non possum solus sustinere omnem hanc multitudinem, quia gravis est mihi, etc.* Et ideo dicit: *Patientes estote ad omnes.* (*Prov.*

19.) *Doctrina viri per patientiam noscitur.* (*Ps.* 91.) *Bene patientes erunt, ut annuntient.*

Deinde cum dicit: *Videte ne quis,* ostendit generaliter quomodo se habeant ad omnes. Et circa hoc duo facit, quia primo ostendit qualiter omnes in quibusdam debeant se habere. Secundo quid in omnibus, ibi: *Omnia autem.* Circa primum tria facit, quia primo ostendit quomodo se debeant habere ad proximum, secundo quomodo se habeant in his, quæ ad Deum sunt, ibi: *Semper gaudete.* Tertio quomodo se habeant ad ejus dona, ibi: *Spiritum nolite.* Quantum ad proximum debent se habere, ut non inferant ei mala, et ut studeant ei benefacere. Unde dicit: Dixi supra in speciali, sed nunc in generali dico: *Ne quis malum, etc.* (*Ps.*) *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Sed contra, multoties vindicta petitur coram judice. Respondeo: Sicut actus moralis sumitur secundum intentionem finis, sic ad duo potest esse intentio, vel ad malum illius, ita quod quiescat ibi, et hoc est illicitum, quia ex livore vindictæ, vel ad bonum correctionis seu justitiæ et conservationis reipublicæ, et sic non reddit malum pro malo, sed bonum, sc. ejus correctionem. Quantum ad secundum, dicit: *Sed semper quod bonum est, etc.* Et dicit: *Sectamini, etc.*, non faciatis, quia tu ex te debes sumere occasionem benefaciendi ad proximum tuum et non expectare, quod ipse det tibi occasionem benefaciendi sibi. Unde (*Ps.* 33.) *Inquire pacem, et persequere eam.* (*Rom.* 12.) *Noli vinci a malo,* ut sc. sis tractus ab eo ad malefaciendum, *sed vince in bono malum*, retrahendo eum ad bonum. (*Gal. ult.*) *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Deinde cum dicit: *Semper gaudete,* ostendit quomodo se debeant habere quoad Deum, ad quem tria oportet habere. Primo gaudere de ipso. Unde dicit: *Semper gaudete,* sc. de Deo, quia quicquid malum proveniat est incomparabile bono, quod est Deus. Et ideo nullum malum illud interrumpat. Unde dicit: *Semper gaudete.* Secundo orate pro beneficiis suscipiendis, ibi: *Sine intermissione orate.* (*Luc.* 18.) *Oportet semper orare, et nunquam deficere.* Sed quomodo potest hoc esse? Respondeo: Dicendum est, quod hoc potest esse tripliciter. Primo quod ille semper orat, qui statutas horas non intermittit. Simile habetur (2 *Reg.* 9.) *Tu comedes panem in mensa mea semper.* Secundo sic: Semper, id est, continue orate, sed tunc oratio sumitur pro effectu orationis. Est enim oratio, interpretatio seu explicatio desiderii, quia quando desidero aliquid, tunc illud orando peto. Unde et oratio est petitio decentium a Deo, et ideo desiderium habet vim orationis. (*Ps.* 9.) *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Omnia ergo, quæ facimus, ex desiderio proveniunt. Ergo oratio in bonis, quæ facimus, manet in virtute, quia bona, quæ facimus, ex desiderio bono proveniunt. Gloss. Non cessat orare, qui non cessat benefacere. Tertio quo ad causam orationis, sc. faciendo eleemosynam. In vitis patrum, ille semper orat, qui eleemosynas dat, quia qui eleemosynam accepit, orat pro te, etiam te dormiente. Item tertio orare pro beneficiis suscipiendis, et gratias agere pro susceptis. Ideo dicit: *In omnibus,* sc. bonis et adversis: *Gratias agite.* (*Rom.* 8.) *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* (*Col.* 2.) *Abundantes in illo in gratiarum actione.* (*Phil.* 4.) *Cum gratiarum actione.* Hæc est enim voluntas, etc. (1 *Tim.* 2.) *Qui vult omnes homines sal-*

vos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.

Deinde cum dicit: *Spiritum nolite, etc.*, ostendit quomodo se habeant ad dona Dei. Et primo quod ea non impediant. Secundo quod ea non contemnant, ibi: *Prophetias.* Spiritus autem sanctus est persona divina incorruptibilis et æterna, unde in sua substantia extingui non potest. Sed tamen dicitur quis extinguere spiritum, uno modo fervorem ejus extinguendo, vel in se, vel in alio. (*Rom.* 12.) *Spiritu ferventes.* Cum enim aliquis aliquid boni ex fervore Spiritus Sancti vult facere, vel etiam cum aliquis bonus motus surgit et ipse impedit, extinguit Spiritum Sanctum. (*Act.* 7.) *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Alio modo mortaliter peccando. Spiritus enim sanctus in se semper vivit, sed in nobis vivit, quando facit nos in se vivere; sed quando quis peccat mortaliter, non vivit in ipso Spiritus Sanctus. (*Sap.* 1.) *Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, etc.* Tertio modo occultando, quasi dicat: Si donum Spiritus Sancti habetis, utimini eo ad utilitatem proximorum. (*Eccl.* 20.) *Sapientia abscondita et thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* (*Matth.* 5.) *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio, etc.* — *Prophetias nolite spernere.* Aliqui enim apud istos spiritu prophetiæ erant pollentes, qui ab istis reputabantur insani. (1 *Cor.* 14.) *Æmulamini spiritualia, magis autem, ut prophetetis.* Vel prophetias, id est, divinam doctrinam. Exponentes enim divinam doctrinam dicuntur prophetæ, quasi dicat: Non spernatis verba Dei et prædicationes. (*Jer.* 20.) *Factus est sermo Domini in opprobrium et in derisum tota die.*

Deinde cum dicit: *Omnia autem probate*, ostendit qualiter se habeant ad omnia, et unum est, quod in omnibus utantur discretione. (*Rom.* 12.) *Rationabile obsequium vestrum.* In hac materia debet esse diligens examinatio, boni electio, mali abjectio. Quantum ad primum, dicit: Prophetias nolite spernere, tamen omnia probate, sc. quæ sunt dubia. Manifesta enim examinatione non indigent. (1 *Joan.* 4.) *Omni spiritui nolite credere.* (*Job.* 12.) *Nonne auris verba dijudicat?* Quantum ad secundum, dicit: *Quod bonum est tenete.* (*Gal.* 4.) *Bonum autem æmulamini in bono semper.* Quantum ad tertium, dicit: *Ab omni specie mala abstinete vos.* (*Is.* 7.) *Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Et dicit, specie, quia etiam quæ habent similitudinem malitiæ vitare debemus, quæ sc. non possemus servare coram hominibus absque scandalo eorum.

Deinde cum dicit: *Ipse autem*, subdit orationem, et circa hoc tria facit: quia primo orat pro eis: secundo dat spem de exauditione: tertio dat speciales monitiones. Dicit ergo: *Ita moneo*, sed nihil valet, nisi Deus gratiam det. Unde: *Ipse Deus pacis, sanctificet vos.* (*Lev.* 21.) *Ego Dominus, qui sanctifico vos, etc.* — *Per omnia*, id est, ut sitis totaliter sancti. Et hoc: *Ut integer, etc.* Occasione enim verborum istorum dixerunt quidam quod in homine aliud est spiritus, et aliud anima, ponentes duas in homine animas. Unam quæ animat, aliam quæ ratiocinatur. Et hæc sunt reprobata in ecclesiasticis dogmatibus. Unde sciendum, quod hæc non differunt secundum essentiam, sed secundum potentiam. In anima enim nostra sunt quædam vires, quæ sunt actus corporalium organorum, sicut sunt potentiæ sensitivæ partis. Aliæ sunt, quæ non sunt actus talium organorum, sed sunt abstractæ ab eis, sicut sunt

potentiæ intellectivæ partis. Et hæ dicuntur spiritus, quasi immateriales et separatæ aliquo modo a corpore, inquantum non sunt actus corporis, et dicuntur etiam mens. (*Ephes.* 4.) *Renovamini spiritu mentis vestræ.* Inquantum autem animat, dicitur anima, quia hoc est ei proprium. Et loquitur hic Paulus proprie. Nam ad peccandum tria concurrunt, ratio, sensualitas, et executio corporis. Optat ergo, quod in nullo horum sit peccatum. Non in ratione. Unde dicit: *Ut spiritus,* id est, mens vestra, servetur integer. In omni enim peccato ratio corrumpitur, secundum quod omnis malus est ignorans. Item nec in sensualitate. Unde dicit: *Anima.* Item nec in corpore, et ideo dicit: *Et corpus.* Hoc autem fit sic quando servatur immune a peccato. Et dicit: *Sine querela,* non sine peccato, quod est solius Christi, sed esse sine querela, est etiam aliorum, qui etsi venialia, non tamen committunt gravia, et quibus proximus scandalisatur. (*Luc.* 1.) *Incedentes in omnibus mandatis, et justificationibus Domini sine querela.* Et addit: *In adventu, etc.*, sc. perdurando usque in finem vitæ. Vel integer spiritus refertur ad donum Spiritus Sancti, quasi dicat: Donum Spiritus Sancti, quod habetis sit integrum.

Deinde cum dicit: *Fidelis, etc.*, dat spem exauditionis, quasi dicat: Ut ego spero, sic fiet, quia et ipse qui vocavit faciet, id est, complebit. (*Ps.* 144.) *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, etc.* (*Rom.* 8.) *Quos vocavit, hos et justificavit, etc.* Ultimo subjungit familiares monitiones, sc. orationem, ibi: *Orate.* Item mutuam pacem, ibi: *Salutate omnes fratres in osculo sancto,* non proditorio, sicut Judas. (*Matth.* 26.) Nec libidinoso, ut libidinosa mulier. (*Prov.* 7.) *Ut legatur, etc.* Timebat enim ne prælati propter aliqua quæ erant hic eam occultarent. (*Prov.* 11.) *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, etc.* Ultimo concludit epistolam in salutatione.

DIVI THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

SUPER II EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES.

PROLOGUS.

Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis, diebus novissimis, etc. (*Gen.* 49.) Hæc verba competunt huic epistolæ. Duo enim tanguntur, quæ ei conveniunt, sc. fructus, et ejus materia. Unde dicitur : Ut annuntiem, etc. Agitur enim in ea de his, quæ ventura sunt in diebus novissimis, quæ sunt tria, sc. pericula ecclesiæ, tempore Antichristi. (2 *Tim.* 3.) *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa, etc.* Item malorum supplicia. (*Ps.* 72.) *Donec intrem sanctuarium Dei, etc.* Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur. Item præmia bonorum. (*Prov. ult.*) *Fortitudo et decor, indumentum ejus.* Et de his agitur in hac epistola. Utilitas ostenditur, quia congregamini. Sic acquiritur ex hac epistola congregatio, sc. concordantium in veritate, quia discordabant de judicio futuro, propter hoc quod dicit in prima epistola. Deinde nos qui vivimus, etc. (*Ps.* 146.) *Dispersiones Israelis congregabit.* Item voluntatum, quia cum considerant, quod quæcumque temporalia sunt, in novissimo mundi peribunt, datur intelligi, quod eos congregant ad unum quærendum, sc. cœleste præmium. (*Eccl.* 30.) *Congrega cor tuum in sanctitate ejus.* Item cogitationum ad unam stabilem veritatem. (*Is. ult.*) *Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem, etc.* Sic ergo patet fructus et materia, quia in prima munivit eos contra persecutiones præteritas, hic munit eos contra futuras.

CAPUT I.

Gratias agit Deo de profectu Thessalonicensium in fide, ac cæteris virtutibus.

1. *Paulus et Silvanus et Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensium in Deo patre nostro et Domino Jesu Christo.*
2. *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo.*
3. *Gratias agere debemus semper pro vobis fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem.*
4. *Ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei, pro patientia vestra, et fide, et in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus, quas sustinetis.*
5. *In exemplum justi judicii, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini.*

Dividitur hæc epistola in salutationem, et epistolarem narrationem, ibi: *Gratias agere debemus, etc.* Item primo ponuntur personæ salutantes. Secundo personæ salutatæ. Tertio bona optata. Sunt autem eædem personæ, quæ et in prima. Tres autem personæ salutantes ponuntur, ut auctoritas epistolæ robustior appareat. (*Eccl.* 4.) *Funiculus triplex difficile rumpitur.* – *Ecclesiæ Thessalonicensium, etc.* Ecclesia congregationem dicit: quæ debet esse in Deo, alias est mala. De bona dicitur (*Ps.* 46.) *Congregate illi sanctos ejus, etc.* — *In Christo,* id est, in ejus fide. (*Rom.* 5.) *Per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam.* Deinde optat eis bona, et primo pacem. Ipsa est enim principium omnium spiritualium donorum. (1 *Cor.* 15.) *Gratia Dei sum id quod sum.* Item, pacem quæ est finis hominum. (*Ps.* 147.) *Qui posuit fines tuos pacem, etc.* Et hoc: *A Deo, etc.* (*Jac.* 1.) *Omne datum optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a patre luminum, etc.* — *Et Domino Jesu, etc.* (2 *Petr.* 1.) *Per quem maxima et pretiosa nobis donavit.* — *Gratias agere debemus, etc.* Hæc est epistolaris narratio. Et primo instruit eos de futuris in novissimis diebus. Secundo admonet eos familiariter de quibusdam, in tertio capite, ibi: *De cætero fratres, etc.* Item primo monet sicut dictum est, quantum ad præmia bonorum, et pœnas malorum. Secundo quantum ad pericula tempore Antichristi, 2 cap., ibi: *Rogamus autem vos, etc.* Item primo agit gratias de præparatione ad futurum judicium. Secundo describit ipsum judicium, ibi: *Si tamen justum.* Item primo gratias agit de profectu. Secundo ostendit fructum profectus. Tertio signum. Dicit ergo: Gratias agere debemus, etc. Nam quia in prima epistola commendavit eos de fide et charitate, et aliis bonis in quibus abundabant, ideo dicit: *Gratias agere debemus semper pro vobis,* quia bonum, quod habetis, reputo meum. (2 *Joan.* 3.) *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Et hoc Deo, sine quo nihil boni potest fieri. Et hoc dignum est, quia de magnis bonis agimus gratias. (2 *Mach.* 1.) *De magnis periculis a Deo liberati magnifice gratias agamus.* Quare? *Quia supercrescunt* bona spiritualia. Periculose enim custodiuntur, nisi proficiat in eis homo. In his donis autem Dei, primum

est fides; per quam Deus habitat in nobis, et in hac proficimus secundum intellectum. (*Eph.* 4.) *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Et sic proficit homo per cognitionem, devotionem et inhæsionem. Secundum est charitas, per quam Deus est in nobis secundum effectum. (1 *Joan.* 4.) *Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Et ideo dicit: *Et abundat.* (*Prov.* 15.) *In abundanti justitia, virtus est maxima, etc.* (1 *Thess.* 4.) De charitate autem fraternitatis non necesse habuimus scribere vobis, ipsi enim a Deo didicistis, ut diligatis invicem, etc.

Et tunc ponitur profectus, cum dicit: *Ita quod ego glorior inde apud alios,* quia vestra reputo mea. Bonum enim discipulorum est gloria prælatorum. (*Prov.* 10.) *Filius sapiens lætificat patrem, etc.* (*Prov.* 17.) *Corona senum, filii filiorum, etc.* (2 *Cor.* 9.) *Pro quo de vobis glorior.* Et tunc ponit signum profectus, sc. patientiam, quæ ostenditur maxime in tribulationibus. (*Jac.* 1.) *Beatus vir, qui suffert tentationem, etc.* In tribulationibus sunt duo servanda, sc. patientia, ne discedat a fide. (*Jac.* 1.) *Patientia opus perfectum habet.* Et fides in persecutionibus. (1 *Cor.* 4.) *Persecutionem patimur et sustinemus.* Unde dicit: *In fide, in omnibus persecutionibus vestris et tribulationibus.* Quæ quidem tribulationes dicuntur a tribulis, quibus interius per afflictiones pungimur. (*Gen.* 3.) *Spinas et tribulos germinabit tibi.* (*Ps.* 24.) *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt.* Et hæc sancti sustinent propter duo, sc. propter terrorem malorum. Si enim Deus non parcit bonis in hoc mundo, quomodo parcet malis in futuro? (1 *Petr.* 2.) *Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei evangelio, etc.* (*Jer.* 49.) *Ecce quibus non erat judicium, ut biberent calicem, etc.* Secundo ad augendum meritum. Unde dicit: *Ut digni, etc.* Nam ut dicitur (*Matth.* 11.) *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Et (*Luc. ult.*) *Nonne hæc oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* (*Rom.* 8.) *Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.* Unde dicit: *Pro quo et patimini.* Tribulatio enim quæ fertur pro Deo, facit dignum regno Dei. (*Matth.* 5.) *Beati qui persecutionem patiuntur, etc.* (1 *Petr.* 4.) *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus aut alienorum appetitor.*

LECTIO 2.

Bona, et mala a judice Deo præmianda esse dicit, quare hortatur ne in passionibus deficiant.

6. *Si tamen justum est apud Deum retribuere, tribulationem his, qui vos tribulant.*
7. *Et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum, in revelatione Domini Jesu de cœlo cum angelis virtutis ejus.*
8. *In flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum, et qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi.*
9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas, a facie Domini, et a gloria virtutis ejus.*
10. *Cum venerit glorificari in sanctis suis, et admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt, quia creditum est*

testimonium nostrum super vos in die illo.

11. *In quo etiam oramus semper pro vobis, ut dignetur vos vocatione sua Deus, et impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, et opus fidei in virtute.*

12. *Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in vobis, et vos in illo, secundum gratiam Dei nostri et Domini Jesu Christi.*

Supra egit de eorum idoneitate ad futurum judicium, hic agit de forma judicii. Et primo ponit judicium quantum ad punitionem malorum et præmia bonorum. Secundo de utraque parte sigillatim, ibi: *In flamma.* Item primo ponit judicium quantum ad punitionem malorum. Secundo quantum ad præmia bonorum, ibi: *Cum venerit.* Quantum ad primum dicit supra, sustinetis in exemplum, etc. Hic subinfert, *Si tamen justum est*; si, pro quia. Unde alia littera habet: Si quidem. Vel, si tamen, referatur in exemplum justi judicii, quasi dicat: Justum est, quod hæc patiamini, si tamen ex hoc mereamini, sed prima littera et expositio est melior. *Justum est retribuere.* (*Ps.* 93.) *Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.* (*Is.* 33.) *Væ qui prædaris, nonne et tu prædaberis? Retributionem*, sc. æternæ damnationis. (*Rom.* 8.) *Tribulatio, an angustia, etc. — Et vobis qui tribulamini requiem.* (*Luc.* 16.) *Recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* (*Apoc.* 14.) *Amodo enim jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* — *Nobiscum*, id est, æqualem gloriam. Sed numquid hoc est verum? Respondeo: duplex est æqualitas, sc. absoluta quantitatis, et proportionis. Et prima non est æqualis quantum ad participationem hominis, sed æqualis quantum ad beatitudinem participatam, quæ est Deus: homo enim participat secundum magis et minus, sc. secundum quod ardentius, vel minus ardenter amat Deum. Sed secundum secundam, omnimoda æqualitas erit, quia ita est gloria Petri ad gratiam sibi datam et meritum suum, sicut gloria Lini ad suam. Hoc, inquam, erit in revelatione, etc. (*Joan.* 5.) Pater omne judicium dedit filio suo, et hoc inquantum filio hominis: unde sequitur, et potestatem dedit ei judicium facere; quia in forma humana omnibus apparebit, sed modo non apparet, quia humanitas ejus latet in gloria Dei, sed tunc apparebit. (*Is.* 40.) *Et revelabitur gloria Domini, etc.* Et hoc: *Cum angelis virtutis ejus*, ministris suis. (*Matth.* 25.) *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, etc.*

Deinde cum dicit: *In flamma ignis*, agit de utraque, sc. punitione malorum, et præmiatione bonorum, sed in punitione malorum ostendit, acerbam, justam et diuturnam. Dicit ergo: *Dantis vindictam*, id est, judicantis puniendos in flamma ignis, faciem orbis comburentis, et involventis reprobos, et detrudentis in perpetuum. (*Ps.* 96.) *Ignis ante ipsum præcedet, etc.* Item erit justa propter duplicem culpam, sc. infidelitatis, et malæ vitæ. Quantum ad primum, dicit: *Qui non noverunt*, id est, noluerunt cognoscere, *Deum.* (*Job.* 21.) *Scientiam viarum tuarum nolumus.* (1 *Cor.* 14.) *Ignorans ignorabitur, etc.* Quantum ad secundum, dicit: *Qui non obediunt evangelio Domini nostri Jesu Christi.* (*Rom.* 10.) *Non omnes obediunt evangelio.* Inobedientia est tantum peccatum, quod per eam mors venit in hunc mundum, ut dicitur (*Rom.* 5.) Item est diuturna, quia pœnas dabunt in igne æternas. Et potest legi dupliciter, secundum quod duplex est pœna [illegible]

sensus et damni. De pœna sensus potest intelligi sic: Dabunt, id est, sustinebunt pœnas æternas non finiendas, et hoc in interitu, quia semper morientur. Aliter enim est de pœnis hujus vitæ et illis. Nam hic quanto plus acerbiores, tanto sunt breviores, quia extinguuntur, sed illæ sunt gravissimæ, quia sunt pœnæ mortis, et sunt interminabiles. Unde dicitur, quod semper erunt quasi in morte. (*Ps.* 48.) *Mors depascet eos.* (*Is. ult.*) *Vermis eorum non morietur.* Pœna autem damni est duplex, quia separabuntur a visione Dei. Unde dicit: *A facie Domini*, sc. remoti. (*Job.* 13.) *Non veniet in conspectu ejus omnis hypocrita.* Alia est privatio visionis gloriæ sanctorum. (*Is. ult.*) *Tollatur impius ne videat gloriam sanctorum, etc.* Vel aliter, *A facie Domini, etc.* In hoc ostenditur causa acerbitatis pœnæ sensus. Sensus enim alicujus evacuatur, vel propter superiorem judicem, vel propter superioris potentiam, sed hoc non erit, quia hoc judicium procedet a facie Domini. (*Ps.* 16.) *De vultu tuo judicium meum prodeat, etc.* Et ideo dicit: Dabunt pœnas, id est, sustinebunt a facie Domini.

Deinde cum dicit: *Cum venerit*, agit de præmiatione sanctorum. Et primo ponit præmium, secundo meritum, ibi: *Qui crediderunt.* Gloriam sanctorum commendat, et quantum ad essentiam, per participationem gloriæ Dei, cum dicit: *Glorificari, etc.* Et quantum ad ejus excessum, ibi: *Et admirabilis.* Dicit ergo, *Cum venerit*; Christus certe gloriosus est. (*Phil.* 2.) *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei patris.* — *Glorificari in sanctis ejus*: Quia bonum sui est communicativum, vel glorificari in sanctis ejus, qui sunt membra sua, in quibus habitat, et in quibus glorificatur, quando sua sc. capitis, derivatur usque a membra. (*Is.* 49.) *Servus meus Israel, quia in te gloriabor.* I excedit omnem admirationem. dicit: *Admirabilis, etc.* Siquide miratio est stupor procedens ex fantasia. Tanta vero sanctorum non potest cadere in opinionem num. Et ideo dicit: *Admirabilis* 5.) *Mirabuntur in subitatione ratæ salutis, etc.*

Deinde ponit meritum, ibi *crediderunt, etc.* Et ponit prim ritum fidei. Secundo suffragiun tionis, ibi: *In quo.* Dicit ergo erit gloria, quia creditum est n testimonium super vos, quod c mus de Christo, *In illo die*, i propter illum diem, quia bon agimus, sunt propter illum die dicit: *Hoc testimonium est supe* id est, super sensum humanum. 6.) *Plurima super sensum homin* Fides enim non habet meritu humana ratio præbet experime Nisi enim esset supra vos, non magni meriti credere. Vel dicit vos, id est, dominatur vobis sub tibus intellectum vestrum hu ad credendum. (2 *Cor.* 10.) *In c tatem redigentes omnem intellect obsequium Christi.* Sic exponit Vel aliter et magis secundum litt Dico, quod glorificabitur Chris vobis, qui credidistis, in die j quando Apostoli judicabunt, e testimonium, quod est super v est, de promptitudine fidei v erit certum et creditum, id es dibile.

Deinde cum dicit: *In quo o etc.*, subjungit suffragium ora et primo proponit, quod petit; s quo fine, ibi: *Ut dignetur.* Ter quod posset assequi petitum

Secundum gratiam. Petit autem unum ex parte Dei, et duo ex parte nostra. Dicit ergo: *In quo*, id est, propter quem diem, *Etiam nos oramus semper.* (*Rom.* 1.) *Sine intermissione memoriam vestri facio semper in orationibus meis.* (1 *Reg.* 13.) *Absit autem hoc peccatum a me in Domino, ut cessem orare pro vobis.* Sed ad quid? *Ut dignetur vos vocatione sua Deus*, id est, faciat vos in mundo digne conversari suæ vocationi. (*Eph.* 4.) *Digne ambuletis vocatione qua vocati estis.* Item ex parte nostra duo petit, ex parte voluntatis, ut plene fruantur omni bonitate. Unde dicit: *Ut impleat omnem voluntatem bonitatis*, id est, impleat in vobis voluntatem omnis boni. (*Phil.* 1.) *Qui operantur in nobis velle et perficere pro bona voluntate.* Item ex parte intellectus, ut perfecte credant; ideo dicit: *Et opus fidei.* (*Rom.* 10.) *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et hoc operemini: *In virtute*, id est, in constantia et fortitudine, ut nullo timore cessetis a confessione ejus. Vel sic: *In quo*, id est, propter quem diem oramus, ut Deus dignetur vobis dare illud ad quod vocavit vos. (1 *Petr.* 3.) *In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.* Et impleat omne bonum, quod desideratis, quod est in vita æterna, quando habebimus Deum. (*Ps.* 102.) *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Item impleat opus fidei, quod erit quando id quod hic per speculum et in ænigmate videmus, videbimus tunc facie ad faciem. Sed quo fine? *Ut clarificetur nomen Domini nostri Jesu Christi, etc.*, id est, ad gloriam Christi sit: et per vos tam in præsenti quam in futuro nomen Christi glorificetur in bonis vestris. (*Matth.* 5.) *Videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* E converso de malis dicitur (*Is.* 52 *et Rom.* 2.) *Nomen Dei per vos blasphematur.* Sed per quid poterimus illud consequi? *Secundum gratiam Dei nostri*, quæ est radix omnium bonorum nostrorum. (1 *Cor.* 15.) *Gratia Dei sum id quod sum, etc.*

CAPUT II.

Instruit eos ne discedant a veritate, quasi dies judicii immineat, quia primo revelandus est Antichristus, qui vocatur a Paulo, homo peccati.

1. *Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum.*
2. *Ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.*
3. *Ne quis vos seducat ullo modo. Quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis.*
4. *Qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur, Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.*
5. *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis?*

Superius Apostolus ostendit futura, quantum ad pœnas malorum, et præmia bonorum, hic annuntiat futura, quantum ad pericula ecclesiæ, quæ erunt tempore Antichristi. Et primo nuntiat veritatem de futuris periculis. Secundo monet, ut in veritate permaneant, ibi: *Itaque fratres.* Circa primum duo facit, quia primo excludit

falsitatem. Secundo instruit de veritate, ibi: *Quoniam nisi.* Iterum prima in tres, quia primo commemorat illud ex quo debent induci. Secundo ostendit ad quid debent induci, ibi: *Ut non cito.* Tertio removet illud quod eos movere posset. ibi: *Neque per spiritum.* Inducit autem ex tribus, sc. propriis precibus, ibi: *Rogamus,* non præceptis. (*Phil.* 1.) *Multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet propter charitatem magis obsecro.* Secundo ex adventu Christi, desiderabili bonis, licet terribili malis. (*Amos.* 5.) *Væ desiderantibus diem Domini, etc.* (2 *Tim.* 4.) *Non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus, etc.* (*Apoc. ult.*) *Veni Domine Jesu, etc.* Tertio ex desiderio et amore totius congregationis sanctorum. *In idipsum,* sc. ubi Christus est, quia (*Matth.* 24.) *Ubi erit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.* Vel in idipsum, id est, in idem, quia omnes sancti loco et gloria erunt in eodem. (*Ps.* 49.) *Congregate illi sanctos ejus.* Sed ad quid inducit? *Ut non cito moveamini a vestro sensu.* Est autem aliud moveri, aliud terreri. Movetur autem a suo sensu, qui prætermittit quod tenebat, quasi dicat: Non cito dimittatis doctrinam meam. (*Eccl.* 19.) *Qui cito credit, levis est corde.* Terror autem est quædam trepidatio, cum formidine contrarii. Et ideo dicit: *Ne terreamini.* (*Job.* 15.) *Sonitus terroris semper in auribus ejus.* Item si pax, illi semper insidias suspicantur. (*Sap.* 17.) *Cum enim sit timida nequitia, dat testimonium condemnationi, etc.*

Deinde cum dicit: *Neque per spiritum,* removet quod eos movere posset, primo in speciali, secundo in generali, ibi: *Ne quis.* Seducitur autem quis per falsam revelationem. Unde dicit: *Neque per spiritum,* id est, si quis dicat sibi revelatum per Spiritum Sanctum, vel a Spiritu Sancto aliquid quod est contra doctrinam meam. *Non terreamini.* (1 *Joan.* 4.) *Nolite omni spiritui credere.* (*Ezech.* 13.) *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.* Aliquando etiam satanas transfigurat se in angelum lucis, ut dicitur (2 *Cor.* 11. *et* 3. *Reg. ult.*) *Egrediar, et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Secundo per ratiocinationem, vel falsam expositionem scripturæ; ideo dicit: *Neque per sermonem.* (2 *Tim.* 2.) *Sermo eorum ut cancer serpit.* (*Eph.* 5.) *Nemo vos seducat inanibus verbis.* Tertio per auctoritatem inductam in malo intellectu. (2 *Petr. ult.*) *Sicut charissimus frater noster Paulus, secundum sibi datam sapientiam scripsit vobis, sicut in omnibus epistolis, loquens in eis de his, in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et cæteras scripturas, etc.* Sed de quo seducebantur? *Quasi instet dies Domini.* Et dicit: *Neque per epistolam tanquam per nos missam.* Quia in prima epistola nisi bene intelligatur, videtur dicere, instare Domini adventum, ut illud: Deinde nos qui vivimus, etc.

Deinde cum dicit: *Ne quis, etc.,* facit idem in generali. (*Luc.* 21.) *Videte ne seducamini, etc.* (1 *Cor.* 15.) *Nolite seduci.* Ratio autem quare hæc removet Apostolus, sc. de adventu Domini, est, quia prælatus nullo modo debet velle quod per mendacium aliqua bona procurentur. (1 *Cor.* 15.) *Invenimur autem et falsi testes, etc.* Item quia res credita erat periculosa, quod sc. instaret dies Domini. Primo quia daretur occasio majoris seductionis, quia futuri erant post tempora Apostolorum aliqui, qui dicerent se esse Christum.

(*Luc.* 21.) *Multi dicent, ego sum, etc.* Et ideo Apostolus noluit. Item dæmon frequenter prætendit se esse Christum, sicut patet de beato Martino. Et ideo ne seducantur, noluit. Augustinus autem ponit aliam rationem, quia imminet periculum fidei, unde diceret aliquis, tarde veniet Dominus, et tunc præparabo me ad eum. Alius diceret: Veniet cito, et ideo nunc me præparabo. Alius diceret: Nescio. Et hic melius dicit, quia concordat Christo. Sed ille plus errat, qui dicit: cito; quia elapso termino homines desperarent, et crederent falsa esse, quæ scripta sunt.

Deinde cum dicit: *Quoniam nisi venerit discessio, etc.* astruit veritatem; et primo ostendit quæ ventura sunt ad Antichristi adventum. Et sunt duo, quorum unum præcedit adventum Antichristi. Aliud est ipse adventus ejus; primum est discessio, quod multipliciter exponitur in Gloss. Et primo a fide, quia futurum erat, ut fides a toto mundo reciperetur. (*Matth.* 24.) *Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe.* Istud ergo præcedit quod (secundum Augustinum) nondum est impletum; et post multi discedent a fide, etc. (1 *Tim.* 4.) *In novissimis temporibus discedent quidam a fide, etc.* (*Matth.* 24.) *Refrigescet charitas multorum.* Vel discessio a Romano imperio, cui totus mundus erat subditus. Dicit autem Augustinus, quod hoc figuratur (*Dan.* 2.) In statua, ubi nominantur quatuor regna; et post illa adventus Christi, et quod hoc erat conveniens signum, quia Romanum imperium firmatum fuit ad hoc, quod sub ejus potestate prædicaretur fides per totum mundum. Sed quomodo est hoc, quia jamdiu Gentes recesserunt a Romano imperio, et tamen necdum venit Antichristus?

Dicendum est, quod nondum cessavit, sed est commutatum de temporali in spirituale, ut dicit Leo Papa in sermone de Apostolis. Et ideo dicendum est, quod discessio a Romano imperio debet intelligi, non solum a temporali, sed a spirituali, sc. a fide catholica Romanæ ecclesiæ. Est autem hoc conveniens signum, quod sicut Christus venit quando Romanum imperium omnibus dominabatur, ita e converso signum Antichristi est discessio ab eo. Secundo prædicit secundum futurum, sc. Antichristum. Et primo quantum ad ejus culpam et pœnam. Secundo quantum ad ejus potestatem, ibi: *Eum cujus adventus.* Item primo communiter et implicite tangit culpam ejus et pœnam. Secundo explicat utrumque, ibi: *Qui adversatur.* Dicit ergo: Discessio primo veniet, et tunc revelabitur. Dicitur autem esse *Homo peccati et filius perditionis*, secundum Gloss. quia sicut in Christo abundavit plenitudo virtutis, ita in Antichristo multitudo omnium peccatorum. Et sicut Christus est melior omnibus sanctis, sic ille pejor omnibus malis. Et propter hoc homo peccati dicitur, quod totaliter erit peccatis deditus. Sed non dicitur sic homo peccati, quin posset esse pejor, quia nunquam malum corrumpit totum bonum, licet quantum ad actum non poterit esse pejor. Christo autem nullus homo potuit esse magis bonus. Dicitur autem *Filius perditionis*, id est, deputatus extremæ perditioni. (*Job.* 21.) *In diem perditionis servabitur malus, et ad diem furoris ducetur.* Vel *perditionis*, id est, diaboli, non per naturam, sed per suæ malitiæ complementum, quæ in eo complebitur. Et dicit: *Revelabitur.* Quia sicut omnia bona et virtutes sanctorum, qui præcesserunt Christum, fuerunt figura Christi; ita in omnibus persecutionibus ecclesiæ tyranni fuerunt

quasi figura Antichristi, et latuit ibi Antichristus: et ita tota illa malitia, quæ latet in eis, revelabitur in tempore illo.

Deinde cum dicit: *qui adversatur*, explicat quæ dixerat. Et primo ostendit quomodo sit homo peccati. Secundo quomodo filius perditionis, ibi: *Et tunc revelabitur*. Item primo prænuntiat ejus futuram culpam. Secundo assignat ejus causam, ibi: *Et tunc*. Item primo describit culpam. Secundo dicit se non annuntiare doctrinam novam, ibi: *Nonne*. Item primo ostendit culpam. Secundo ejus signum, ibi: *Ita ut, etc.* Duplex est autem ejus culpa, sc. contrarietas ad Deum. Unde dicit: *qui adversatur* omnibus spiritibus bonis. (*Job.* 15.) *Cucurrit adversus Deum erecto collo, et pingui cervice, armatus est, sicut et membra ejus.* (*Is.* 3.) *Lingua eorum et adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.* Secunda est, quia præfert se Christo, ideo dicit: *Extollitur, etc.* Dicitur autem Deus tripliciter. Primo naturaliter. (*Deut.* 6.) *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Secundo opinative. (*Ps.* 95.) *Omnes dii gentium dæmonia.* Tertio participative. (*Ps.* 81.) *Ego dixi, dii estis.* Omnibus autem his se præferet Antichristus. (*Dan.* 11.) *Elevabitur et magnificabitur adversus omnem Deum, et adversus Deum deorum loquetur magnifica.* Signum autem culpæ est, cum dicit: *Ita ut in templo, etc.* Superbia enim Antichristi major est superbia omnium præcedentium. Unde sicut de Caio Cæsare legitur, quod cum in vita adhuc esset, coli voluit, statuam suam ponens in quolibet templo, et (*Ezech.* 28.) de rege Tyri dicitur: *Dixisti, quia Deus ego sum, etc.* Ita credibile est, quod sic eis faciet Antichristus, dicens se Deum esse et hominem. Et in hujus signum sedebit in templo. Sed in quo templo? Nonne est destructum a Romanis? Et ideo dicunt quidam, quod Antichristus est de tribu Dan, cujus tribus inter alias duodecim non nominatur. (*Apoc.* 7.) Et ideo Judæi primo eum recipient, et reædificabunt templum in Jerusalem, et sic implebitur illud (*Dan.* 9.) *Erit in templo abominatio et idolum.* (*Matth.* 24.) Cum vero videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Quidam vero dicunt, quod nunquam Jerusalem, nec templum reædificabitur, sed usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio. Et hoc etiam aliqui Judæi credunt, ideo exponitur in templo Dei, id est, in ecclesia, quia multi de ecclesia eum recipient. Vel secundum Augustinum, in templo Dei sedeat, id est, principetur et dominetur, tanquam ipse cum suis nuntiis sit templum Dei, sicut Christus est cum suis.

Deinde cum dicit: *Non retinetis*, ostendit quod nihil novi scribet, quasi dicat: Olim cum essem apud vos, dixi hoc. (1 *Joan.* 2.) *Non mandatum novum scribo vobis, sed mandatum vetus, quod habuistis ab initio.* (2 *Cor.* 10.) *Quales fuimus verbo per epistolas absentes, tales et præsentes in facto, etc.*

LECTIO 2.

Mors revelatur Antichristi, et ejus adventus dilatio declaratur.

6. *Et nunc quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore.*
7. *Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.*
8. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui. Et destruet illustratione adventus sui eum.*
9. *Cujus est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus.*
10. *Et in omni seductione iniquitatis his qui pereunt.*

Superius Apostolus prænuntians narravit adventum et culpam Antichristi, hic ostendit causam dilationis. Et primo ostendit eos habere hujus scientiæ causam. Secundo causam illam obscure proponit, ibi: *Nam mysterium.* Dicit ergo: Dico quod oportet revelari hominem peccati. *Et quid nunc detineat,* id est, quæ sit causa, quod tardet, *Scitis*, quia ego dixi vobis, ita quod sic ad præsens detinet. *Ut suo tempore,* id est, congruo tempore, *Reveletur.* (*Eccl.* 8.) *Omni negotio tempus et opportunitas est.* Et ibidem 3. *Omnia fecit Deus bona in tempore, etc.*

Deinde cum dicit: *Nam mysterium, etc.* causam ejus ponit. Et hæc littera multipliciter exponitur, quia hoc mysterium potest esse nominativi casus, vel accusativi. Si primo modo, est sensus: dico ut suo tempore, quia etiam jam mysterium, id est, figuraliter occultatum operatur in fictis, qui videntur boni, et tamen sunt mali. Et hi operantur officium Antichristi. (2 *Tim.* 3.) *Habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Sed secundo modo est sensus. Nam diabolus, in cujus potestate veniet Antichristus, jam incipit operari occulte iniquitatem suam, per tyrannos et seductores, quia persecutiones ecclesiæ hujus temporis sunt figuræ illius ultimæ persecutionis contra omnes bonos, et sunt sicut imperfectæ comparando ad illam. *Tantum ut qui tenet, etc.* Hoc exponitur multipliciter. Uno modo secundum Gloss. et Aug. 20. de civitate Dei, qui dicunt, quod quidam opinati sunt Neronem, qui primo persecutus est Christianos, esse Antichristum, et quod non fuerat occisus, sed subtractus, et quandoque restituendus. Unde Apostolus hoc evacuans, dicit: *Tantum ut qui tenet nunc,* Romanum imperium; *Teneat donec de medio fiat,* id est, donec moriatur. Sed hoc modo non est conveniens: quia multi anni sunt, quod Nero mortuus est, illo sc. anno quo Apostolus: sed melius est quod referatur ad Neronem, prout est persona publica Romani imperii, donec de medio fiat, id est, tollatur Romanum imperium de hoc mundo. (*Is.* 23.) *Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, et ad ignominiam, etc.* Vel aliter: tantum ut qui tenet, id est, detinet modo adventum Antichristi, teneat, ne veniat: quasi sit necessarium, quod adhuc aliqui veniant ad fidem, et aliqui recedant, quasi dicat: Ut discessus et accessus, qui nunc tenet donec veniat, teneat donec tollatur ille obscenus. Vel sic: Tanquam qui nunc tenet fidem, teneat, id est, fi-

mus sit in ea. (*Apoc.* 2.) *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Donec de medio fiat, id est, congregatio malorum permixta, separetur, et fiat seorsum, quod erit in persecutione Antichristi. Vel, *Tantum, etc.*, id est, ut mysterium iniquitatis, id est, iniquitas mystica, quæ detinet, detineat donec fiat de medio, id est, donec iniquitas reducatur in publicum : et fiat quasi aliquid existens in publico de medio. Multi enim modo occulte peccant, sed tamen quandoque fiet in aperto : quia Deus sustinet peccatores quandiu sunt occulti, donec publice peccent, et tunc non sustinebit, ut patet de Sodomitis. (*Gen.* 19.) Sed tamen Augustinus confitetur se nescire quid Apostolus illis loquitur, qui jam sciebant. Unde dicit : *Quid nunc detineat, scitis.* Et præterea hoc non erat multum necessarium ad sciendum.

Deinde cum dicit : *Et tunc, etc.*, ponitur adventus iniqui, et pœna ejus. Primo manifestatio, secundo ejus pœna. Quantum ad primum, dicit : ille singulariter iniquus revelabitur, quia manifesta erit ejus culpa, *quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* (*Is.* 11.) *Zelus Domini exercituum faciet hoc,* id est, zelus justitiæ, qui est amor. Spiritus enim Christi est amor Christi, et hic zelus est Spiritus Sancti, quem habet ad ecclesiam. Vel spiritu oris sui, id est, mandato suo : quia Michael interfecturus est eum in monte Oliveti : unde Christus ascendit, sic et Julianus manu divina extinctus est. Et hæc est pœna præsens, licet futura etiam æternaliter punietur, quia *Destruet illustratione, etc.*, id est, in adventu suo omnia illustrante. (1 *Cor.* 4.) *Illuminabit abscondita tenebrarum, etc.* Et destruet, inquam, æterna, sc. damnatione. (*Ps.* 27.) *Destruet illos, etc.* Et dicit : illustratione, quia ipse visus est ecclesiam obtenebrare, et tenebræ expelluntur illustratione, quia quicquid Antichristus ostenderit, ostendetur fuisse mendacium.

Deinde cum dicit : *Eum cujus est adventus*, prædicit potestatem Antichristi. Et circa hoc duo facit : quia primo ponit potestatem ejus ad seducendum. Secundo hujus causam ex Domini justitia, ibi : *Eo quod charitatem.* Iterum prima in tres : quia primo ponit actorem hujus potestatis. Secundo modum seducendi. Tertio ostendit seducendos. Actor hujus potestatis est diabolus, et ideo destruet eum Christus. (1 *Joan.* 3.) *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Et ideo dicit : quod *Adventus Antichristi erit secundum operationem satanæ*, id est, ex instinctu ejus. (*Apoc.* 20.) *Solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, etc.* Operatur enim aliquid secundum operationem satanæ, sicut arrepticius, in quo non solum instigat voluntatem, sed etiam impedit usum rationis: quod tamen non imputatur ad culpam ejus, quia non habet usum liberi arbitrii. Antichristus autem non sic : sed habebit usum liberi arbitrii, in quo est diabolus suggerens, sicut dicitur de Juda. (*Joan.* 3.) *Introivit in eum satanas,* sc. instigando. Decipiet autem hoc modo : primo per potentiam secularem. Secundo per virtutem miraculorum. Quantum ad primum, dicit : *In omni virtute*, sc. seculari. (*Dan.* 11.) *Dominabitur thesaurorum auri et argenti, et in omnibus pretiosis Ægypti.* Vel virtute, sc. simulata. Quantum autem ad secundum, dicit : *In signis, etc.* Signa sunt quædam mira etiam parva. Prodigia vero magna, quæ aliquem prodigiosum ostendunt, quasi procul a digito. (*Apoc.* 13.) *Fecit signa magna, ita ut et ignem faceret descendere*

de cœlo, etc. (*Matth.* 24.) *Dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi.* Et dicit: *Mendacibus.* Miraculum mendax dicitur, vel quia deficit a vera ratione facti, vel a vera ratione miraculi, vel a debito fine miraculi. Primum fit in præstigiis, quando per dæmones illuduntur aspectus: ut aliud videatur, quam est: sicut Simon magus fecit decollari arietem, et postea ostensus est vivus et homo decollatus est: et postea homo, qui credebatur decollatus, ostensus est vivus, et creditus est resuscitatus. Et hoc faciunt homines commutando phantasmata et decipiendo. Secundo modo illa dicuntur miracula improprie, quæ plena sunt admiratione, quando effectus videtur et ignoratur causa. Quæ ergo habent causam occultam alicui, et non simpliciter, dicuntur quidem mira, et non miracula simpliciter. Sed quæ simpliciter causam occultam habent, sunt proprie miracula, quorum est ipse Deus gloriosus, quia totum ordinem naturæ creatæ transcendunt. Aliquando vero fiunt aliqua mira, sed non præter ordinem naturæ, sed occultas causas habent: et hæc multo magis faciunt dæmones, qui virtutes naturæ sciunt, et qui habent determinatas efficacias ad speciales effectus, et hæc faciet Antichristus: sed non quæ habent veram rationem miraculi, quia non possunt in illa quæ sunt supra naturam. Tertio modo dicuntur miracula, secundum quod sunt ordinata ad attestandum veritati fidei, ad reducendum fideles in Deum. (*Marc. ult.*) *Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.* Sed si alicui adest gratia miraculorum, et non utatur eis ad hoc, miracula quidem sunt vera quo ad rationem rei factæ, et quo ad rationem miraculi: sed sunt falsa quantum ad finem debitum, et intentionem Dei. Sed tamen hoc non erit in Antichristo: quia nullus contra fidem facit vera miracula, quia Deus non est testis falsitatis. Unde aliquis prædicans falsam doctrinam non potest facere miracula, licet aliquis habens malam vitam posset.

Deinde ostendit seducendos, cum dicit: *His qui pereunt,* id est, in præscitis ad perditionem. (*Joan.* 17.) *Nemo ex eis periit nisi filius perditionis.* Et hoc ideo, quia (*Joan.* 10.) *Oves meæ vocem meam audiunt.*

LECTIO 3.

Non tenentes charitatem, Antichristus seducet, ideo orandum est, ut vocemur a Deo, ac in veritate nos manere permittat.

10. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.*
11. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.*
12. *Nos autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti a Deo, quod elegerit nos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritus, et in fide veritatis.*
13. *In quam et vocavit vos per evangelium nostrum in acquisitione gloriæ Domini nostri Jesu Christi.*
14. *Itaque fratres state, et tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.*
15. *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et pater noster qui,*

dilexit nos, et dedit consolationem æternam et spem bonam in gratia:

16. *Exhortetur corda vestra, et confirmet in omni opere et sermone bono.*

Postquam ostendit in quibus habet locum deceptio Antichristi, sc. in præscitis ad damnationem, hic assignat causam prædictorum. Et primo ostendit causam hujus, et quomodo decipientur. Secundo quomodo fideles ab eo liberentur, ibi: *Nos autem.* Item primo ponit eorum culpam tantum. Secundo pœnam cum culpa. Tertio pœnam tantum. Et est hic processus peccati. Primo enim quis ex demerito primi peccati deseritur a gratia, et cadit in aliud peccatum, et post in æternum punitur. Dicit ergo, quod causa quare decipientur est, quia noluerunt recipere charitatis veritatem, id est, veritatem evangelii. (*Joan.* 8.) *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* (*Job.* 24.) *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* Et dicit: *Charitatem veritatis*, quia nisi sit formata fides per charitatem, nihil est. (1 *Cor.* 13.) *Si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, etc.* (*Gal. ult.*) *In Christo Jesu neque circumcisio neque præputium aliquid valet, sed nova creatura.* Et subdit: utilitatem veritatis dicens: *Ut salvi fierent.* (*Rom.* 5.) *Justificati ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum, etc.* Sed culpa et pœna est eorum seductio. Unde dicit: *Mittet*, id est, permittet illis venire operationem erroris. (*Is.* 19.) *Miscuit Dominus in medio ejus spiritum vertiginis.* (3 *Reg. ult.*) *Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus.* Et ideo dicit: *Ut credant mendacio*, id est, falsæ doctrinæ Antichristi. (*Rom.* 2.) *Propter quod tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniunt*, sed pœna tantum est æterna damnatio. Unde subdit: *Ut judicentur*, sc. judicio damnationis. (*Joan.* 5.) *Et procedent qui mala fecerunt in resurrectionem judicii, etc.* — *Omnes qui crediderunt veritati.* (*Joan.* 3.) *Qui non credit, jam judicatus est.*

Deinde cum dicit: *Nos autem*, ostendit quare fideles Christi liberentur. Et primo agit gratias pro eis. Secundo commemorat divina beneficia, quibus a talibus liberantur. Dicit ergo sic: Illi decipientur, sed *Nos debemus gratias agere.* (*Rom.* 1.) *Primum quidem gratias ago Deo meo semper pro vobis per Dominum, etc.* Duplex autem ponit Dei beneficium, sc. electionem Dei, quæ est æterna, et vocationem, quæ est temporalis, ibi: *In qua et vocavit nos.* Dicit ergo: *Quod*, pro quia, *Elegit nos*, sc. Apostolos, et vos, sc. fideles. (*Eph.* 1.) *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, etc.* (*Joan.* 15.) *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Circa electionem tria tangit, sc. ordinem electorum, finem electionis, et medium consequendi finem. Electi sunt omnes sancti a principio mundi. (*Deut.* 33.) *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Sed Apostoli specialiter sunt primitiæ. (*Rom.* 8.) *Nos ipsi primitias spiritus habentes, etc.* Et ideo dicit: *Primitias fidei.* Finis item electionis est salus æterna, et ideo dicit: *In salutem.* (1 *Tim.* 2.) *Omnes homines vult salvos fieri, etc.* Hoc autem fit primo ex parte Dei per gratiam sanctificantem. Unde dicit: *In sanctificatione spiritus.* Secundo ex parte nostra est consensus liberi arbitrii per fidem. Ideo subdit: *Et in fide veritatis.*

Deinde cum dicit: *In quam et vos vocavit, etc.*, ponit secundum beneficium, quod est vocatio temporalis Christi, quæ sequitur electionem. (*Rom.*

8.) *Quos vocavit, hos et justificavit, etc.* Et de hac vocatione nota parabolam (*Luc.* 14) de eo, qui fecit cœnam magnam, etc. Et addit: *Per evangelium nostrum*, id est, a me prædicatum. Sed ad quam cænam? *In acquisitione gloriæ*, id est, ut acquiramus Christi gloriam.

Deinde cum dicit: *Itaque, etc.*, monet tenere veritatem, et primo ponit monitionem, secundo orationem, ibi: *Ipse autem Dominus, etc.* Et facit primum, quia opus nostrum dependet a libero arbitrio. Secundum vero, quia indiget auxilio gratiæ. Et primo monet ad standum, cum dicit: *State in veritate.* (*Gal.* 5.) *State, et nolite iterum jugo servitutis contineri.* Secundo docet modum standi, ibi: *Et tenete traditiones*, id est, documenta, quæ a majoribus traduntur. Nam documenta quæ traduntur a minoribus, quandoque non sunt servanda, quando sc. contrariantur documentis fidei. (*Matth.* 15.) *Irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram.* Sed servanda sunt quæ ordinantur ad mandata Dei. *Quas didicistis.* (*Act.* 16.) *Paulus docebat, ut tenerent traditiones et documenta quæ erant decreta ab Apostolis et senioribus, qui erant Hierosolymis, etc.* Et has traditiones dupliciter ediderunt, quasdam verbis, unde dicit: *Per sermonem.* Quasdam in scripturis, ideo addit: *Sive per epistolam.* Unde patet, quod multa in ecclesia non scripta, sunt ab Apostolis docta, et ideo servanda. Nam multa secundum judicium Apostolorum melius erat, ut occultarentur, ut dicit Dionysius. Unde Apostolus (1 *Cor.* 10) dicit: *Cætera cum venero, disponam.*

Deinde ponit orationem, ibi: *Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, etc.*, quasi dicat: sic moneo, sed nihil valet nisi adsit divinum auxilium. Et ideo ponit primo duplex Dei beneficium. Primum est amor ejus ad nos, quo alia nobis impendit. Ideo dicit: *Dilexit nos.* Secundum est spiritualis consolatio, ibi: *Et dedit consolationem æternam.* (2 *Cor.* 1.) *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* (*Is.* 40.) *Consolamini, consolamini, populo meus, dicit Dominus Deus vester, etc.* Et dicit consolationem æternam, sc. contra omnia mala imminentia, et futura. Et ideo expectamus, *Spem bonam*, id est, bonorum æternorum infallibilitatem. (1 *Petr.* 1.) *Qui secundum magnam misericordiam suam regeneravit nos in spem vivam.* Et hoc, *In gratia*, sc. per quam speramus consequi vitam æternam. (*Rom.* 6.) *Gratia Dei vita æterna.* Petit autem pro eis exhortationem, quæ est monitio ducens animum ad volendum. Et hanc potest facere homo exterius: sed non esset efficax, nisi esset interius spiritus Dei. Unde dicit: *Exhortetur corda vestra*, id est, instiget. (*Osee* 2.) *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus.* Item petit confirmationem. Unde dicit: *Et confirmet.* (*Ps.* 67.) *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*, quasi dicat: exhortetur per gratiam, ut velimus, et confirmet ut efficaciter velimus. Et hoc: *In omni opere bono et sermone.* Præcedit opus sermonem, quia cœpit Jesus facere et docere. (*Act.* 1.)

quando aliquid est secundum se malum, et contra ordinem juris naturalis, ut Gloss. exponit. (1 *Cor.* 14.) *Ut omnia honeste et secundum ordinem fiant in vobis.* (*Rom.* 13.) *Omnia quæ sunt a Deo ordinata sunt.* Vel quia est prohibitum, et contra doctrinam ecclesiæ. Unde dicit: *Et non secundum traditionem, etc.* Supra secundo hujus: Tenete traditiones quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.

Deinde cum dicit: *Ipsi enim, etc.*, exponit quantum ad ultimum quod dixerat, sc. secundum traditiones, ostendens quæ sit traditio hæc, et quomodo acceperunt ab ipso. Est autem hæc traditio, ut non essent otiosi, vel curiosi. Et primo ostendit quomodo acceperunt verbo. Secundo quomodo exemplo. Item primo ostendit quod vitavit inquietudinem. Secundo quomodo. Tertio assignat causam. Dicit ergo: *Traditionem quam acceperunt, scitis, etc.*, quia prælati sunt imitandi non in omnibus, sed in his, quæ sunt secundum regulam Christi. (1 *Cor.* 4. *et* 11.) *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Et in quo? *Quoniam non inquieti fuimus inter vos.* Erant enim Thessalonicenses valde liberales. (1 *Thess.* 4.) *De charitate fraternitatis non necesse habemus scribere vobis, ipsi enim didicistis, etc.* Et hac ratione pauperes otiose vivebant, et ex otio dabant se operibus indebitis, nec pertinentibus ad eos. Et hoc erat inquietudo. Et ideo dicit: *Quoniam non inquieti, etc.* (1 *Thess.* 4.) *Operam detis, ut quieti sitis, etc.* Item: *Neque gratis panem manducavimus, etc.*, quia operibus manuum operabatur. (*Act.* 20) dicitur: *Ipsi scitis quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* (*Et Prov. ult.*) *Panem otiosa non comedit.* (*Num.* 16.) *Tu scis, quia nec asellum quidem unquam acceperim ab eis, etc.* — *Sed in labore et fatigatione.* Non parum, sed *Nocte et die*, id est, continue, quia aliquando oportebat eum prædicare et docere, et residuum ponebat in labore, *ne quem vestrum gravaremus.* (2 *Cor.* 12.) *Quid est quod præ cæteris minus habuistis, nisi quod non gravavi vos?*

Deinde cum dicit: *Non quasi, etc.*, assignat causam sui operis manualis. Ubi excludit primo causam falsam. Secundo ponit veram. Falsa quidem causa esset si quis diceret quod ei non liceret accipere ab eis sumptus. Et ideo dicit: *Non quasi non habuerimus*, immo habuimus potestatem vivendi de sumptibus fidelium. (1 *Cor.* 9.) *Qui altario deserviunt, cum altari participant.* (*Matth.* 10.) *Dignus est operarius cibo suo.* (1 *Cor.* 9.) *Sic et Dominus ordinavit his qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Et sic ex evangelio sunt duo genera hominum potestatem habentium vivere ex aliorum sumptibus, qui sc. altari deserviunt, et prædicatores.

Deinde cum dicit: *Sed ut vos, etc.*, ponit veram causam. Nam duplicem causam invenimus, quare Apost. manibus laboravit. Una apud Corinth. Alia hic. Illi enim erant avari et graviter tulissent, sicut ibi dicitur. Causa autem quare laboravit, hic fuit, horum otium. Et ideo dicit: *Ut nos formam daremus, etc.*, sc. laborandi. (1 *Tim.* 4.) *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* (1 *Petr.* 5.) *Forma facti gregis.* Alia causa ponitur in Gloss. 1 *Cor.* 4, sc. quando non invenimus qui det nobis, et tunc laborabat. Quarta causa erat, ut sicut monachi Ægypti non essent otiosi. (*Eccl.*

33.) *Multam malitiam docuit otiositas.* Unde qui non habent exercitium officii vel studii, vel lectionis, periculose vivunt otiosi.

LECTIO 2.

Persistit in otio amovendo, monetque ut quisque in sui sudore vultus pane vescatur, ac tandem valedicens, notissimo signo epistolam absolvit.

10. *Nam cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, nec manducet.*
11. *Audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquiete, nihil operantes, sed curiose agentes.*
12. *His autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus et obsecramus, in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent.*
13. *Vos autem fratres nolite deficere benefacientes.*
14. *Quod si quis non obedierit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et non commisceamini cum illo, ut confundatur.*
15. *Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.*
16. *Ipse autem Deus pacis det vobis pacem sempiternam in omni loco. Dominus sit cum omnibus vobis.*
17. *Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, ita scribo.*
18. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum omnibus vobis. Amen.*

Supra ostendit Apostolus quid eis suo exemplo tradidit, ut sc. non essent inquieti, sed ut operarentur, hic ostendit quomodo hoc præsens verbis et factis tradidit. Unde dicit: *Cum essemus,* quasi dicat: Ut formam daremus vobis, fecimus quod docuimus, quia *Hoc denuntiabamus, quoniam, etc.* Hæc verba sicut dicit Gloss. et Aug. in libro de operibus monachorum, quidam pervertebant quod non sit licitum servis Dei manibus operari, propter hoc quod dicitur (*Matth.* 6.) *Nolite solliciti esse, etc.* Nam dicunt hanc operationem pertinere ad sollicitudinem victus. Et propter hoc istud referebant ad spiritualia opera, quasi dicat: Si quis non vult facere opera meritoria et spiritualia, non est dignus manducare. Sed hoc est contra intentionem Apostoli, qui dicit: *Denuntiabamus* nos sic fecisse, sc. in labore et fatigatione. Sed quid est, quoniam si quis non vult, etc. Estne hoc consilium vel præceptum? Et videtur esse præceptum, quia infra dicitur: *Si quis non obedierit verbo nostro, etc.* Ergo omnes tenentur manibus operari. Qui igitur non operatur manibus, sed stat otiosus, peccat mortaliter. Respondeo: dicendum est quod est præceptum, sed aliquid præcipitur dupliciter, simpliciter, vel sub conditione. Simpliciter præcipitur, quod per se est necessarium ad salutem, et hæc sunt opera virtutum. Sub conditione vero, ut quando talis est casus, quod sine opere manuali præceptum servari non potest. Præcipitur autem homini quod corpus suum sustentet, alias enim est homicida sui ipsius. (*Gen.* 2.) *De omni ligno paradisi comede, etc.* Ex præcepto ergo tenetur homo corpus suum nutrire, et similiter ad omnia, sine quibus corpus non potest vivere, tenemur. Unde quicumque non habet alias, unde corpus sustentet licite, vel possessione, vel licito negotio, tenetur laborare, ne furetur. (*Eph.* 4.) *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret operando manibus*

suis, etc. Est ergo præceptum, quando aliter non potest licite vivere. Unde dicit: Si quis non vult operari, nec manducet. Est ergo alterum duorum necessarium, ut homo possit manducare, sc. vel quod habeat possessionem, vel quod licite procuret. (*Ps.* 127.) *Labores manuum tuarum, quia manducabis, etc.* (1 *Thess.* 4.) *Operamini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, etc.*

Deinde cum dicit: *Audivimus, etc.*, ponit necessitatem hujus præcepti, quia Apostolus dicit hoc non tam ex officio docentis, quam propter vitium gentis. Ideo primo ponit culpam quæ inducit necessitatem præcepti. Secundo adhibet remedium, ibi: *His autem qui, etc.* Dicit ergo: *Audivimus, etc.*, quasi dicat: Ideo non occulto hoc præceptum, quia audivimus quosdam, etc. Anima enim hominis semper oportet quod circa aliquid occupetur, et ideo necesse est quod otiosi inquietudinem patiantur circa illicita. (1 *Thess.* 4.) *Operam detis ut quieti sitis, etc.* Et addit: *Sed curiose agentes*, sc. de negotiis aliorum. (*Prov.* 21.) *Desideria occidunt pigrum.* Deinde adhibet remedium, cum dicit: *His autem qui, etc.* Et primo ex parte peccantium. Secundo ex parte aliorum, ibi: *Vos autem, etc.* Dicit ergo: *His qui sunt ejusmodi denuntiamus* severe, ut prælatus, et obsecramus charitative, ut pater eorum, ut *Panem suum*, non alienum, sed debitum sibi, sc. licite acquisitum. *Cum silentio*, id est, sine inquietudine non discurrendo manducet. (*Is.* 30.) *Cultus justitiæ, silentium.* (*Ezech.* 33.) *Multam malitiam docuit otiositas.*

Deinde cum dicit: *Vos autem, etc.*, ex parte aliorum non peccantium duplex adhibet remedium. Primo, sc. quod non cessent benefaciendo, secundo quod illos corripiant, ibi. *Quod si quis, etc.* Dicit ergo: *Vos autem, etc.*, quasi dicat: Nolite deficere benefaciendo, licet otiosi abutantur. (*Gal.* 6.) *Bonum facientes, non deficiamus, etc.* Et hoc necessarium est, etiam si operentur manibus, et non deesset illis aliquid, quia necessaria est aliis subventio.

Deinde cum dicit: *Quod si quis, etc.*, innuit quod corrigantur, et primo ostendit quo ordine puniantur, secundo ostendit effectum pœnæ, ibi: *Ut confundantur*, tertio finem, ibi: *Et nolite, etc.* In ordine vero primo ponit culpam, secundo ejus manifestationem, tertio ejus punitionem. Culpa est inobedientia, et ideo dicit: *Quod si quis non obedierit.* (1 *Reg.* 15.) *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Manifestatio et convictio ponitur, cum dicit: *Hunc per epistolam notate*, id est, manifestate, sed per veritatis inquisitionem. (*Job.* 29.) *Causam quam nesciebam, diligentissime investigabam.* Pœna eorum est sententia excommunicationis. Unde dicit: *Et non commisceamini cum illo, etc.* (1 *Cor.* 5.) *Cum hujusmodi nec cibum sumere.* (2 *Joan.*) *Nolite recipere eum in domum, nec, Ave, ei dixeritis.* Hic nota quod excommunicatio infligitur pro inobedientia: debet tamen esse convictus. Unde dicit: *Si quis non obedierit, per epistolam vestram, hunc notate*, id est, significate nobis, ut puniatur: et tamen vos interim ne commisceamini cum illo, sed effectus pœnæ est, ut confundatur, et ex hoc resipiscat. (*Eccl.* 4.) *Est confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam.* Finis autem et intentio debet esse ejus correctio, quam intendit charitas. Unde dicit: *Et nolite invicem existimare*, quia non debet fieri ex livore odii, sed

ex studio charitatis, quasi dicat: Quod ipsum vitatis, non fiat ex odio inimicitiæ. (*Matth.* 5.) *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Et ideo dicit: *Sed corripite ut fratrem.* In quo ostenditur charitas. (*Ps.* 132.) *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum, etc.*

Deinde cum dicit: *Ipse autem, etc.*, concludit epistolam. Et primo ponitur conclusio, secundo salutatio, quæ est quasi epistolæ sigillum, ibi: *Salutatio, etc.* Iterum prima in duas, quia eis primo optat dona Dei, secundo ipsum Deum, ibi: *Dominus sit, etc.* Quantum ad primum, dicit: *Ipse, etc.* Deus dicitur esse pacis, quantum ad duo. Pax enim consistit in duobus, ut sc. homo concordet ad seipsum, et ad alios. Et neutrum potest haberi sufficienter nisi in Deo: quia sibi non concordat ad seipsum in seipso, quando quod appetitur secundum unum, sufficit quantum ad omnes, quod nihil potest esse præter Deum. (*Ps.* 102.) *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Quæcumque enim alia præter Deum, non sufficiunt ad omnes, sed Deus sufficit. (*Joan.* 16.) *In me pacem habebitis, etc.* Item homines non uniuntur inter se, nisi in eo quod est commune inter eos, et hoc est maxime Deus. Et ideo dicit: *Deus pacis det,* non pacem temporalem, sed sempiternam, id est, spiritualem, quæ hic incipit, et ibi perficitur. (*Ps.* 147.) *Qui posuit fines tuos pacem, etc.* Et hoc: *In omni loco*, et in toto mundo apud fideles. Quantum ad secundum, dicit: *Dominus sit cum omnibus vobis,* quia nihil aliud bene habetur, nisi ipse habeatur per fidem et charitatem. *Salutatio mea,* hoc dicit propter infideles pervertentes epistolas ejus. (*Gal. ult.*) *Videte qualibus litteris scripsi vobis manu mea, etc. — Quod est signum, etc.* Gratia, id est, gratuitum donum Dei, quod gratos vos reddit Deo, etc. (*Joan.* 1.) *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.*

DIVI THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

SUPER I EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

PROLOGUS.

In manu Dei potestas terræ, et execrabilis omnis iniquitas gentium, et utilem rectorem suscitabit in tempore super illam. (*Eccl.* 10.) Hæc verba materiæ hujus epistolæ conveniunt. Prius enim instruxit ecclesiam in his, quæ ad ejus unitatem pertinent. Hic instruit ipsos rectores ecclesiæ, qui sunt quasi principalia membra ejus. Circa quod videnda est ista instructio et utilitas. Instructio est in Deo, quia in manu Dei, etc. Et hoc tripliciter, quia ab ipso exoritur. (*Rom.* 13.) *Non est potestas nisi a Deo.* Item quod secundum Deum debet regulari. (*Prov.* 8.) *Per me reges regnant, et conditores legum justa decernunt.* Item quia secundum Dei dispositionem, eorum potestas fundatur. (*Dan.* 2.) *Et ipse mutat tempora et ætates, transfert regna atque constituit.* Item utilitas eorum ostenditur, quia est ad cohibendam nequitiam hominum, quia execrabilis omnis iniquitas gentium. (*Infr. prim.*) *Justo non est lex posita.* Rectores legis tripliciter debent se habere ad mala. Primo ut ea corde odio habeant. (2 *Mach.* 3.) *Animo odio habentes mala, etc.* Secundo ut prohibeant ea ne fiant. (*Prov.* 20.) *Rex qui sedet in solio judicii dissipat omne malum.* Tertio ut facta puniant. (*Rom.* 13.) *Minister enim Dei est, vindex in iram ejus qui male agit.* Quarto videnda est utilitas, ibi: *Utilem rectorem, etc.* Et ad tria est utilis rector, quæ notantur (*Eccl.* 49.) *Joseph princeps fratrum, ut gentem sustentet per potentiam.* (*Is.* 19.) *Et rex fortis dominabitur eorum, etc.* Rector fratrum dirigendo per sapientiam. (*Is.* 32.) *Princeps ea, quæ sunt digna principe cogitabit, etc.* (*Eccl.* 10.) *In medio fratrum rector illorum.* Stabilimentum populi, ut cohibeat ab injustis per justitiam. (*Ps.* 17.) *Tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis, etc.* Et sic patet materia harum epistolarum,

quia est ad instructionem rectorum populi fidelis, in quo quidam præferuntur in spiritualibus, sicut prælati ecclesiarum, quos primo instruit. Quidam vero in temporalibus, quos secundo monet. Et hoc in epistola ad Philem. Circa primum tres sunt epistolæ, secundum tria quæ competunt prælato: quorum primum est, ut gubernet populum. Secundum, ut pro populo subdito patiatur. Tertium, ut malos coerceat. Primum in prima ad Timotheum. Secundum in secunda, ubi agit de martyrio. Tertio in epistola ad Titum, ubi agit ac docet quomodo vitet hæreticos, ut etiam patet in argumentis epistolarum.

CAPUT I.

Tria optat Timotheo suo, gratiam, misericordiam, et pacem, quod non fecit alibi, quia prælati pluribus indigent.

1. *Paulus Apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu, spei nostræ.*
2. *Timotheo dilecto filio in fide: Gratia et misericordia, et pax a Deo patre in Christo Jesu Domino nostro.*

Dividitur hæc epistola in salutationem et epistolarem narrationem, ibi: *Sicut rogavi.* Circa primum tria facit, quia primo ponitur persona salutans, secundo persona salutata, tertio bona optata. Describit autem personam salutantem, primo ex nomine *Paulus*, quod convenit auctoritati propter duo. In apostolatu enim duo sunt, sc. altitudo potestatis, ad quam exaltantur humiles. (1 *Reg.* 13.) *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es.* Et Paulus, dicitur modicus. Item claritas sapientiæ, et hanc Dominus præbet parvulis. (*Matth.* 11.) *Revelasti ea parvulis, etc.* Secundo ex auctoritate, quia *Apostolus*, id est, missus. (*Joan.* 10.) *Sicut misit me pater.* (1 *Cor.* 9.) *Signaculum apostolatus mei vos estis in Domino.* Tertio ex origine hujus auctoritatis. Unde dicit: *Jesu Christi secundum imperium Dei, etc.* (*Act.* 13.) *Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus ad quod assumpsi eos.* (1 *Reg.* 13.) *Quæsivit sibi Dominus virum juxta cor suum, etc.* Ex quo patet quod prælati ex necessitate præcepti tenentur ad ea, quæ sunt proprii officii. (1 *Cor.* 9.) *Væ mihi enim est, si non evangelizavero.* — *Et Christi Jesu spei nostræ*, qui est spes nostra, ut ad eum veniamus. (*Philip.* 1.) *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo, etc.* Vel, spei nostræ, quia per ipsum speramus adipisci bona æterna. (1 *Pet.* 1.) *Regeneravit nos in spem vivam, etc.* (*Rom.* 15.) *Per consolationem scripturarum spem habeamus.* Personam salutatam describit tripliciter. Primo ex nomine, cum dicit: *Timotheo*, de quo (*Act.* 16.) Item ex affectione, dicens: *Dilecto.* (*Philip.* 2.) *Neminem habeo tam unanimem, etc.* Item ex filiatione, dicens: *Filio in fide*, sc. a se converso. (1 *Cor.* 4.) *Misi ad vos Timotheum filium meum charissimum, et fidelem in Domino, etc.* Tunc autem primo ponit bona optata, et deinde ostendit a quo sunt. Sciendum est autem quod in aliis epistolis duo ponuntur, hic tria, quia prælati pluribus indigent. Et ideo dicit: *Gratia et misericordia*, primo sibi, et deinde aliis. Et sumitur hic misericordia, pro remissione pec-

catorum, quia hæc est ex Dei misericordia : gratia vero pro munere gratiarum, quo indigent prælati. Vel gratia sicut in aliis pro gratia justificante : sed misericordia, pro munere divino in spiritualibus charismatibus exaltante. (*Sap.* 4.) *Gratia Dei et misericordia in sanctos ejus, et respectus in electos illius.* Et pax, sc. tecum, et per te aliis. (*Ps.* 71.) *Suscipiant montes pacem.* Sed unde ? *A Deo,* ut dent populo. (*Jac.* 1.) *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* — *Et Christo Jesu Domino nostro*, sc. per quem maxima nobis et pretiosa promissa donavit. (2 *Petr.* 1.)

LECTIO 2.

Hebræorum fabulis, et interminatis genealogiis minime vacare docet, sed monet magis ut charitatem sectetur.

3. *Sicut rogavi te, ut remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent.*
4. *Neque intenderent fabulis et genealogiis interminatis, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.*
5. *Finis præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

Hic incipit epistolaris narratio. Et est hæc epistola quasi pastoralis regula, quam Apostolus tradit Timotheo instruens de omnibus, quæ spectant ad regimen prælatorum, et eo ordine quo debet esse intentio. Primo ergo instruit eum de spiritualibus ministrandis, secundo de temporalibus, in 4 cap. ibi : *Spiritus autem.* Item ad prælatum pertinet primo quod doceat de forma fidei, ne fides subditorum corrumpatur. (*Luc.* 22.) *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Secundo ut instruat eos de pertinentibus ad cultum Dei, quod non potest esse, nisi fides sit recta. Ideo primo instruit de fide, secundo de cultu Dei, 2 cap. ibi : *Obsecro igitur.* Tertio agit de institutione officiorum in 3 cap. ibi : *Fidelis sermo.* Sciendum est autem quod in primitiva ecclesia error fuit periculosus quorumdam dicentium, legalia debere servari simul cum evangelio, quod Apostolus excludit primo ostendens legis conditionem, secundo probat per experimentum in seipso, ibi : *Gratias ago.* Circa primum tria facit, quia primo ostendit quid de lege sit repudiandum, secundo quid in ea acceptandum, ibi : *Finis autem præcepti.* Tertio concludit legis conditionem, ibi : *Scimus autem quia.* Repudiandum est autem in lege quod alii male addiderunt, non quod a Deo est datum, nisi jam secundum carnalem intellectum. Et primo docet falsas fabulas et traditiones esse repudiandas, secundo rationem assignat, ibi : *Quæ quæstiones.* Dicit ergo : Dico quod debes facere. *Sicut rogavi te,* cum tamen possem imperare. (*Eccl.* 32.) *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis quasi unus ex illis.* — *Ut denuntiares quibusdam.* Vel aliter : Duo pertinent ad prælatum, ut cohibeat docentes falsa. Et ideo dicit : *Ne aliter docerent.* (*Gal.* 1.) *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis anathema sit.* (*Deut.* 4.) *Non addetis ad verbum quod ego loquor vo-*

bis, neque auferetis ex eo; secundo, ut si contingat quod aliqui falsa docerent, prohibeat populum ne eis intendant. Unde dicit: *Neque intenderent fabulis et genealogiis interm.* Fuerunt autem quidam hæretici, qui detestantes vetus testamentum, exponebant quod Apost. ipsum repudiabat, deridendo historias ejus, dicens: Fabulis et genealogiis interminatis, etc. Contra quod dicit Aug. quod Apostolus utitur historiis et genealogiis veteris testamenti. *Gal. 4.*) *Abraham duos filios habuit, etc.* Si ergo reprobaret, non eis uteretur. Dicit ergo: *Fabulas,* non datam legem in scriptis, sed in ore, sc. Thalmuth: non quæ Moses ore tradidit, sed quæ alii addiderunt, ut sunt stultæ fabulæ, sc. quod Adam habuit aliam uxorem, ex qua dicunt natos dæmones. (*Matth.* 15.) *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* (2 *Tim.* 4.) *Ad fabulas autem convertentur.* Ratio hujus est, quia *Præstant quæstiones,* id est, contentiones. (2 *Tim.* 2.) *Noli verbis contendere.* (*Prov.* 20.) *Honor est homini, qui se separat a contentionibus.* — *Magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide,* quando sc. aliquis est confirmatus in veritate fidei, ad quod debet omnis doctrina tendere.

Deinde cum dicit: *Finis autem,* ostendit quid de lege sit tenendum. Et circa hoc duo facit, quia primo ostendit hoc, secundo quod periculum est his qui hoc non tenent, ibi: *A quibusdam, etc.* Circa primum sciendum est quod lex vetus dicitur lex mandatorum, quia mandatis et præceptis continetur. (*Eph.* 2.) *Legem mandatorum, decretis evacuans.* Illud ergo ad quod ordinantur omnia mandata legis est præcipue tenendum, hoc autem est charitas. (*Matth.* 22.) *Diliges Deum tuum ex tote corde tuo, etc.* Et paulo post: *In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ.* Sed quomodo charitas est finis præcepti? Ad hoc sciendum, duo sunt consideranda. Primo quod omnia præcepta legis sunt de actibus virtutum, et quod per omnes actus virtutum ordinatur homo unus ad alium. Secundo quod objectum unius virtutis, est finis alterius, quia quandocumque una potentia est circa aliquem finem, ad illam ordinantur omnia, quæ sunt ejusdem, sicut ad finem, sicut frenifactiva est equestrem, quia officium equestris est ejus finis, hæc autem ad ducem. Virtutes autem theologicæ ultimum finem habent pro objecto. Aliæ autem sunt circa ea, quæ sunt ad finem. Virtutes ergo omnes respiciunt theologicas, sicut finem. Inter theologicas vero illa plus habet de ratione finis, quæ propinquius se habet ad ultimum finem. Fides autem ostendit eum, spes facit tendere in eum, charitas unit. Ergo omnes ordinantur ad charitatem, et sic dicitur charitas finis præceptorum. Sed cum ea, quæ sunt ad finem, disponunt ad finem, præcepta autem sunt ad charitatem: ideo disponunt ad eam. Ideo dicit: *De corde puro.* Ad hoc enim quod cor sit purum, dantur præcepta virtutum, quarum quædam ordinantur ad modum rectificandi passiones, quarum, sc. virtutum materiæ sunt passiones, sicut temperantia quæ ordinat concupiscentiam, mansuetudo iras, fortitudo timores et audacias. Per has autem passiones turbatur puritas cordis. Et ideo istæ virtutes faciunt cor purum. Sed numquid hoc requiritur ad charitatem?

Respondeo: dicendum est quod sic, quia impossibile est quod cor impurum sit promptum ad charitatem, quia unicuique est diligibile quod sibi est conforme. Cor impurum diligit [illegible]

quod competit ei secundum passionem, ergo necesse est quod sit expeditum a passionibus. (*Cant.* 1.) *Recti diligunt te.* Aliæ virtutes sunt, quæ rectificant hominem ad proximum, et ex hoc sequitur quod habeat conscientiam bonam, quia non facit alteri, quod sibi non vult fieri. (*Matth.* 7.) *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis.* Et ideo quæ contra proximum sunt, sunt contra conscientiam. Unde dicit: *Et conscientia bona.* Qui ergo non habuerit conscientiam bonam, non potest Deum pure diligere, quia qui non habet conscientiam bonam, timet pœnam. Timor autem non est in charitate, sed fugit Deum, et non unitur ei. Et ideo præcepta, quæ conscientiam rectificant, bene disponunt ad charitatem. Aliæ sunt virtutes ad habendam veram fidem, sc. virtutes quibus Deum colimus, sc. latriæ et hujusmodi, quæ sunt ordinata ad removendum errores, et ad confirmandum in cordibus fidei firmitatem de Deo. Qui enim non habent veram fidem, non possunt Deum diligere, quia qui falso credit de Deo, jam non diligit Deum. Non enim diligit, qui non credit, quia non figitur affectus, nisi in illo quod ostendit intellectus. Et ideo quæ faciunt fidem veram, ordinantur ad charitatem. Et ideo dicit: *De corde puro*, quia faciunt hoc. (*Matth.* 5.) *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — *Et conscientia bona.* (2 *Cor.* 1.) *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* — *Et fide non ficta*, id est, vera. Et ideo virtutes et præcepta ordinantur ad finem qui est charitas, quæ sumitur secundum ista tria, etc.

LECTIO 3.

Non discedendum a virtutibus manifestat, quia periculum imminet erroris.

6. *A quibus quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium.*
7. *Volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*
8. *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.*
9. *Scientes hoc, quia lex justo non est posita, sed injustis et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis et contaminatis, patricidis et matricidis, homicidis:*
10. *Fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus et perjuris, et si quid aliud sanæ doctrinæ adversatur.*
11. *Quæ est secundum evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi.*
12. *Gratias ago ei qui me confortavit in Christo Jesu Domino nostro, quia fidelem me existimavit ponens in ministerio.*
13. *Qui primus blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*
14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri cum fide et dilectione, quæ est in Christo Jesu.*

Supra ostendit virtutum dignitatem et utilitatem, hic declarat harum necessitatem, quia quicumque ab his discedit, in periculum falsæ doctrinæ cadit. Et circa hoc duo facit, quia primo ponitur falsitas doctrinæ in quam incidunt, secundo conditio falsa docentium, ibi: *Volentes esse.* Dicit ergo: Finis præcepti, etc. Et hæc sunt prin-

cipalia legis, a quibus quidam discedunt. (*Ps.* 11.) *Vana locuti sunt, etc.* Et nota quod recessus a charitate, causa est falsæ doctrinæ, quia qui non amant charitatem, cadunt in mendacium. (2 *Thess.* 2.) *Qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Similiter qui dimittunt cordis puritatem. Habentes enim cor infectum passionibus, judicant secundum affectum earum, et non secundum Deum. (1 *Cor.* 2.) *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt, etc.* Similiter habentes conscientiam malam, quia non possunt quiescere in veritate. Et inde est quod quærunt falsa, ut in eis quiescant. (*Infr. eod.*) *Habens fidem, et conscientiam bonam.* Similiter qui habet fiduciam fictam. (*Is.* 21.) *Qui incredulus est, infideliter agit.*

Deinde cum dicit: *Volentes, etc.*, ponitur conditio falsa docentium, et primo inordinata ambitio, secundo defectus eorum. Quantum ad primum, dicit: *Volentes esse, etc.* (*Matth.* 23.) *Amant primos recubitus in cœnis, et vocari ab hominibus, Rabbi, etc.* (*Jac.* 3.) *Nolite plures magistri fieri, etc.* Quantum ad secundum, dicit: *Non intelligentes.* (*Ps.* 81.) *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* (*Sap.* 5.) *Sol intelligentiæ non est ortus nobis.* — *Neque quæ loquuntur* per auctoritates, quas non intelligunt, *Neque de quibus affirmant*, sc. concludendo.

Deinde cum dicit: *Scimus autem, etc.* ponit legis conditionem quantum ad duo. Primo quantum ad bonitatem legis, secundo quantum ad finem et intentionem legislatoris, ibi: *Scientes.* Dicit ergo: *Scimus*, sc. per certitudinem, *Quod lex bona est*, non mala, ut hæretici dicunt. (*Ps.* 18.) *Lex Domini immaculata, etc.* (*Rom.* 7.) *Lex quidem sancta est, et mandatum sanctum, et justum, et bonum.* Sed contingit, quod aliquis bono utatur male. Cum ergo lex sit bona, requiritur quod homo ea bene utatur. Et ideo dicit: *Si quis recte ea utatur.* Alias fit ei mors, ut dicitur (*Rom.* 8.) In lege enim sunt quædam moralia, et quædam cærimonialia. Cærimonialia quidem in figura Christi, et ecclesiæ sunt data, sed indigent, ut intelligantur non solum carnaliter, sed etiam spiritualiter et in figura futurorum, et ut scias quod non sunt perpetuo servanda, sed cessant veritate veniente. (*Jer.* 31.) *Et feriam domui Israel et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, etc.* Et sic exponit Glossa. Sed Apostolus videtur loqui de moralibus, quia subdit quod lex posita est propter peccata, et hæc sunt præcepta moralia. Horum legitimus usus est, ut homo non attribuat eis plus quam quod in eis continetur. Data est lex ut cognoscatur peccatum. (*Rom.* 7.) *Quia nisi lex diceret: Non concupisces, concupiscentiam nesciebam, etc.* Quod dicitur in decalogo. Non est ergo in eis spes justificationis, sed in sola fide. (*Rom.* 13.) *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis.*

Deinde cum dicit: *Scientes*, ostendit conditionem legis quantum ad legislatoris intentionem, et primo ponit existimatam, secundo ponit veram intentionem, ibi: *Sed injustis.* Existimata intentio excluditur, cum dicit: *Justo, etc.* Ubi posset esse duplex falsus intellectus. Unus quod justus legem non servat, quod falsum est, quia nisi servaret eam quantum ad moralia, justus non esset. Unde et Christus factus est sub lege. Alius quod justus non obligatur ad præcepta legis, et non peccaret si faceret contra ea. Sed verus est sequens sensus supponendo, quia

quod imponitur alicui imponitur sicut onus, lex enim justis non imponitur, sicut onus, quia habitus eorum interior inclinat eos ad hoc, ad quod lex, et ideo non est onus eis. (*Rom.* 2.) *Ipsi sibi sunt lex.* Vel aliter, *Lex non est posita* pro justis, sed pro injustis, quasi dicat: Si omnes essent justi, nulla necessitas esset dandi legem, quia omnes essent sibi lex. Intentio bonorum debet esse, ut alios inducant ad virtutes. Quidam autem per se sunt bene dispositi ad virtutes, alii habent mentem bene dispositam, sed per alium, et de istis sufficit paterna monitio, non coactiva. Alii autem nec per se, nec per alium bene disponuntur, ideo eis omnino est necessaria lex, ut patet in Ethicis.

Deinde cum dicit: *Sed injustis, etc.*, ponit veram intentionem, et primo describit eos in generali, quibus necessaria est lex. Secundo in speciali, ibi: *Patricidis.* Sciendum est autem, quod sicut (1 *Joan.* 3) dicitur: *Omne peccatum est iniquitas*, et ideo repugnat alicui juri. Cum autem sit duplex jus, sc. naturale, et positivum, naturali repugnat, quod secundum se est malum, positivo autem repugnat, quod est malum, quia prohibitum.

Quantum ad primum dicit: *Sed injustis*, qui, sc. agunt contra jus naturale. (*Is.* 24.) *Transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum, etc.* Quantum ad secundum, dicit: *Non subditis*, sc. præcepto humano. (*Rom.* 1.) *Parentibus non obedientes.* Et hæc duo respiciunt rationem peccati. Ponit autem alia, quæ sumuntur per comparationem ad illud, et hoc est vel contra Deum, vel contra proximum, vel in seipsum. In Deum dicitur impietas, quia pietas importat cultum Dei, ideo dicit: *Impiis.* In proximum sic dicit: *Peccatoribus.* (*Ps.* 1.) *Non resurgent impii in judicio, etc.* (*Gal.* 2.) *Nos enim natura Judæi, et non ex gentibus peccatores.* Sed secundum Aug. de doct. Christ. Peccata distinguuntur in duo, sc. in spiritualia, quæ dicuntur facinora, et in carnalia, et hæc dicuntur flagitia, et ideo dicit: *Sceleratis*, quantum ad spiritualia. (*Prov.* 17.) *Qui abscondit scelera, etc.* Quantum ad carnalia dicit: *Contaminatis.* (*Mal.* 2.) *Contaminavit Judas sanctificationem Domini, etc.*

Deinde connumerat peccata in speciali. Et primo nominat quædam in speciali, secundo colligit alia in generali, ibi: *Et si quid aliud, etc.* Primo ponit peccata operis. Secundo peccata oris, ibi: *Mendacibus, etc.* Circa primum primo ponit quantum ad facinora, secundo quantum ad flagitia. Facinora dicuntur, quæ sunt in nocumentum proximi. Et quanto est proximus conjunctus, tanto est eorum peccatum gravius, quia plus eis tenemur. Et ideo primo dicit de patre, secundo de matre. (*Exod.* 20.) *Honora patrem tuum, et matrem tuam, etc.* Et postea 21. *Qui percusserit patrem suum, aut matrem, morte moriatur.* Deinde prosequitur de aliis proximorum homicidiis, dicens. (*Exod.* 21.) *Si quis per industriam occiderit proximum suum, etc.*

Deinde ponit flagitia, et primo quæ secundum naturam sunt, cum dicit: *Fornicariis.* (*Hebr. ult.*) Fornicatores et adulteros judicabit Deus. Secundo contra naturam, dicens: *Masculorum concubitoribus.* (1 *Cor.* 6.) *Neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Deinde ponit nocumenta oris, et primo quantum ad simplex mendacium dicens: *Mendacibus.* (*Eph.* 4.) *Deponentes mendacium, loquimini veritatem, etc.* Secundo quantum ad juramentum, dicens: *Perjuris.* Et tunc

colligit alia in generali, dicens: *Et si quid aliud sanæ doctrinæ, etc.* (*Job.* 6.) *Non invenietis in lingua mea iniquitatem, nec in faucibus meis stultitia personabit, etc.* (2 *Tim.* 2.) *Loquere quæ decent sanam doctrinam.*

Deinde cum dicit: *Quæ est secundum evangelium*, ostendit quod evangelium communicat sanam doctrinam, quod tripliciter describit. Et primo a fine, cum dicit: *Gloriæ*, sc. quam annuntiat. (*Ps.* 95.) *Annuntiate inter gentes gloriam ejus*; secundo ab actore gloriæ, cum dicit: *Beati Dei.* (*Infr. ult.*) *Quem suis temporibus ostendet beatus, et solus potens rex regum, etc.* Tertio ministerio, cum dicit: *Quod creditum est mihi.* (*Gal.* 2.) *Cum vidissent quod creditum est mihi evangelium præputii, etc.*

Deinde cum dicit: *Gratias ago*, probat per experimentum in seipso, quid fuerit ipse tempore legis; et quid consecutus sit tempore gratiæ. Et primo ostendit, quid circa se utroque tempore sit actum; secundo inducit Timotheum ad imitandum se, ibi: *Hoc præceptum.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit quid datum sibi fuit in lege, et quid sibi sit datum in evangelio; secundo rationem assignat, ibi: *Fidelis sermo.* Item prima pars dividitur in tres particulas, quia primo ponit dignitatem quam consecutus est in evangelio, secundo peccata quibus subjacuit in statu legis, ibi: *Qui prius fui.* Tertio quomodo liberatus fuit, ibi: *Sed misericordiam, etc:* Sed ad hoc quod aliquis sit minister evangelii, tria requiruntur. Primo quod sibi committatur. (*Rom.* 10.) *Quomodo prædicabunt nisi mittantur, etc.* Secundo idoneitas, id est, ut sit fidelis. (1 *Cor.* 4.) *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Item ut sit fortis ad prosequendum. Et hæc tria ponit ordine retrogrado, et primo tertium, dicens: *Qui me confortavit, etc.*, sc. ad prosequendum officium injunctum. (*Ezech.* 3.) *Manus Domini erat mecum confortans me.* Secundum ponit, ibi: *Quia fidelem me, etc.* (*Matth.* 24.) *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Et hoc quia quærebat solum, quæ Dei erant. Primum vero ostendit, cum dicit: In ministerio, id est, committens mihi ministerium hoc. (*Act.* 13.) *Segregate mihi Barnabam et Saulum in opus ad quod assumpsi eos.* (2 *Cor.* 11.) *Ministri Christi sunt, et ego.* Sed qualis erat in statu legis? Peccator. Et primo in Deum, cum dicit: *Qui prius fui blasphemus*, sc. nominis Christi. (*Lev.* 14.) *Educ blasphemum extra castra, et ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, et lapidet eum populus universus.* Unde sibi illud competebat. Item in proximum, cum dicit: *Et persecutor.* (1 *Cor.* 15.) *Non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum ecclesiam Dei.* Item *Et contumeliosus*, verbis et factis. (*Jer.* 20.) *Audivi contumelias multorum, etc.*

Deinde cum dicit: *Sed misericordiam Dei*, ostendit quomodo fuit liberatus per Christum. Et circa hoc duo facit, quia primo ponit misericordiam liberantem, secundo ostendit quod superabundanter in bonis repletur, ibi: *Superabundavit autem.* Quantum ad primum dicit: *Sed misericordiam Dei consecutus sum.* (*Thren.* 3.) *Misericordiæ Domini quod non sumus consumpti.* (*Rom.* 9.) *Cujus vult, miseretur, et quem vult indurat.* Sed ex parte mea aliqua est excusatio peccati. *Quia ignorans feci.* Minus dicit, plus significat, quia aliud est ignoranter agere, aliud per ignorantiam, quia ignoranter facit aliquid qui nescit quod facit, ta-

men si sciret, etiam faceret illud, sicut credens se interficere feram, occidit inimicum suum, quem tamen occidisset etiam libentius si novisset eum. Sed per ignorantiam facit, qui facit aliquid quod non faceret, si nosset, sicut occidens patrem, quem si sciret, non occideret eum, quem tamen occidit, quia eum credit inimicum. Sed Paulus fecit per ignorantiam, quia si scivisset quod Christus esset filius Dei, hoc non fecisset. Sed Judæi per ignorantiam non occiderunt Christum, sed ignoranter, quia si scivissent ipsum esse Christum, libentius occidissent eum. (*Luc.* 12.) *Servus qui cognovit voluntatem domini sui, et non se præparavit, nec fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis, etc.* Quantum vero ad secundum, dicit: *Superabundavit, etc,* (*Rom* 5.) *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia.* — *Cum fide et dilectione.* Nam fecit ibi effectum fidei per dilectionem operantem, *Quæ est in Christo Jesu.* (*Gal.* 3.) *In Christo Jesu, ut pollicitationem spiritus accipiamus per fidem.*

LECTIO 4.

Ex Dei misericordia omnia bona esse dicit Paulus, quæ ipse est consecutus, propter quæ, Deo ingentes gratias agit.

15. *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.*
16. *Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primo ostenderet Christus Jesus omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam.*
17. *Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria in secula seculorum. Amen.*
18. *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam.*
19. *Habens fidem, et bonam conscientiam. Quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.*
20. *E quibus est Hymenæus et Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare.*

Supra ostendit conditionem suam, et quantum ad peccata sub lege, et quantum ad bona tempore gratiæ, hic ostendit rationem horum beneficiorum, quæ sumitur ex divina miseratione. Et primo proponit divinam miserationem in communi, secundo aptat ad se, ibi: *Quorum primus.* Tertio ponit gratiarum actionem, ibi: *Regi autem seculorum.* Circa primum duo facit, quia primo commendat veritatem proponendam, secundo proponit divinam miserationem, ibi: *Quia Christus Jesus.* Quantum ad primum dicit: *Fidelis sermo, etc.* Duo autem sunt in sermone commendanda, sc. quod sit verus et quod sit acceptabilis. Aliquando enim sermo verus, est durus, et odia concitans. (*Gal.* 4.) *Inimicus factus sum vobis, verum dicens vobis.* Sed hic sermo primo quidem habet veritatem. Unde dicit: *Fidelis sermo.* (*Apoc. ult.*) Hæc verba fidelissima et vera sunt. Item acceptabilis est, quia de salute nostra. Ideo dicit: *Et omni acceptione dignus.* (*Zach.* 1.) *Et respondit Dominus angelo qui loquebatur, etc.* Alia littera habet, humanus sermo, quia de susceptione hominum.

(*Tit.* 3.) *Apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri, etc.* Et hic sermo est talis, *Quia Christus venit, etc.* Quod in mundum venit, exprimit duplicem naturam, sc. divinitatis, in qua erat antequam in mundo appareret. (*Joan.* 16.) *Exivi a patre, et veni in mundum, etc.*; et humanitatis, in qua apparuit. Et quia Deus est, cœlum et terram implet. (*Jer.* 23.) Ideo non competit ei secundum divinam naturam in aliquo loco esse, sed competit ei secundum humanam naturam. (*Joan.* 1.) *In mundo erat, et mundus, etc. In propria venit, etc.* Sed ad quid venit? *Peccatores salvos facere*, id est, propter salutem populorum. (*Joan.* 3.) *Non enim misit Deus filium in mundum ut judicet mundum, sed ut mundus salvetur per ipsum.* (*Joan.* 12.) *Non enim veni ut judicem mundum.* Sed si nullus fuisset peccator, numquid incarnatus non fuisset? Videtur quod non, quia venit peccatores salvos facere. Non ergo fuisset necessaria incarnatio. Item Gloss. Tolle morbum, et medicinæ non opus erit. Respondeo : dicendum est quod ex verbis sanctorum satis hoc patet. Sed hæc quæstio non est magnæ auctoritatis, quia Deus ordinavit fienda secundum quod res fiendæ erant. Et nescimus quid ordinasset, si non præscivisset peccatum; nihilominus tamen auctoritates videntur expresse sonare quod non fuisset incarnatus, si non peccasset homo, in quam partem ego magis declino.

Deinde cum dicit: *Quorum primus*, adaptat hoc ad se. Primo confitens se peccatorem, secundo dicit se salvatum, ibi: *Sed misericordiam.* Dicit ergo: *Quorum primus ego sum.* Hic dicit hæreticus, quod anima Adæ fuit in Paulo, et transivit de corpore in corpus. Quasi dicat : Ego primus peccator, quia anima Adæ est anima mea, sed hoc est contra Apostolum. (*Rom.* 9.) *Cum nondum nati essent, etc.* Ergo anima non est ante corpus. Primus ergo non in tempore, sed peccatorum magnitudine. Et hoc dicit ex humilitate. (*Prov.* 18.) *Justus prior est accusator sui.* (*Prov.* 30.) *Stultissimus sum virorum, etc.* Sed numquid fuit Apostolus maximus peccator? Et videtur quod Judas fuit major. Sed quidam dicunt quod peccatum Pauli generalius fuit, quia contra totam ecclesiam. Sed hoc nihil est, quia Paulus in incredulitate, et multi Judæi persequebantur ex malitia. Dicendum est ergo quod est primus, non quod inter peccatores maximus qui tunc erant, sed maximus inter peccatores salvatos, quasi dicat : *Venit peccatores salvos facere, quorum*, sc. peccatorum salvatorum. *Ego sum primus*, quod est de illis intelligendum qui præcesserant Apostolum, quia prius etiam multi alii sunt ecclesiam persecuti. Et hoc dicit ut ostenderet quod omnia quæ Deus facit, facit ad ostensionem bonitatis suæ. (*Prov.* 16.) *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* (*Eccl.* 42.) *Gloria Domini plenum est opus ejus.* Item propter utilitatem, et ideo dicit: *Ideo salvavit me.* Primo propter gloriam suam. Unde exponitur primum tempore, vel primum, id est, potissime. *Omnem patientiam*, id est, perfectam, quia provocatus non punivit, sed potius adversarium exaltavit, et hoc ad utilitatem nostram. Unde dicit: *Ad exemplum*, id est, informationem et eruditionem, quasi dicat: Ut non diffidant peccantes ad eum accedere. (1 *Pet. ult.*) *Forma facti gregis.*

Deinde cum dicit: *Regi, etc.*, ponit gratiarum actionem, et circa hoc duo facit, quia primo commendat eum cui gratias agit, secundo gratias refert.

ibi : *Honor.* Commendat autem eum primo ex potestate, secundo ex naturæ proprietate. Quantum ad primum dicit : *Regi.* Dominium suum est maximum, quia solus dominatur, et habet liberam potestatem, non secundum statuta, ut politicus. Deus autem unus est Dominus omnium. Et ideo dicit : *Deo.* (*Apoc.* 1.) *Rex regum et Dominus dominantium.* (*Ps.* 46.) *Quoniam rex omnis terræ, Deus.* Item alicujus regis potestas, ut plurimum, non ultra quam 50 annis durat, sed iste est omnium seculorum. (*Ps.* 144.) *Regnum tuum regnum omnium seculorum, etc.* (*Eccl.* 10.) *In manu Dei potestas terræ.* Cui etiam convenit proprietas naturæ Dei. Circa quod sciendum est quod in rebus prima differentia rerum naturalium est corruptibile, et incorruptibile. Et incorruptibilium quædam visibilia, et corporalia, ut corpora terrestria, quædam autem invisibilia et spiritualia, ut angeli. Et hæc dividuntur secundum Platonicos in Deos, qui per naturam supremi sunt, et in intellectus qui non sunt dii, sed divini, et in animas, sed apud nos est unus solus Deus. (*Deut.* 6.) *Audi Israel, Dominus Deus tuus.* Dicit ergo primo : *Immortali,* ut distinguat a corruptibilibus. *Invisibili*, ut ad invisibilem ostendat pertinere, et ut distinguat ab aliis visibilibus. Dicit : *Soli Deo,* et non soli immortali, vel invisibili, quia solus est Deus per naturam, licet posset dici solus immortalis, et solus invisibilis, id est, specialis præ aliis. (*Infr. ult.*) *Qui solus habet immortalitatem.*

Deinde cum dicit : *Honor et gloria,* agit gratias. Quasi dicat : Exhibendus est ei honor ex subjectione totius creaturæ, et in manifestationem excellentissimæ ipsius bonitatis, claritatis et gloriæ. (*Apoc.* 7.) *Benedictio, et claritas, et sapientia, et gratiarum actio, honor, virtus, et fortitudo Deo nostro.* — *In secula seculorum.* Quia seculum aliorum est modico tempore. (*Is.* 40.) *Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus ut flos fœni.*

Deinde cum dicit : *Hoc præceptum, etc.*, instruit Timotheum permanere in his quæ dicuntur. Primo commemorat quid sit ei commissum. Secundo monet ad debitum usum. Et tertio docet utendi modum. Dicit ergo : *Hoc præceptum,* ut sc. tu custodias finem legis, id est, charitatem conserves semper, non autem fabulas Judæorum. *Commendo tibi*, sicut fidele depositum, quia tibi ideo est commissum. Et quomodo ? *Secundum præcedentes, etc.*, id est, quia hoc evangelium non discordat a prophetiis quas ante didicerat, quia fuit filius mulieris Judææ. (2 *Pet.* 1.) *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ ardenti in caliginoso loco, etc.* (1 *Thess. ult.*) *Prophetias nolite spernere, etc.* Vel secundum præcedentes, id est, secundum quod ego et alii sancti de te per spiritum prophetiæ cognoverunt tradendum esse tibi : *Ut in illis milites,* sc. prophetiis, *Bonam militiam.* Militia est duplex, quædam spiritualis, quædam carnalis. (2 *Cor.* 10.) *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, etc.* In bona militia requiruntur duo ex parte militis, sc. ut nihil agat contrarium disciplinæ militari, ut non marcescat otio. (1 *Cor.* 9.) *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, etc.* Item ex parte militiæ duo requiruntur, sc. ut expugnet contrarios reipublicæ, et ut subjiciat eos qui debent esse subjecti. Sic et in militia spirituali est, quia ordinatur ad destruendum omnes extollentes se, et ad subjiciendum omnem intellectum in obse-

quium Christi, ut dicitur (2 *Corinth.* 10.) Et hæc vera militia : de qua dicit *Milites, etc.* Ubi etiam primo modus utendi ponitur et secundo ejus necessitas, ibi : *Quam quidam.* Dicit ergo : *Milites, etc.* quasi dicat : Potes quidem facere bonam militiam. Primo per fidem bonam quam habes. (1 *Joan. ult.*) *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides, etc.* Item per conscientiam bonam, quia de facili homo recedit ab eo quod mordet eum : unde remorsus conscientiæ, est sicut quidam stimulus qui habentem malam conscientiam pungit, et ideo cito a peccatis per bonam conscientiam, et rectam fidem recedit. (*Act.* 23.) *Ego omni conscientia bona conversatus sum ante Deum usque in hodiernam diem.* (2 *Cor.* 1.) *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* Necessitas bonæ conscientiæ consequenter ostenditur, cum dicit : *Quam quidam, etc.*, ubi primo ponit culpam, secundo pœnam, tertio fructum pœnæ. Culpam, ibi : *Quam*, sc. conscientiam bonam, *Quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Qui enim contra fidem errat, perdit omnia quæ habet. (*Hebr.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.* Item moritur, quia justus meus ex fide vivit. (*Abac.* 2. *et Rom.* 1.) *Ex quibus est Alexander et Hymenæus.* (2. *Tim.* 4.) *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, etc.*

Deinde ponitur eorum pœna, cum dicit : *Quos tradidi, etc.* Quia excommunicavit eos, ut fideles vitent eos ne coinquinent ipsos. Fuit autem excommunicatio Apostoli, tantæ virtutis quod excommunicati mox corripiebantur a diabolo, et corporaliter vexabantur. (1 *Cor.* 5.) *Congregatis vobis et meo spiritu in virtute Domini Jesu, tradere hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat.* Tamen etiam modo traduntur ad vexandum spiritualiter, quia amittunt suffragia ecclesiæ, quæ multum juvant contra diabolum. Et tradidi sicut Deus tradidit in reprobum sensum. (*Rom.* 1.) Quasi subtrahendo suum auxilium, et communionem ecclesiæ, et suffragia. Et hoc non ex odio, sed ex charitate ad profectum eorum. (1 *Cor.* 5.) *Ut spiritus salvus fiat.* Unde dicit : *Ut discant*, saltem per pœnam. *Non blasphemare.* Discit autem quis recedere a peccato tripliciter, quandoque sc. ex pœna, quando corporaliter vexatur. Item ex confusione excommunicationis. Item ex hoc quod cum ecclesia tradit aliquem satanæ ruit in peccata manifesta, unde confusus humiliatur, et abstinet etiam ab occultis, quæ prius non cognoscebat se habere.

CAPUT II.

Qua animi puritate sit orandum, ut petitiones nostræ apud Deum innotescant, ostendit, et quo pietatis affectu Deus homines prosequatur.

1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*
2. *Pro regibus, et omnibus qui in sublimitate constituti sunt : ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.*
3. *Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro Deo.*
4. *Qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.*
5. *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.*
6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

Supra docuit Timotheum quomodo reducat populum ad formam veræ fidei, hic agit de pertinentibus ad cultum fidei, sc. orationibus et obsequiis, et primo ponit doctrinam orationis in communi, secundo descendit ad determinatas conditiones hominum, ibi: *Volo ergo.* Item primo distinguit diversos modos orationis, secundo ostendit pro quibus sit orandum, ibi: *Pro omnibus*; tertio assignat rationem, ibi: *Hoc enim bonum.* Dicit ergo: Quia ita est quod Christus venit peccatores salvos facere. Igitur, *Primum omnium obsecro, etc.* In quo aperte ostendit quod inter omnia necessaria ad vitam Christianam præcipua est oratio, quæ valet contra pericula tentationis et ad proficiendum in bono. (*Jac. ult.*) *Multum valet oratio justi assidua.* Distinguit ergo orationem in quatuor, sc. *Obsecrationes, orationes, postulationes, et gratiarum actiones,* quorum tria pertinent ad beneficia impetranda, ultimum ad beneficia accepta. In impetrandis autem beneficiis tria requiruntur. Primo, ut sc. impetrans assignet causam quare debet ei concedi. Secundo oportet quod ostendat causam esse rationalem. Tertio concludit petitionem. Et sicut rhetores faciunt, sic et nos in orando debemus facere. Primo excogitare causam quare sit concedendum, et hoc non merita nostra, sed miserationem divinam. (*Dan.* 9.) *Non in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, etc.* Et ad hoc est obsecratio, quæ est attestatio per sacra, sicut per passionem et crucem tuam libera nos, Domine. Hac causa excogitata, necesse est quod meditemur quod hoc sacrum est causa salutis. Et ideo requiritur oratio, quæ est ascensus mentis in Deum. (*Ps.* 68.) *Ego vero orationem meam ad te Domine, etc.* Dicitur autem oratio quasi oris ratio. Persuasiones enim rhetorum, dicuntur orationes, quia persuadent, sed aliter ibi, aliter in nostra ad Deum, quia non intendimus quod animum Dei flectamus, qui semper ad bonum est paratus, sed ut nostrum cor sit in oratione ad Deum elevatum. Tertio, *Postulatio.* (*Jac.* 1.) *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* Item de acceptis donis gratiarum actiones. (1 *Thess. ult.*) *In omnibus gratias agite.* (*Phil.* 4.) *In omni oratione et obsecratione, cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant ante Deum.* Unde iste modus orandi est in ecclesia Dei, Omnipotens sempiterne Deus, ecce ascensus mentis, qui est oratio. Qui dedisti ecclesiæ tale beneficium, ecce gratiarum actio. Præsta, quæsumus, ecce postulatio. Per Dominum, ecce obsecratio. Similiter in missa est obsecratio usque ad consecrationem corporis et sanguinis, quia in eis est commemoratio sacrorum ex quibus est fiducia impetrandi. In mysterio consecrationis est oratio, quia meditatio eorum, quæ Christus egit. In aliis vero usque ad communionem est postulatio pro vivis et mortuis, et pro se. In fine autem est gratiarum actio. Vel hæc quatuor referuntur ad quatuor, quæ nos volumus in oratione obtinere, ut obsecratio referatur ad difficilia impetranda, ut ad impiorum conversionem. Oratio, quando jam conversis imploramus gratiam ut proficiant. Postulatio, ut præmia pro meritis retribuantur. Et pro beneficiis jam acceptis, est gratiarum actio.

Deinde cum dicit: *Pro omnibus,* ostendit pro quibus est orandum. Et circa hoc duo facit, quia primo ostendit orandum esse pro omnibus, secundo assignat fructum orationis, ibi: *Ut quietam.* Circa primum ergo dicit esse orandum, *Pro omnibus hominibus.*

Cujus ratio est, quia oratio est interpres desiderii nostri. Orando enim petimus quod desideramus. Charitas autem requirit quod desideremus bonum omnibus ad quos se extendit. (*Jac. ult.*) *Orate pro invicem ut salvemini, etc.* Sed pro quibus specialiter? *Pro regibus, etc.* (*Baruch.* 1.) *Orate pro vita Nabuchodonosor regis Babyloniæ, et pro vita Balthasar filii ejus.* Et Apostolus dicit : (*Rom.* 13.) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* (1. *Pet.* 3.) *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* Subjecti quippe oportet quod impendant dominis suis de suis officiis, utilitas autem est, quia per hoc etiam procuramus bonum nostrum. In pace enim eorum est pax nostra. Unde dicit : *Ut quietam et tranquillam, etc.* In his duobus est pax mundi. Ecclesia siquidem habet pacem propriam, in qua non est mundus, quia non est pax impiis. Sed quædam est pax communis utrisque, et hac indiget ecclesia. (*Jer.* 29.) *Quærite pacem civitatis ad quam transmigrare vos feci.* Pax terrena quandoque perturbatur ab interiori, quandoque ab exteriori. (2 *Cor.* 7.) *Foris pugnæ, intus timores.* Quantum ad primum dicit : Ut quietam. Quantum ad secundum dicit : Et tranquillam vitam. Et licet pax terrena communis sit bonis et malis, tamen diversimode utrique illa utuntur. Mali enim tunc ad duo ea utebantur, sc. ad cultum dæmonum : quia illam prosperitatem falsis diis attribuebant. Item ad lasciviam : quia tempore pacis vitia carnalia abundabant. (*Sap.* 14.) *In magno viventes inscientiæ bello, tot et tam magna mala pacem appellant.* Sed sancti e converso ea utuntur, quia in cultu veri Dei et in castitate. Et ideo dicit : *In omni pietate et castitate.* (*Tit.* 2.) *Sobrie, et juste, et pie vivamus in hoc seculo.*

Deinde cum dicit : *Hoc enim bonum,* ponitur ratio orationis. Et circa hoc duo facit, quia primo ponit rationes, secundo probat quoddam propositum, ibi: *Unus enim Deus.* Item primo assignat rationem ex specie operis, secundo ex parte Dei, ibi : *Et acceptum.* Ponit ergo rationem ex operis specie, quia quando aliquid est secundum se bonum, illud debemus facere, sed pro aliis orare est hujusmodi, quia est actus charitatis. Et ideo dicit : *Hoc enim bonum est.* (*Ps.* 51.) *Quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Item ex parte Dei, quia est, *Et acceptum coram Deo.* (*Ps.* 50.) *Tunc acceptabis sacrificium, etc.* Et hoc non nisi in charitate fuerit oblatum. Et dicit : *Salvatore,* quia solus Deus salvat. (*Is.* 43.) *Non est absque me salvator.* Et probat quod sit acceptum, ibi : *Qui vult, etc.* (2 *Petr.* 3.) *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Sed contra : Omnia quæcumque voluit fecit, ergo omnes salvat. Sed si dicis quod non, quia homo non vult, videtur inconveniens quod omnipotens impediatur per voluntatem non omnipotentis. Respondeo : velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate signi. Pro voluntate signi vult salvare omnes, quia omnibus proposuit salutis præcepta, consilia, et remedia. Pro voluntate beneplaciti, sic exponi potest quatuor modis. Uno modo ut sit locutio causalis, sicut Deus dicitur aliquid facere, quia facit alios illud facere, sicut (*Rom.* 8.) *Spiritus postulat,* id est, postulare nos facit. Sic ergo Deus vult, quia sc. facit suos sanctos velle quod omnes salvi fiant. Hoc velle enim debet esse in sanctis, quia nesciunt qui sunt prædestinati, et qui non.

Alio modo ut sit distributio accommoda, id est omnes qui salvabuntur, quia nullus salvatur nisi per voluntatem ejus, sicut in una schola magister docet omnes pueros hujus civitatis, quia nullus docetur nisi ab eo. Alio modo ut sit distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, id est, nullum genus hominum excipit a salute, quia olim tantum Judæis, sed modo omnibus præbetur. Et hoc magis facit ad intentionem Apost. Alio vero modo secundum Damas. ut intelligatur de voluntate antecedente, non consequente. In voluntate enim Dei licet non sit prius et posterius, dicitur tamen voluntas antecedens et consequens. Item secundum ordinem volitorum, secundum quod voluntas potest dupliciter considerari, sc. in universali vel absolute, et secundum aliquas circumstantias et in particulari. Et prius est absoluta consideratio et in universali quam in particulari et comparata. Et ideo voluntas absoluta est quasi antecedens, et voluntas alicujus rei in particulari est quasi consequens. Exemplum de mercatore qui vult omnes merces suas salvare absolute, et hoc voluntate antecedente. Sed si consideret salutem, non vult omnes merces per comparationem ad alia salvare, sc. quando cum salute sequitur submersio navis. Et hæc voluntas est consequens. Sic in Deo salus omnium hominum in se considerata habet rationem ut sit volibilis. Et apostolus hic ita loquitur, et sic ejus voluntas est antecedens. Sed si consideretur bonum justitiæ, et quod peccata puniantur, sic non vult. Et hæc est voluntas consequens. Et subdit: *Ad agnitionem veritatis*, quia salus non est nisi per agnitionem veritatis. (*Joan.* 8.) *Agnoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.*

Deinde cum dicit: *Unus, etc.* probat quod dixerat per rationem, et sunt tres probationes. Una ex parte Dei, alia ex parte hominis Christi, tertia ex parte testium Christi. Dicit ergo quod Deus velit omnes, etc. Patet, *Quia unus est Deus* omnium, qui salvat. (*Rom.* 3.) *An Judæorum Deus tantum: an non et Gentium? imo et Gentium, quoniam quidem unus Deus, etc.* Tunc ponitur ratio ex parte hominis Christi, ibi, *Unus et mediator, etc.* Ubi primo probat intentum, secundo inducit signum, ibi: *Qui dedit.* Dicit ergo: homo Christus Jesus est mediator Dei et hominum, non quorumdam, sed inter Deum et omnes homines, et hoc non fuisset nisi vellet omnes salvare. Et potest dici quod Christus mediator est similis utrique extremo, sc. Deo et homini inquantum Deus, et inquantum homo, quia medium debet habere aliquid de utroque extremorum. Et hæc sunt homo et Deus. Sed quia medium est distinctum ab utroque extremorum, et filius non est alius Deus a patre, ideo melius est dicendum quod mediator est, secundum quod homo. Sic enim communicat cum utroque extremorum. In Deo enim sunt duo, sc. justitia et immortalitas, in hominibus vero est injustitia et mortalitas. Media ergo sunt duo. Unum in quo est justitia et mortalitas. Aliud in quo est immortalitas et injustitia. Et utrumque est medium, sed primum medium convenit Christo, secundum vero diabolo. Et ideo diabolus est medium disjungens quia per injustitiam suam disjungit nos a divina justitia, sed Christus est medium conjungens, quia est justus et mortalis, et per suam mortem conjungit nos Dei justitiæ. (*1 Joan.* 2.) *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, pro aliquibus efficaciter, sed pro omnibus sufficienter, quia pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium: sed non habet efficaciam nisi in electis propter impedimentum.

LECTIO 2.

Ornatum mulierum docet, pariterque viros hortatur puras manus orando ad cœlum levare.

6. *Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est.*
7. *In quo positus sum ego prædicator et Apostolus (veritatem dico, non mentior,) doctor Gentium in fide et veritate.*
8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira et disceptatione.*
9. *Similiter et mulieres in habitu ornato: cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.*
10. *Sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.*

Supra dixit quod Deus vult omnes salvos fieri, et probavit hoc ex parte Dei, qui est unus omnium, et ex parte Christi, qui est unus mediator omnium: hic probat idem ex parte testimonii. Et primo inducit alios testes, secundo suum testimonium, ibi: *In quo positus sum.* Dicit ergo: dedit se pro omnibus. Sed nunquid subito Deo in mentem venit, ut qui elegerat salvare Judæos solum, vellet salvare totum mundum? Hoc excludens dicit: *Cujus testimonium temporibus suis.* Quasi dicat: Hæc lex non est subita, sed antiquitus attestata per legem, et per prophetas. (*Is.* 44.) *Vos estis testes mei.* (*Act.* 10.) *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, etc.* — *Confirmatum est,* sc. impletione et ostensione signorum, et prædicatione apostolorum. Temporibus suis sc. quibus prædeterminatum erat fieri. (*Eccl.* 3.) *Omnia tempus habent.* Vel testimonium apostolorum confirmatum est temporibus determinatis. (*Act.* 1.) *Eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judæa, et Samaria, et usque ad ultimum terræ, etc.*

Deinde cum dicit: *In quo positus sum,* ponit testimonium suum. Et primo ostendit suum officium, secundo officii sui usum, ibi: *Veritatem.* Dicit ergo: *In quo,* sc. officio testandi, *Positus sum,* sc. a Deo. (*Joan.* 15.) *Posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* — *Ego prædicator,* quia ad hoc me posuit, ut prædicarem. (*Marc. ult.*) *Euntes in mundum universum, prædicate evangelium omni creaturæ.* Sed in quolibet artificio sunt duo, quidam ministerialiter operantes, quidam qui disponunt de aliis, sc. architectores, sed in officio ecclesiæ disponentes sunt apostoli, et ideo dicit: *Apostolus,* quasi cum auctoritate. (1 *Cor.* 9.) *Signaculum apostolatus mei vos estis in Domino.* Usus autem officii est prædicare veritatem, et hoc est officium prædicatorum ut veritatem dicant. (*Prov.* 8.) *Veritatem meditabitur guttur meum.* (*Ephes.* 4.) *Loquimini veritatem.* Sed non est aliqua doctrina, quæ non habeat aliquam veritatem: sed in hoc damnatur aliqua doctrina, quia miscet veritati falsitatem. Et ideo dicit: *Veritatem dico, non mentior.* (*Prov.* 8.) *Recti sunt omnes sermones mei.* (*Job.* 6.) *Non invenietis in lingua mea iniquitatem.* Et hic est usus officii, sc. veritatem sine mendacio prædicare, qui competit meo officio qui sum, *Doctor gentium.* Doctor autem generat scientiam in anima discipuli. Scientia autem non est de falso: unde docens falsum non est doctor. Sed contra, (*Matth.* 23.) *Nolite vocari rabbi.* Respondeo. Non prohibet ministerium doctrinæ, sed ambitionem officii. (*Act.* 9.) *Vas electionis est mihi*

iste ut portet nomen meum, etc. (*Is.* 49.) *Dedi te in lucem gentium, etc.* Et debeo eas docere. *In fide et veritate*, quia debet docere fidem et bonos mores. Et dicit in fide, id est, de his quæ pertinent ad statum præsentem, in quo secundum fidem vivimus, et in veritate quantum ad statum gloriæ.

Deinde cum dicit : *Volo*, descendit ad speciales gradus hominum. Et circa hoc duo facit, quia primo monet viros de oratione, secundo mulieres, ibi : *Similiter et mulieres.* Dicit ergo : *Volo, etc.* Tria exigit a viris in orando : primo quod oratio sit assidua, secundo pura, tertio quieta. Assidua, ut in omni tempore et in omni loco. Et dicit : *Volo*, quia bonum est quod homo oret, et ego doctor, *Volo viros orare in omni loco*, non in Jerusalem tantum, ut Judæi, nec in monte Garisim, ut Samaritani. (*Joan.* 4.) In omni loco potest homo spiritualiter et mentaliter orare. (*Soph.* 2.) *Adorabunt eum viri de loco suo : omnes insulæ Gentium, etc.* Sed quomodo Dominus reprehendit Pharisæos stantes in angulis ? (*Matth.* 6.) Respondeo : Oratio mentalis ubique potest fieri, sed signa orationis exterius non debent fieri in omni loco, quia homo non debet singularis apparere in exterioribus, quia propter hoc posset haberi inanis gloria. Sed quare nunc sunt factæ ecclesiæ ? Respondeo : Non quod locus sit de necessitate orationi, sed ad bene esse ei : quia oratio requirit solitudinem et quietem. Item pura. Ideo dicit : *Levantes puras manus.* August. quod exterius orando agimus, facimus ut affectus noster interius excitetur. Genuflexiones enim et hujusmodi non sunt per se acceptæ Deo, sed quia per hæc tanquam per humilitatis signa homo interius humiliatur, sicut elevatio manus significat elevationem cordis. (*Thren.* 3.) *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlo.* — *Levantes, etc.*, id est, orantes cum devotione cordis. (*Job.* 8.) *Si diluculo consurrexeris ad Deum, et omnipotentem fueris deprecatus, si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ.* Item quieta. Ideo dicit : *Sine ira et disceptatione.* Et ponit duo. Primo, ut sc. mens sit sine ira, quæ animum inquietat ad inferendum nocumentum proximo, a qua oportet liberum esse animum orantis. (*Eccl.* 28.) *Homo homini servat iram, et a Deo quærit medelam.* Item liber debet esse homo a disceptatione, quod potest intelligi dupliciter. Uno modo secundum Gloss. ut non disceptemus contra Deum increduli verbis ejus, et murmurando contra ejus ordinationem. (*Rom.* 9.) *O homo, tu quis es qui respondeas Deo, etc.* Item contra proximum, ut non rumpamus pacem cum eo, quod fit per disceptationem. Pax enim est necessaria oranti. (*Matth.* 18.) *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quam petierint, fiet illis a patre meo.*

Deinde cum dicit : *Similiter et mulieres*, ordinat mulieres et primo quantum ad orationem, secundo quantum ad doctrinam, ibi : *Mulieres in silentio.* Item primo ostendit quid requiratur a muliere orante, secundo exponit quæ dixerat, ibi : *Non in tortis.* Circa primum sciendum est quod omnia quæ requiruntur ad virum orantem, requiruntur et ad mulieres. Et ideo dicit : *Similiter et mulieres*, quasi dicat : Omnia servent quæ dicta sunt. Sed addit duo, sc. ornamenta et verecundiam, dicens : *In habitu ornato cum verecundia*, cujus ratio est, quia naturale est quod sicut mulieres sunt mollioris corporis quam viri, ita et debilioris rationis. Rationis autem est ordinare actus, et

effectus uniuscujusque rei. Ornatus vero consistit in debita ordinatione et dispositione. Sic in interiori decore nisi sint omnia ordinata ex dispositione per rationem, non habent pulchritudinem spiritualem. Et ideo quia mulieres deficiunt a ratione, requirit ab eis ornatum. Item verecundia est de turpi actu, et ideo est laudabilis in illis qui facile solent declinare in actus turpes, cujusmodi sunt juvenes et mulieres, et ideo hoc in eis laudatur, non autem senes et perfecti. (*Eccl.* 26.) *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Item sobrietatem requirit, unde sequitur: *Et sobrietate.* Quia enim in mulieribus ratio est debilis, sobrietas autem conservat virtutem rationis, ideo in mulieribus maxime reprehenditur ebrietas. Unde antiquitus apud Romanos eis non dabatur vinum. *Non in tortis crinibus, et auro, etc.* Exponit quod dixerat, et primo de ornatu, secundo de verecundia, ibi : *Sed quod decet.* Circa primum, primo excludit ornatum corporalem, secundo ponit spiritualem, ibi : *Sed quod decet.* Circa primum dicit : Quod dixi de habitu ornato, non intelligo de exteriori, quia *Non in tortis crinibus*, id est, non ornato capite vel toto corpore. Sed præcipue mulieres ornant caput, quod est naturale mulieri, ut dicitur (1 *Corinth.* 11.) Et ideo ornamenta in capite habent. In capite vero est duplex velamentum. Unum est naturale, sc. capilli, ut dicitur (1 *Cor.* 11.) Item artificiale, et in utrisque se ornant, quia capillos torquent. Unde dicit : non in tortis, id est, in crispatis. (*Is.* 3.) *Erit pro crispanti crine calvitium.* Item artificialia prohibet, cum dicit : *Aut auro aut margaritis.* (1 *Pet.* 3.) *Non extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti, aut vestimentorum cultus, etc.* Vel non in tortis crinibus, et auro, id est, non habentes crines tortos auro, vel margaritis. Quantum vero ad totum corpus, dicit : *Vel veste pretiosa*, hoc enim damnat Apostolus hic, et Is. 3. Sed numquid hoc est peccatum ?

Respondeo : dicendum est quod secundum Augustinum duo sunt consideranda in ornatu mulierum, sc. simplex ornatus et fucatus. Simplex ornatus, puta in veste, et in auro, et hujusmodi, quod potest fieri cum peccato tribus modis : sc. ex prava intentione, ut si intendant commotionem concupiscentiæ, ostentationem, vel inanem gloriam. (*Prov.* 7.) *Præparata ad capiendas animas.* Secundo si fiat præter consuetudinem patriæ, quod fit diversimode. Quod enim excedit modum consuetum patriæ, hoc ex levitate animi est. Tertio si conditionem sui status excedit. Sed servata recta intentione, consuetudine patriæ, et conditione status, non est peccatum. De fucato autem semper est peccatum. Mulieribus enim non permittitur ornari nisi propter viros, et viri nolunt decipi, ut fucatæ eis appareant. Sit ergo non talis ornatus, sed qualis decet mulieres, promittentes pietatem. Exteriora enim opera hominis sunt quasi quædam professio interioris hominis, sicut religiosi ad hoc habent habitum et clerici similiter. Unde nisi concordet interior cum exteriori, est fictio. Ita etiam de aliis operibus interioribus. Interius enim debemus colere pietatem, id est, cultum Dei habere, exterius vero promittere et prostrari per bona opera, quæ concordant pietati, et similiter habere interius, sicut ostendimus exterius. Vel dico quod debent se ornare non exterius, sed secundum quod decet eas promittentes, id est, quæ promittere debent pietatem per opera bona. (*Eccl.* 19.) *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis annuntiant de illo.*

LECTIO 3.

Jubet mulierem silentium discere, et subjici, non docere, neque dominari in virum. Hæc enim mulieres decent ex creationis natura.

11. *Mulier in silentio discat, cum omni subjectione.*
12. *Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio.*
13. *Adam enim primus formatus est, deinde Eva.*
14. *Et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.*
15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione, et sanctificatione, et cum sobrietate.*

Superius Apostolus ordinavit mulieres quo ad orationem, hic ordinat eas quantum ad doctrinam, et primo ponit suam ordinationem circa earum doctrinam, secundo rationem ordinationis assignat, ibi : *Adam enim primus.* Tertio respondet tacitæ quæstioni, ibi : *Salvabitur autem.* Item primo ostendit quid mulieribus conveniat, secundo quid eis non competat, ibi : *Docere autem.* Circa primum tria ponit eis competere, sc. taciturnitatem, disciplinam, et subjectionem, quæ tria ex una ratione procedunt, sc. ex defectu rationis in eis, quibus primo indicit silentium dicens : *Mulier in silentio discat, etc.* (*Jac.* 3.) *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir,* et (1 *Cor.* 14.) *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, etc.* Nam verba mulieris sunt inflammantia. (*Eccl.* 9.) *Colloquium illius quasi ignis exardescit.* Secundo ut discant, quia eorum qui deficiunt ratione proprium est addiscere. (1 *Cor.* 14.) *Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent, etc.* Viris autem datur quod doceant. Tertio indicit subjectionem, quia naturale est quod anima dominetur corpori, et ratio viribus inferioribus. Et ideo sicut Philosophus docet : Quandocumque aliqua duo ad invicem sic se habent, sicut anima ad corpus, et ratio ad sensualitatem, naturale dominium est ejus qui abundat ratione, et illud est principans, aliud autem est subditum, quod sc. deficit ratione. (*Gen.* 2.) *Sub viri potestate eris.* Item excludit ea, quæ eis non competunt, dicens : *Docere autem, etc.* Et sunt duo, sc. ut non doceant. Sed contra. (*Prov. ult.*) *Erudivit eum mater sua, etc.* Respondeo : dicendum est quod doctrina alia est publica, et hæc non competit mulieri, et ideo dicit, in ecclesia. Alia est privata, et hac mater erudit filium. Sed contra. (*Judic.* 5.) *Delbora erudivit populum Israel.* Respondeo : illa eruditio est per spiritum prophetiæ, et gratia Spiritus Sancti non discernit inter virum et mulierem ; non tamen publice prædicabat, sed instinctu Spiritus Sancti consilia dabat. Secundo, interdicitur eis dominium in virum. (*Eccl.* 25.) *Mulier si primatum habeat contraria est viro suo.* Et Philosophus dicit, quod dominium mulierum est corruptio familiæ, sicut tyranni in regno. Et sic prohibet duo contra duo, quæ competunt eis, sed primum repetit, sc. *Sed esse in silentio.*

Deinde cum dicit : *Adam enim,* assignat rationem ejus quod dixerat, et primo ex ordine creationis, secundo ex ordine culpæ, ibi : *Et Adam non est seductus.* Circa primum sciendum

est, quod in ordine rerum perfectum et imperfectum diversimode ordinantur, quia in uno et eodem imperfectum præcedit tempore, et perfectum præcedit natura, quia natura tendit ad perfectum, sed in diversis perfectum est prius tempore et natura, quia natura semper incipit a perfectis. Et hunc ordinem agit hic, quia vir perfectus est in natura humana, mulier vir occasionatus. Unde primo formatus est Adam. (*Gen.* 2.) *Formavit Deus hominem de limo terræ.* Secundario mulier sicut quoddam imperfectum a perfecto originatum, sc. de costa. (1 *Cor.* 11.) *Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro est.* Et inde est quod homo non dicitur factus propter mulierem, sed ad similitudinem Dei. (*Gen.* 1.) *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.* Mulier autem propter virum, ideo vir debet præesse. Item ex parte culpæ. Ordo enim generationis et corruptionis est contrarius, quia quod est primum in generatione, est ultimum in corruptione. Peccatum autem est corruptio naturæ, et ideo generatio incipit primo ab Adam, sed corruptio a muliere. Unde dicit: Adam non est seductus, sc. primo, quia fortior erat, sed tentator incipit a debiliori, ut facilius seduceretur fortior. Alludit autem hic verbis Adæ. (*Gen.* 3.) Cum enim Dominus reprehendit Adam, dixit: *Mulier quam dedisti mihi sociam dedit mihi, etc.* Et ideo dicit: *Adam non est seductus, sed mulier.* Seductio autem duplex est, sc. in universali, et in particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis. Quicumque ergo peccat, seducitur ignorantia electionis in particulari eligibili. *Mulier autem fuit seducta,* ignorantia in universali, quando sc. credidit quod serpens dixit, sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari, sc. quod gerendus esset mos uxori, et cum ea comedere deberet, et inexpertus divinæ severitatis credidit quod facile ei remitteretur. Sed contra. Ignorantia est pœna peccati, ergo pœna præcessit culpam. Respondeo: dicendum est quod non præcessit, quia statim ad verba serpentis fuit elata, eo quod alius esset de ea sollicitus, et ex illa elatione seducta est, unde elatio præcessit.

Deinde cum dicit: *Salvabitur autem,* respondet cuidam tacitæ quæstioni, quia diceret quis, quod si mulier non est propter virum et ex ea est initium peccati, ergo viro est nociva, sed si aliquid non est propter aliud, sed est ei nocivum, debet tolli, ergo mulier non debet salvari. Dicendum est ergo, quod duplex est salus, sc. temporalis, et hæc est communis etiam brutis. Alia est æterna, et hæc est propria hominum. (*Is.* 51.) *Salus autem mea in sempiternum erit.* Utramque autem salutem mulier non amisit. Non temporalem, quia statim non privatur sexu muliebri propter generationem prolis, nec æternam, quia secundum animam capax est gratiæ et gloriæ. Et ideo quantum ad primum dicitur: *Salvabitur*, id est, non extirpabitur, et hoc: *Per generationem filiorum,* ad quam est a Deo ordinata. Quantum ad secundum dicit: *Si permanserit.* Sed quia si importat causam, nunquid quæ non permansit non salvabitur, cum Apostolus dicat, quod mulier melius facit si non nubat? Respondeo: uno modo potest esse locutio figurativa, et sic per virum ratio superior intelligitur, ratio inferior est mulier, opera bona sunt filii inferioris rationis, et charitas quam per virum concipit, et per hæc salvabitur. Alia est expositio litteralis, ut *ly*, per, non dicat causam sed repugnantiam. Et est sen-

sus, *Mulier salvabitur*, etiam si incedat per generationem, sc. si nubat et non sit virgo. Et tunc *ly*, per, dicit augmentationem salutis quasi per generationem filiorum ad cultum Dei, magis salvabitur. (*Eccl.* 7.) *Filii tibi sunt, erudi illos, et incurva illos a pueritia illorum.* Quo ad salutem æternam consequendam tria ponit. Primo aliquid quo ad intellectum. Secundo quo ad effectum. Tertio quo ad exteriorem actum. In intellectu est fides, per quam intellectus Christo subjicitur. Unde dicit: *In fide.* (*Hebr.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et quia fides nihil valet sine dilectione: ideo quoad effectum statim subjungit, dicens: *Et dilectione,* (1 *Cor.* 13.) *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum, etc.* In exteriori autem ponit duo contra lasciviam, quæ consistit in duobus, sc. in luxuria. Et quantum ad hoc dicit: *In sanctificatione,* id est, in castitate. (1 *Thess.* 4.) *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, etc.* Item in crapula, contra quod dicit: *Cum sobrietate.* (*Is.* 2.) *Sobrie et pie, et juste vivamus in hoc seculo.*

CAPUT III.

Episcopi, ac sacerdotis conditiones exprimuntur.

1. *Fidelis sermo. Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*
2. *Oportet enim episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem, doctorem.*
3. *Non vinolentum, non percussorem, sed modestum, non ligitiosum, non cupidum.*

Supra instruxit Timotheum de pertinentibus ad fidem rectam et cultum Dei, hic agit de instructione officiorum ecclesiasticorum. Et primo ponitur institutio. Secundo suæ institutionis occasio seu necessitas, ibi: *Hæc tibi scribo.* Item primo instruit de pertinentibus ad episcopum, secundo quo ad diaconos, ibi: *Diaconos similiter.* Sed cum secundum Dionysium tres sint ordines, sc. episcoporum, qui præficiunt, presbyterorum, qui illuminant, diaconorum, qui purgant: quare non facit mentionem de presbyteris? Respondeo: dicendum est quod presbyteri intelliguntur cum episcopis: non quod sit indistinctio inter ordines quantum ad rem, sed quantum ad nomina: quia presbyter idem est quod senior, et episcopus superintendens. Et ideo presbyteri et episcopi quantum ad nomen vocabantur et episcopi et presbyteri. Circa hoc ergo primo agit de desiderio perveniendi ad episcopatum. Secundo describit conditionem episcopi, ibi: *Oportet autem.* Præmittit ergo suæ institutionis assertionem, dicens: *Fidelis sermo,* sc. quem dicam, vel dixi. (*Apoc. ult.*) Hæc verba fidelissima et vera sunt. *Si quis episcopatum desiderat, etc.* Ex hoc sumpserunt aliqui occasionem ambitionis episcopatus et prælationis. Sed non recte intelligunt quod hic dicitur: Apostolus enim hic voluit ostendere quid pertineat ad episcopum. Episcopus est nomen Græcum, scopos enim idem est quod intendens, epi, id est, supra, episcopus ergo dicitur quasi superintendens.

Duo ergo sunt consideranda in epis-

copo, sc. gradus superior, et actio plebi utilis. Aliqui enim projiciunt forte oculum ad ea, quæ circumstant eum, sc. quod qui præest honoratur, et quod habet potestatem. Et qui propter ista desiderat episcopatum, nescit quid sit episcopus. Et ideo dicit Apostolus, quid sit episcopus, et quid desiderat qui episcopatum desiderat, quia bonum opus. Non dicit bonum desiderium habet, sed bonum opus, sc. utilitatem plebis. Sed numquid licet ipsum desiderare? August. dicit quod non. Gloss. Locus superior sine quo regi non potest populus et si teneatur et administretur decenter, tamen indecenter appetitur. Et idem dicit 19 de civitate Dei. Cujus ratio est quod nullus debet appetere aliquid supra vires suas non sibi proportionatum, alias esset stultus. Horatius. Ludere qui nescit campestribus abstinet armis. Ille ergo bene episcopatum desiderare posset, cujus facultas episcopatui esset proportionata. Ad hoc autem nullus est idoneus, quia prælatus secundum gradum et convenientiam debet omnes alios excedere in conversatione et contemplatione, ita ut in respectu sui alii sint grex. Et hanc idoneitatem de se præsumere est maximæ superbiæ, aut ergo appetit circumstantias, et tunc nescit quid appetat, quia non est hic episcopatus, vel ipsum opus, et hoc est superbiæ. Et ideo non est accipiendum nisi impositum. Gloss. Si dicis status episcoporum est perfectior statu religiosorum, hunc autem licet appetere, igitur. Respondeo: Perfectio aliter se habet in hoc et in illo, quia status episcoporum præsupponit perfectionem, et ideo nullus appetere debet nisi habeat eam, sed status religiosorum est via, et ideo non requiritur perfectio jam habita, sed quod teneatur acquirere eam nisi habeat, et hoc patet (*Joan. ult.*) Ubi Dominus Simoni non dicit: Si vis perfectus esse, pasce, etc. Et juveni dicit: Si vis perfectus esse, etc. Sic ergo intelligendum est in nomine episcopatus bonum opus. (*1 Petr.* 5.) *Non ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis, etc.* Quasi dicat: Si tu episcopatum desideras, hoc est quod desideras, quia bonum opus. Sed qualis debeat esse episcopus ostendit, cum subdit: *Oportet episcopum, etc.* Quem primo instruit in generali. Secundo in speciali, ibi: *Unius uxoris.* Dicit ergo: Dico quod bonum opus desiderat, sed ad hoc non omnis est idoneus, sed oportet quod sit talis, primo irreprehensibilis. Unde de Zacharia dicitur (*Luc.* 1) quod incedebat in omnibus mandatis et justificationibus sine querela. (*Lev.* 21.) *Qui habuerit maculam non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus.* Nec intelligendum est, quod omnino sit sine peccato, quia dicitur (*1 Joan.* 1.) *Si dixerimus, etc.* Nec est dicendum sicut aliqui dixerunt, quod quicumque peccavit mortaliter post baptismum, non est idoneus, quia pauci essent tales, sed irreprehensibilis, id est, non subjectus alicui peccato, unde ab aliis reprehendi posset, quia indecens est si reprehensibilis sit reprehensor. (*Matth.* 7.) *Ejice primum trabem, etc.*

Deinde cum dicit: *Unius uxoris, etc.* instruit eum in speciali, et primo quantum ad se. Secundo quantum ad multitudinem, ibi: *Filios habentem.* Iterum prima in duas, quia primo ostendit quibus virtutibus ornetur. Secundo a quo mens debet esse immunis, ibi: *Non vinolentum.* Omnis autem moralis virtus est primo circa passiones, et sunt duo quæ faciunt sanctitatem, sc. castitas et sobrietas, quia per delectationem vel delectabilia carnis, maxime inquietatur anima. Et ideo primo ponit

quod pertinet ad castitatem, dicens: *Unius uxoris virum.* Simile (*Tit.* 1.) In hoc autem discordia videtur esse inter Augustinum et Hieronymum. Hieronymus enim dicit quod hoc intelligitur post baptismum, quia si ante baptismum duos habuit uxores, vel unam primo et aliam postea, non impeditur ab ordinatione, quia per baptismum omnia delentur. Augustinus et Ambrosius contrarium dicunt, quia sive ante, sive post, si duas habuit non ordinatur. Et numquid baptismus omnia delet? Respondeo, sic quo ad peccata, non autem quo ad irregularitatem, quæ interdum etiam sine peccato incurritur ex sola ecclesiastica institutione, sed matrimonium non est peccatum etiam in paganis. Sed quæ est causa hujus institutionis? Numquid non magis impeditur qui multas concubinas habet? Respondeo: dicendum quod hoc fit non propter incontinentiam tantum, sed propter repræsentationem sacramenti, quia sponsus ecclesiæ est Christus, et una est ecclesia. (*Cant.* 5.) *Una est columba mea.* Secundo agit de sobrietate dicens: *Sobrium.* (*Tit.* 2.) *Sobrie et pie et juste vivamus in hoc seculo, etc.* Hic enim docet episcopum qui dicitur superintendens, ut vigilet. (*Luc.* 2.) *Pastores autem erant, etc.* Et ebrietas obstat vigiliis. (1 *Petr. ult.*) *Sobrii estote, etc.* Tertio ordinat rationem, dicens: *Prudentem,* quia hæc est regitiva omnium virtutum, et episcopus eligitur ut alios regat. (*Matth.* 10.) *Estote prudentes.* (*Matth.* 24.) *Quis putas est fidelis servus et prudens, etc.*

Consequenter ponit virtutes, quæ ordinant actiones exteriores. Primo quantum ad se. Secundo quantum ad alios. Quantum ad se dicit: *Ornatum, pudicum.* Ornatus est quando bene componitur in actibus, et dictis. Ornatus enim importat pulchritudinem quæ consistit in proportione. Unde tunc est ornatus, quando agit et loquitur ut decet. (*Eccl.* 44.) *Homines divites in virtute pulchritudinis studium habentes.* Hoc requiritur in episcopo, quia per exteriora judicamus de interioribus. (*Eccl.* 19.) *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis, enuntiant de illo:* quia prælatus ponitur in aspectu hominum, oportet quod sit ornatus. Unde dicitur de Ambrosio, quod quosdam ordinare nolebat, quia dissolute incedebant. Item quandoque contingit quod occurrunt alicui aliqua turpia in aliis vel agentibus vel dicentibus, et ad hæc debet habere pudicitiam, ut verecundetur si videat vel audiat. Augustinus. Impudicus oculus, impudici cordis est nuntius. (*Eccl.* 7.) *Gratia enim verecundiæ illius super aurum.*

Deinde cum dicit: *Hospitalem, etc.* agit de episcopo in comparatione ad alios. Imponitur autem episcopo ut pascat oves. (*Joan. ult. et* 1 *Petr. ult.*) Et duplex est eleemosyna, sc. corporalis et spiritualis. Ergo debet in utraque pascere. Quantum ad primum dicit: *Hospitalem,* sc. peregrinorum et hospitum. (*Rom.* 12.) *Hospitalitatem sectantes.* (*Hebr. ult.*) *Hospitalitatem nolite oblivisci, etc.* (*Job.* 31.) *Ostium meum viatori patuit, etc.* Quantum ad secundum dicit: *Doctorem.* (*Eph.* 4.) *Alios pastores et doctores, etc.* Et hoc est officium proprium prælati. (*Jer.* 3.) *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina, etc.*

Consequenter cum dicit: *Non vinolentum, etc.,* removet vitia opposita. Tria autem removet. Unum quod pertinet ad concupiscentiam carnis. Aliud ad iram, aliud ad cupiditatem. Quantum ad primum dicit: *Non vinolentum.* Minus dicit, et plus significat.

(*Eph.* 5.) *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Quasi dicat : non gulosum, non luxuriosum. Quantum ad iram duo ponit, primo quantum ad actum dicit : *Non percussorem.* Decenter prohibet hoc post vina, quia ebrii de facili percutiunt. *Sed modestum,* id est, patientem. (*Phil.* 4.) *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* (*Ps.* 91.) *Bene patientes erunt ut annuntient.* Christus passus non percutiebat. Secundo quantum ad verba cum dicit : *Non litigiosum.* (2 *Tim.* 2.) *Servum Dei non oportet litigare.* (1 *Cor.* 11.) *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei.* Et hoc quia episcopi sunt successores apostolorum, quos Christus instruxit ut pacem annuntiarent. Item in passione sua Christus dixit : Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Quantum ad res temporales dicit : *Non cupidum,* quia ponitur judex et ordinator ecclesiæ, qui si sit cupidus de facili declinat a justitia. (*Exod.* 23.) *Ne accipias munera, quæ excæcant etiam prudentes et subvertunt verba justorum*; sed heu (*Jer.* 6.) *A majore usque ad minorem omnes avaritiæ student.*

LECTIO 2.

Prosequitur de eisdem loqui, quo ad privatam familiam, et commendatam ecclesiam, Diaconosque hortatur quomodo sese habeant tum ad se ipsos, tum ad uxores proprias.

4. *Sed suæ domui bene præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate.*
5. *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit?*
6. *Non neophitum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli.*
7. *Oportet autem et illum testimonium habere bonum ab his qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in laqueum diaboli.*
8. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes.*
9. *Habentes mysterium fidei in conscientia pura.*
10. *Et hi autem probentur primum, et sic ministrent, nullum crimen habentes.*
11. *Mulieres similiter pudicas, non detrahentes, sobrias, fideles in omnibus.*

Supra ostendit Apostolus qualis debet esse episcopus secundum se, hic ostendit qualis debet esse in comparatione ad multitudinem. Et primo quo ad multitudinem domesticæ familiæ. Secundo quo ad multitudinem ecclesiæ, ibi : *Non neophitum.* Tertio quo ad multitudinem infidelium, ibi : *Oportet autem.* Item primo ostendit qualis debet esse in comparatione ad familiam domesticam. Secundo rationem hujus assignat, ibi : *Si quis autem.* Item primo ostendit quod ab episcopo requiritur gubernatio debita familiæ. Secundo bona instructio filiorum, ibi : *Filios habentem.* Dicit ergo : Oportet episcopum bene præesse domui, id est, familiæ suæ, ut eam bene gubernet. Bona autem gubernatio non solum est acquisitio divitiarum, quia ea non sunt finis œconomiæ, sed instrumenta, sed finis ejus est recta vita. (*Eccl.* 44.) *Pacificantes in domibus suis.* Specialiter autem in domestica familia præcipui sunt filii. Et ideo dicit de eis spe

cialiter : *Filios habentem subditos*, id est, quod suis filiis dominetur non emollitus ex teneritudine amoris, quam quandoque extendit ad filios. Inter alia autem, quæ requiruntur in filiis episcoporum quos habuerunt antequam essent episcopi, requiritur quod sint casti. Ideo subditur : *Cum omni castitate*, quia mala eorum vita esset testimonium contra parentem et prælatum. (*Eccl.* 10.) *Secundum judicem populi sic et ministri ejus, et qualis rector civitatis, tales et habitantes in ea.* (*Sap.* 4.) *Ex iniquis enim omnes filii qui nascuntur testes sunt nequitiæ adversus parentes in interrogatione sua.* Secundo ratio est, quia ad domum episcopi concurrit populus, ideo oportet eos esse castos. Contra illud primi Regum secundo, ubi filii Hely non casti, corrumpebant. mulieres venientes ad templum. Unde et Hely a Domino est punitus.

Deinde cum dicit : *Si quis autem*, dicti sui rationem assignat. Posset enim dici : Quid ad episcopum quod bene regat familiam, cui imminet cura communis? Et ideo dicit : *Si quis autem domui suæ, etc.*, propriæ familiæ. (*Luc.* 16.) *Qui fidelis est in minimo et in majore fidelis est.* Contingit tamen frequenter quod aliqui non sunt bene regitivi in parvis domesticis, qui tamen bene regunt in majoribus. Sed quod dicit, nescit, hæc nescientia refertur ad negligentiam. Nam qui parva negligit, de facili magna negligit, licet qui non curat de parvis, aliquando bene se habeat in majoribus. Consequenter ostendit qualiter se habeat ad multitudinem ecclesiæ, in qua non debet esse novitius in fide, sed antiquus. Unde dicit : *Non neophytum*, id est, novam fidem habentem. (*Act.* 1.) *Oportet eligere unum ex his qui nobiscum, etc.* Item (*Num.* 11.) *Congrega mihi 70 viros de senioribus quos tu nosti, quod senes sint populi ac Magistri et duces, etc.* Sed sicut dicitur (*Sap.* 4.) *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque, numero annorum computata.* Contingit enim quandoque quod in aliquibus novis superabundet gratia et habent simul cum ætate juvenili morum senectutem, qui dispensative promoventur, sicut Ambrosius divina inspiratione. Unde hoc quod dicit hic, ad eos pertinet qui non solum ætate neophyti, sed et qui neophyti sunt perfectione. Et hujus est ratio : *Ne in superbiam, etc.* Quando enim aliquis de novo veniens ad fidem et ad conditionem aliquam promovetur, reputat se aliis meliorem et valde necessarium, quasi nisi ipse esset non haberent unde provideretur ecclesiæ. Et dicit : *Diaboli*, quia ipse condemnatus fuit propter peccatum superbiæ.

Deinde cum dicit : *Oportet autem illum, etc.*, ostendit qualiter se habeat ad multitudinem infidelium, et ponit documenta. Primo ut sit bonæ famæ (*Col.* 4.) *In sapientia ambulate ad eos qui foris sunt.* (1 *Petr.* 2.) *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.* Et hoc necessarium est prælato, quia conversatio totius congregationis judicatur ex prælato. Sed contra (2 *Cor.* 6). *Per infamiam et bonam famam.* Respondeo : infamia insurgit quandoque ex culpa ejus qui infamatur, et hanc prohibet hic, quandoque ex malitia detrahentium, et in hac oportet habere patientiam, et de hac loquitur Apostolus ibi : Sed hic loquitur de assumendo in episcopum, qui et si sit bonus, et infamatur falso, debet patienter ferre. Secundo assignat rationem. Unde subdit : *Ut non in opprobrium, etc.* Ubi tangit duplex periculum sc. ne fiat opprobriosus, et per hoc ejus auctoritas minuatur, et per

consequens auferatur audacia corrigendi. (*Matth.* 7.) *Ejice primum trabem, etc.* Secundo ne incidat in laqueum diaboli, quandoque sc. impatienter sustinendo, per quod infamis concitetur ad odia, et desperet, et hujusmodi. Et quod prælatus sit odiosus laicis contingit, si negligit cultum divinæ laudis. (*Mal.* 2.) *Irritum fecistis pactum Levi, dicit Dominus exercituum, propter quod dedi vos contemptibiles et humiles omnibus populis.*

Deinde cum dicit : *Diaconos, etc.*, ostendit pertinentia ad diaconos, quod in Græco idem est quod ministri. In primitiva enim ecclesia solum erant tres ordines, ut dicit Dionysius, sc. episcoporum, presbyterorum, et ministrorum, et non dividebantur per diversos gradus, sed omnia erant in uno ordine propter paucitatem ministrorum, et propter novitatem ecclesiæ. Primo ergo ostendit quales debent esse secundum se. Secundo quantum ad alios, ibi : *Mulieres.* Item primo ostendit quales debent esse. Secundo quomodo examinandi sunt, ibi : *Et hi.* Item primo ostendit quales debent esse quantum ad eorum proprium corpus. Secundo quantum ad res exteriores, ibi : *Non turpe.* Tertio quantum ad alia, ibi : *Habentes, etc.* Item quantum ad corpus, primo ostendit quo ad totius corporis qualitates. Secundo quantum ad oris refrenationem. Dicit ergo : Dico quod episcopi debent esse pudici, similiter oportet diaconos esse, quia contrarium pudicitiæ facit ineptum ad spiritualia, quia denegat animum a spiritualibus, quem necesse est tales habere elevatum. (*Is.* 52.) *Mundamini qui fertis vasa Domini.* (*Luc.* 12.) *Sint lumbi vestri præcincti.* Deinde ostendit quales debent esse in ore. Os servit locutioni, et gustui. Quantum ad primum, dicit : *Non bilingues.* (*Eccl.* 28.) *Lingua tertia multos commovit, et dispersit illos a gente in gentem.* Bilinguis est habens duas linguas. Non erunt tales diaconi ministri pacis. Quantum ad secundum dicit : *Non multo.* (*Prov.* 23.) *Cui væ? Cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino et student calicibus epotandis?* (*Is.* 5.) *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

Deinde cum dicit : *Non turpe lucrum sectantes*, ostendit quomodo se habeant ad res exteriores. Non solum enim divertuntur a justitia quandoque propter cupiditatem lucri, sed etiam a veritate, dicentes, quæ non oportet. Et ideo prohibetur eis temporale lucrum, in quo intelligitur omne lucrum inhonestum. Sed quantum ad affectionem, dicit : *Habentes, etc.* Et instruit eos. Primo quantum ad fidem. Secundo quantum ad conscientiæ puritatem. Unde dicit : *Mysterium fidei*, non fidem, id est, non tantum fidem simplicem, sed intelligentiam ejus quod in fide occultum est. Mysterium enim idem est quod occultum, quia ministri debent scire non tantum ea de fide quæ et populus intelligit, sed et mysteria, quia debent alios instruere. (1 *Petr.* 3.) *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est fide et spe, etc.* Item conscientiam puram, quia impura facit in fide errare. (*Sup.* 1.) *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.*

Deinde cum dicit : *Et hi probentur primum, et sic, etc.*, ostendit quomodo examinentur. Posset enim dicere aliquis : Puto omnes bonos, hoc enim debet esse in tua reputatione. Sed quantum ad eorum promotionem om-

nes sunt examinandi. Unde etiam ipsi examinantur, unde dicit: *Et hi, etc. Nullum crimen*, id est, peccatum mortale, non autem intendit de peccato veniali, quia ut dicitur (1 *Joan.* 1.) *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est.* Nec dicit qui habuerunt, sed: *Habentes*, id est, qui sunt notabiles et habent infamiæ crimen. Alioquin hoc esset derogare clavibus ecclesiæ.

Deinde cum dicit: *Mulieres, etc.*, ostendit qualiter se habeant ad alios. Et primo ponit suam instructionem. Secundo rationem, ibi: *Qui enim habent.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit qualiter se habeant ad uxores, quas habebant in primitiva ecclesia, et loquitur pro statu illo. Secundo quomodo ad filios, ibi: *Qui filiis.* Iterum prima in duas, quia primo ostendit quales debent esse eorum uxores. Secundo qualiter ipsi habeant se ad illas, ibi: *Diaconos.* In uxoribus eorum requirit quatuor, sc. pudicitiam, modestiam, sobrietatem, et fidelitatem. Dicit ergo: similiter sicut dixi de diaconibus dico de mulieribus, quia oportet eas esse: *Pudicas.* (*Eccl.* 26.) *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Item modestas in lingua: *Non detrahentes.* (*Eccl.* 10.) Quomodo si serpens mordeat in silentio, nihil eo minus habet qui detrahit. Item: *Sobrias*, quæ est maximum ornamentum mulierum. (*Supra* 2.) *Similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia et sobrietate.* Item *Fidelis*, vel Deo quantum ad veram fidem, vel viris suis. Sed quæ culpa est diaconi, si ejus uxor est mala? Respondeo: Aliquis a ministerio repellitur non solum propter culpam, sed etiam propter aliquod impedimentum ministerii. Et ideo si præter culpam eorum possent mulieres esse malæ, tamen præstant impedimentum dupliciter. Primo quia cum malæ sunt, indigent majori cura, et per hoc earum viri minus vacarent ecclesiasticis ministeriis. Secundo quia viri depravantur ex uxoribus. Item esset in periculum, quia ministrorum ecclesiæ multi frequentant domos. Dixerunt autem Cathaphrigæ, quod ex quo inter diaconos agitur de mulieribus, mulieres possunt ordinari ad sacros ordines. Sed sciendum est quod in jure, aliquæ mulieres aliquando vocantur diaconissæ, non quia habeant hujusmodi ordinem, sed propter aliquod ministerium ecclesiæ, sicut in Græco dicitur diaconus quilibet minister.

LECTIO 3.

Hæc scripsisse dicit, ut si venire ad eum differret, quomodo in ecclesia conversari debeat sciret.

12. *Diaconi sint unius uxoris viri, qui filiis suis bene præsint, et suis domibus.*

13. *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent et multam fiduciam in fide quæ est in Christo Jesu.*

14. *Hæc tibi scribo fili Timothee, sperans me venire ad te cito.*

15. *Si autem tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

16. *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.*

Supra ostendit Apostolus, quales debent esse diaconi et eorum uxores, hic ostendit quomodo diaconi se habeant ad uxores et ad filios et familiam. Et primo ponit documentum. Secundo ejus rationem, ibi : *Qui enim bene.* Dicit ergo : Dixi quod mulieres diaconorum sint pudicæ. Etsi in uxoribus est pudicitia habenda propter eos, amplius in ipsis est necessaria, ut sint omnino a contactu mulierum immunes. Sed quia secundum hoc pauci essent ministri, concedit quod saltem sint unius uxoris viri, quia habuisse plures, est signum incontinentiæ et contra significationem sacramenti. Et inde est quod Dominus instituit matrimonium unius ad unum. Unde et prima uxor benedicitur, non secunda. Deinde monet qualiter se habeant ad filios, dicens : *Qui filiis suis bene præsint*, sc. bene erudiendo in disciplina bona et vita. (*Eccl.* 7.) *Filii tibi sunt, erudi illos, etc.*

Consequenter hortatur eos bene præesse toti domui, id est, familiæ, sc. cum mansuetudine. (*Eccl.* 4.) *Noli esse sicut leo in domo tua, etc.* Et hujus ponit rationem, dicens : *Qui enim bene ministraverint, etc.*, quasi diceret: Quod requiris ab episcopis rationabile est; quia ipsi sunt prælati. Sed quare a diacono qui est minister ? Respondet, dicens : *Qui enim, etc.* Et primo ostendit quod bonus usus hujus ministerii est via ad majorem dignitatem. Secundo etiam quod est via ad vitam æternam. Quantum ad primum dicit : *Qui enim bene ministraverint*, exercendo officium diaconi. Quod enim est in Græco diaconus, in Latino dicitur minister : *Gradum bonum sibi acquirent*, id est, promoveri merentur ad gradum altiorem. (*Matth.* 25.) *Quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, etc.* Et dicit bonum, quia (*Supra eodem.*) *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Nec tamen in hoc est eorum finis, sed cum hoc remunerationem habent a Deo. (*Joan.* 12.) *Volo ut ubi ego sum, illic sit et minister meus.* Et ideo dicit : *Multam fiduciam*, sc. auxilii gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro, et hoc : *In fide, etc.*, id est, per fidem Christi. (2 *Cor.* 3.) *Fiduciam talem habemus, etc.* (*Is.* 12.) *Fiducialiter agam et non timebo.*

Deinde cum dicit : *Hæc tibi scribo*, ponit rationem omnium prædictarum monitionum. Et primo excludit causam opinatam. Secundo astruit veram, ibi : *Si autem.* Tertio assignat rationem, ibi : *Quæ est ecclesia.* Circa primum sciendum est, quod posset Timotheus credere quod ex quo scripsit, de cætero eum non visurus esset, alias superfluum videretur eum litteris monere. Et ideo dicit : *Hæc tibi scribo fili.* Et nominat eum filium, quia sibi charissimus erat. (1 *Cor.* 4.) *Ideo misi ad vos Timotheum qui est filius meus charissimus.* Et dicit : *Sperans*, quasi non certus. (2 *Joan.* 1.) *Plura habens vobis scribere nolui per chartam et atramentum, spero enim me futurum apud vos et os ad os loqui.* Scribo igitur, licet spem habeam, quia spes in longum protrahi potest. (*Prov.* 16.) *Hominis est præparare animum, et Domini linguam gubernare.* Et ideo dicit : *Si autem tardavero, etc.* (1 *Thess.* 2.) *Sed satanas impedivit nos.* Ego igitur scribo : *Si tardavero, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari.* (*Ps.* 67.) *Habitare facit unius moris in domo, etc.*

pertinentibus ad ordinationem ecclesiæ in spiritualibus. Secundo quantum ad documentum fidei, cultum Dei, et dispositionem ministeriorum, hic instruit eum de ordinatione ecclesiæ quantum ad exteriora. Et primo quantum ad cibos. Secundo quantum ad status hominum et divitias, ibi : *Quicumque sub jugo.* Item primo agit de usu ciborum. Secundo de dispensatione ciborum, 5. cap. ibi : *Viduas honora.* Item primo excludit superstitiosam abstinentiam. Secundo præfert pietatem abstinentiæ licitæ, ibi : *Exerce te.* Item primo prænuntiat falsam doctrinam de illicita abstinentia. Secundo instruit eum hæc proponere fratribus, ibi : *Hæc proponens.* Item primo errorem manifestat. Secundo excludit ipsum, ibi : *Quos Deus.* Item primo prænuntiat errorem futurum ex parte deceptorum. Secundo ex parte decipientium, ibi : *In hypocrisi.* Item ponit actorem denuntiationis. Secundo fidei defectum, ibi : *Quia in novissimis.* Tertio causam defectus, ibi : *Attendentes.* Dicit ergo : Magnum est pietatis sacramentum quod justificatum est in spiritu, sed supra hoc sacramentum Spiritus Sanctus aliquid prænuntiat futurum. Ad eum enim pertinet revelare mysteria. (1. *Cor.* 15 *et Joan.* 16). *Quæ ventura sunt, annuntiabit vobis.* Spiritus ergo prænuntiat prius secreta in corde patris futura. Sed olim loquebatur in similitudinibus. (*Num.* 12). *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* (*Oseæ* 12). *Ego visionem multiplicavi, et in manu prophetarum assimilatus sum.* Sed in novo testamento Spiritus Sanctus manifeste dicit : (*Joan.* 16). *Et palam de patre meo annuntiabo vobis.* Et prænuntiat defectum fidei futurum. Unde dicit : *In novissimis temporibus, etc.* Novissimum tempus dicitur ultima ætas, quia nos sumus in quos fines seculorum devenerunt. Tamen in hoc tempore amplius novissimum est, quanto magis propinquum novissimæ diei. Et sicut in primitiva ecclesia propter propinquitatem ad Christum, et sacramenta recenter instituta, fuit ferventissima fides : sic in novissimis temporibus, in comparatione ad tempus apostolorum, *Discedent quidam a fide,* quia carnales erunt, sed magis in fine abundabunt errores. (*Gen.* 49). *Congregamini, ut annuntiem, quæ ventura sunt vobis novissimis diebus, etc.* Causa defectus est duplex. Una ex parte diaboli seducentis. (2. *Cor.* 11). *Timeo ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, etc.*

Et ideo dicit : *Attendentes spiritibus erroris*, sc. dæmonibus, quorum est officium in errorem mittere. (*Joan.* 8). *Mendax est, et pater ejus.* (3. *Reg. ult.*) *Egrediar, et ero spiritus mendax, etc.* Et dicit : *Spiritibus,* quia dæmon major multos habet ministros. Sed quomodo attendent eis ? Numquid eos videbunt ? Non, sed loquentur in eis. Et ideo addit secundam causam, sc. falsam doctrinam. Et secundum Glossam dicit hic falsos doctores, dæmones, nec immerito. Sicut enim boni homines interdum dicuntur angeli, sic isti propter excellentem malitiam dæmones dicuntur. (*Joan.* 6). *Nonne ego duodecim vos elegi ? et unus est ex vobis diabolus.* Ex parte decipientium est duplex causa. Una eorum falsitas. Alia perversitas conscientiæ eorum. Quantum ad primum dicit : *Dæmoniorum*, id est, hominum a dæmone possessorum, et horum dico *Loquentium mendacium.* (*Jer.* 23). *Usquequo istud est in corde prophetarum vaticinantium mendacium, et prophetantium.*

seductiones cordis sui? Et nota quod per mendacium simplex absque passio apparentiæ, non posset aliquis decipere quempiam. Et ita hi neminem possent fallere, nisi prætenderent aliquod pallium, vel bonæ intentionis, vel simulationis, vel falsæ auctoritatis. (1 *Cor.* 3.) *Nemo vos seducat, etc.* (2 *Tim.* 3). *Habentes quidem speciem pietatis*, id est, fictam pietatem. Et dæmoniorum, dico, *Habentium conscientiam cauteriatam.* Cauterium est corruptio in carne per ignem, ex qua egreditur continue putredo. Ita ex igne perversæ voluntatis, iræ, odii, concupiscentiæ, ulceratur conscientia, et dæmoniorum egreditur falsa doctrina. (*Tit.* 1.) *Coinquinatæ sunt eorum mentes.*

Deinde ostendit quæ sit ista falsa doctrina, et tangit hæresim Manichæorum, qui damnant matrimonium, contra illud (*Matth.* 19.) *Quos Deus conjunxit, homo non separet.* (1 *Cor.* 7.) *Mulier non peccat si nubat.* Item Manichæi prohibent usum ciborum, id est, mandant abstinere a cibis. Abstinere autem a cibis potest quis licite intentione domandi carnem, sicut Timotheus abstinebat a vino, vel propter scandalum, sicut dicit Apost. (1 *Cor.* 8.) *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum.* Item illicite. Uno modo propter legis præceptum, quasi legalia adhuc essent servanda, contra quod loquitur ad (*Gal.* 2.) Alio modo secundum hæresim Manichæorum, non quia prohibitum lege (quam damnant) sed quia dicunt quod in carnibus, ovis, et vino, et hujusmodi, id est, in aliqua talium particula divina natura est commixta, quod non potest de Deo putari. Non videtur autem hoc dicere de cibis legalibus, quia dicit in novissimis diebus, sed de prohibitis a Manichæis. Et istos Manichæos dæmones vocat, quia inter omnes hæreses plus dant diabolo de honore, quia ponunt eum principium ex æquo cum Deo bono, ponentes eum principium visibilium. Improbat autem Apostolus hanc erroneam doctrinam dupliciter, sc. ex intentione Dei creantis cibos. Secundo ex conditione creaturæ, ibi: *Omnis creatura.* Dicit ergo quod prohibent abstinere, et hoc contra intentionem Dei, qui *Creavit eos ad percipiendum.* (*Gen.* 1. *et* 9.) *Sicut olera virentia dedi vobis omnia, etc.* Sed dicis: Numquid plantæ propter animalia, et animalia propter homines? Respondeo: dicendum est quod sic, secundum etiam Philosophum in 1. Pol. quia imperfectum ordinatur ad perfectius. Et ideo sicut in generatione est multiplex perfectio: primo sc. plantarum, deinde animalium, et ultimo humana, ita in usu rerum. Et ideo ad percipiendum, sed *Cum gratiarum actione.* (1 *Thess. ult.*) *In omnibus gratias agite*, quia sc. concessa sunt vobis a Deo. (*Ps.* 21.) *Edent pauperes, etc.* Et subdit, *Fidelibus*, quia illi qui percipiunt cum gratiarum actione, sunt fideles. Nullus enim potest gratias agere Deo in eo quod illicitum est. Stultus enim est qui agit gratias de fornicatione Deo, quia Deus non est actor malorum. Ergo ille gratias agit qui habet hoc, quod usus ciborum sit licitus. Et hoc quidem innotescit per fidem solam. Et ex ista ratione dicit, fidelibus.

Deinde cum dicit: *Qui cognoverunt veritatem. Quia omnis, etc.* Improbat errorem ex conditione creaturæ. Et primo proponit creaturam esse bonam secundum se. Secundo quantum ad usum. Dicit ergo: *Omnis creatura est bona*, sc. in sua natura. (*Gen.* 1.) *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, et erant*

valde bona. A bono etiam actore nihil est nisi bonum. Sed quia multa sunt in se bona, quorum tamen usus non est bonus, ideo probat omnem creaturam esse bonam non solum in se, sed et quantum ad usum. Et primo ponit intentum. Secundo probat, ibi: *Sanctificatur enim.* Dicit ergo, nihil rejiciendum est, sc. ex debito divinæ legis, quamvis ex alia causa: sicut venenum comedere, inquantum cibus non est peccatum, sed rejiciendum est inquantum est mortiferum. Similiter nec alii cibi inquantum res tales sunt, non sunt rejiciendi, sed inquantum incitant ad lasciviam. Ergo secundum discretionem rationis, et ordinationem charitatis, non sunt rejiciendi. (*Matth.* 15.) *Omne quod intrat in os, non coinquinat hominem, etc.* Quare ergo aliqui cibi in veteri lege sunt prohibiti? Augustinus ponit rationem contra Faustum, quia in illo statu, non solum per verba, sed etiam per acta præfiguratus est Christus. Et ideo in cibis, vestibus et sacrificiis fuerunt figuræ futuri status. Non ergo prohibentur secundum se, sed quia immundorum figuræ sunt, sicut porcus est signum immundæ vitæ. Et ideo prohibitio carnis ejus, est signum quod in lege Christi est prohibita omnis immunditia. Et est exemplum Augustini. Hoc nomen fatuus potest considerari secundum quod est vox composita ex litteris, et sic est bona, vel inquantum signum et significativa talis rei, et sic mala est et prohibita. Omnis ergo creaturæ usus secundum se est bonus. Cujus ratio est, quia si esset malus, hoc non posset esse nisi inquantum diabolus, post peccatum hominis accepisset potestatem super eos: quia ex quo homo peccavit, accepit in hominem potestatem, et in ea, quæ sunt ejus. Sed per Christum est ablata hæc potestas, et hæc vocatur sanctificatio. Unde omnia quæcumque benedicimus exorcizantur primo, et ibi est oratio expellens diabolum. Et ideo dicit: *Sanctificatur enim per verbum Dei*, id est, per Christum, qui omnes sanctificat. (*Joan.* 17.) *Et per orationem* fidelium. (*Jac. ult.*) *Multum valet deprecatio justi assidua.*

LECTIO 2.

Pietas in omnibus sectanda proponitur Timotheo, cui supradicta ex officio prænunciare committit.

6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris minister Christi Jesu, enutritus verbis fidei et bonæ doctrinæ, quam assecutus es.*

7. *Ineptas autem et aniles fabulas devita. Exerce autem teipsum ad pietatem.*

8. *Nam corporalis exercitatio, ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, et futuræ.*

9. *Fidelis sermo et omni acceptione dignus.*

10. *In hoc enim laboramus et maledicimur, quia speramus in Deum vivum, qui est salvator omnium hominum, maxime autem fidelium.*

Supra reprobavit superstitiosam ciborum abstinentiam, hic mandat Timotheo ut doctrinam præmissam proponat fidelibus, et primo ostendit quid

debet proponere. Secundo quid debet vitare, ibi : *Ineptas autem*. Proponit ergo duas rationes quare debet proponere præmissa. Unam ex commisso sibi officio. Secundam ex ejus educatione. Dicit ergo : *Hæc* quæ dixi supra, sc. quod omnis creatura est bona et quod nihil rejiciendum, etc. *Proponens, etc.* Timotheus enim constitutus erat in officio ministerii Christi, quia omnes habentes officium prædicandi et regendi constituuntur ministri Christi. (1 *Cor.* 4.) *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, etc.* Ille autem est bonus minister qui sequitur intentionem Domini sui. Christus autem hoc docuit. (*Matth.* 15.) *Nihil quod intrat in os coinquinat.* Et ideo hoc officium requirit illud docere. Item ipsa educatio hoc requirit. (*Prov.* 22.) *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Et ideo inconveniens est quod aliqui nutriti veritate doctrinæ recedant ab ea. Unde recedens a doctrina qua ecclesia suos parvulos instruit, non est bonus minister Christi. Et ideo dicit : *Enutritus verbis fidei, etc.* Verbum enim Dei est spirituale nutrimentum quo sustentatur anima, sicut corpus per cibum. (*Matth.* 4.) *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hoc verbum fidei instruit primo circa credenda et sic dicit : *Enutritus verbis fidei.* Secundo circa agenda, et sic subjungit : *Et bonæ doctrinæ.* Vel fidei verbum, quod et simplices habent, et bonæ doctrinæ, quam spirituales magistri.

Deinde cum dicit : *Ineptas, etc.*, ostendit quid vitandum sit, quia fabulæ ineptæ et inanes. Fabula enim secundum Philosophum est composita ex miris, et fuerunt in principio inventæ, (ut dicit Philosophus in poetria) quia intentio hominum erat ut inducerent ad acquirendum virtutes, et vitandum vitia. Simplices autem melius inducuntur repræsentationibus quam rationibus. Unde in miro bene repræsentato videtur delectatio, quia ratio delectatur in collatione. Et sicut repræsentatio in factis est delectabilis, ita repræsentatio in verbis, et hoc est fabula, sc. dictum aliquod repræsentans et repræsentando movens ad aliquid. Antiqui enim habebant aliquas fabulas accommodatas aliquibus veris, qui veritatem occultabant in fabulis. Duo ergo sunt in fabula, quod sc. contineat verum sensum, et repræsentet aliquid utile. Item quod conveniat illi veritati. Si ergo proponatur fabula, quæ non potest repræsentare aliquam veritatem est inanis, sed quæ non proprie repræsentat est inepta, sicut fabulæ de Thalmuth.

Deinde cum dicit : *Exerce, etc.*, exclusa superstitiosa abstinentia, hic comparat abstinentiam virtuosam aliis virtutibus. Et sciendum est quod Timotheus erat homo valde abstinens. Unde dicit (*Infr.* 5). Quod modico vino utatur, et forte ut sit sollicitus de his quæ ad misericordiam pertinent, quia qui non parcunt sibi, frequenter nec aliis parcunt. Et ideo inducit eum ut pietatem præferat abstinentiæ. Et primo inducit eum ad pietatem. Secundo præfert eam abstinentiæ, ibi : *Nam corporalis.* Tertio confirmat quoddam dictum, ibi : *Promissionem.* Quarto dat formam docendi pietatem, ibi : *Præcipe hæc.* Dicit ergo : *Exerce teipsum ad pietatem.* Pietas est per quam parentibus patriæque benevolentiæ officium impendimus, sicut religio, per quam cultum debitum Deo exhibemus. Pietas enim importat quamdam affectionem ad suum principium. Principium autem generationis, est pater et patria. Et ideo oportet quod homo circa

eos sit benevolus. Pater autem omnium est Deus. (*Mal.* 1.) *Si ego pater, ubi est honor meus?* Et ideo nomen pietatis est derivatum ad cultum Dei, ut dicit Augustinus 4. de civitate Dei. Unde eusebia est idem quod pietas. (*Job.* 28.) *Ecce pietas ipsa est sapientia*, secundum aliam translationem, ubi nostra sic habet. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia.* (*Tit.* 1.) *In agnitione veritatis, quæ est secundum pietatem.* Sed quantum ad terrenam pietatem competit pietati, ut homo sit benevolus compatriotis, sed quantum ad Christianam pietatem requiritur, ut homo omnibus hominibus sit benevolus, quia omnes sumus ejusdem patriæ. Et ideo pietas sumitur pro misericordia. Cum ergo dicit: Exerce teipsum ad pietatem, potest accipi secundum quod pertinet ad cultum Dei, et ad opera misericordiæ exhibenda. Glossa, ad pietatem, id est, ad cultum omnipotentis Dei, et opera misericordiæ. Et dicit: Exerce, non fac, quia exercitium dicit promptitudinem, et hoc ideo, quia exercitatus facit levius, delectabilius, et stabilius. (*Prov.* 24.) *Diligenter exerce agrum tuum.*

Deinde cum dicit: *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est*, præfert eam abstinentiæ. Et primo ostendit ad quid valet exercitatio corporalis. Secundo ad quid pietas, ibi: *Pietas autem.* Corporalis exercitatio jejunii et hujusmodi in sua natura non sunt bona, sed pœnalia, et si homo non peccasset nihil horum fuisset, sed sunt bona medicinalia. Sicut enim reubarbarum est bonum inquantum relevat a colera, sic et ista inquantum comprimunt concupiscentias, ergo ad istud modicum sunt utilia. (1 *Cor.* 9.) *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, etc.* (*Col.* 3.) *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Et ideo si homo esset in statu, in quo non posset peccare, non indigeret jejunio et hujusmodi. Unde Chrysostomus super illud (*Matth.* 16). *Venit Jesus, etc.* Dicit: Joannes purus homo, indigebat medicina jejunii: Christus Deus erat et non purus homo, et ideo hujusmodi non indigebat, ergo ad modicum utilis est, quia tantum ad morbum peccati carnalis, non spiritualis, quia aliquando propter abstinentiam homo iracundiam, inanem gloriam, et hujusmodi incurrit.

Deinde cum dicit: *Pietas autem*, præfert abstinentiæ pietatem, et accipitur hic utroque modo, sc. pro cultu Dei, et misericordia. *Et est ad omnia utilis*, quia ad omnia peccata delenda. (*Eccl.* 3.) *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.* Item ad bona promovenda. (*Eccl.* 17.) *Eleemosyna hominis quasi sacculus, etc.* Item promeretur specialem Dei misericordiam. (*Matth.* 5.) *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et ideo ad hoc designandum Dominus (*Matth.* 25.) specialiter commemorat opera misericordiæ. Quod probat subdens: *Promissionem habens.* In præceptis enim decalogi unum solum invenitur, quod pertinet ad pietatem, sc. honorare patrem et matrem, et sub illo continentur omnia præcepta, ad quodcumque beneficium impendendum proximo, et hoc est solum præceptum inter ea, quæ sunt ad proximum habens promissionem, sc., ut sis longævus, etc. (*Exod.* 20.) Et Apostolus hic interpretatur longævus secundum vitam præsentem, et futuram. Unde dicit: *Vitæ quæ nunc est et futuræ.* (*Prov.* 3.) *Longitudo dierum in dextra ejus.* Sed tunc est quæstio, quia aliquando invenitur aliquis pietatem sequens, qui tamen non est longævus.

Respondeo : sicut dicit Philosophus, hæc bona temporalia intantum sunt bona, inquantum utilia ad felicitatem. Unde si quis haberet tantum de temporalibus quod propter ipsa impediretur a bono virtutis et felicitatis, hoc non esset sibi ad bonam fortunam, sed ad malam, ut dicitur (10 *Ethic.*) Et longitudo vitæ est unum de temporalibus, intantum bonum, inquantum coadjuvat ad virtutem. Aliquando autem est occasio ad peccandum, et ideo Deus aliquando subtrahit eam homini, non quia deficiat a promissione, sed quia dat quod melius est. (*Sap.* 4.) *Raptus est, ne malitia immutaret intellectum ejus.* Alia est quæstio, quia Apostolus præfert pietatem corporali exercitationi, quia habet spem vitæ præsentis et futuræ. Sed numquid corporalis exercitatio non habet spem? alias jejunans non mereretur vitam æternam.

Respondeo: quando duæ virtutes sunt, et una continet aliam, illud quod est superioris virtutis per se, competit per accidens inferiori, virtus autem cui competit per se mereri vitam æternam, est charitas, cujus proprius et immediatus effectus est pietas. Et ideo secundum propriam rationem attingit ad merendam vitam æternam, abstinentia autem non, nisi inquantum ordinatur ad charitatem et pietatem, quia si jejunans non refert hoc ad dilectionem Dei, non meretur vitam æternam. Tertia quæstio est, quia dicit hic Ambrosius in Glossa. Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia et pietate est, quam aliquis sequens, si lubricum carnis patiatur, sine dubio vapulabit, non tamen peribit. Ubi primo est dubium de prima ejus parte, quia misericordia et pietas immediate ordinantur ad charitatem, in qua est summa Christianæ religionis.

Respondeo: quorundam fuit opinio, sicut Augustin. dicit 10 de civitate Dei, quod exercentes pietatis opera, quantumcumque faciant peccata carnalia, finaliter non pereunt æternaliter. Et ad hoc est auctoritas ista. Item quod habetur (*Matth.* 25.) Ubi damnandis solum improperat defectum misericordiæ, ergo debetur pœna æterna solum immisericordibus. Augustinus autem dicit contrarium, quia Apostolus dicit, qui talia agunt regnum Dei, etc. Quantumcumque enim exercitetur quis in misericordia, si in morte est in peccato mortali, non intrabit in regnum. Ad opposita dicendum est, quod non est misericors qui sibi non miseretur, secundum illud (*Eccl.* 30.) *Miserere animæ tuæ placens Deo;* et hoc fit si homo conjungatur Deo per amorem, alias non est misericors. Ad illud evangelii respondet August. quod non quicumque peccat detruditur in infernum statim, quia remanet ei locus pœnitentiæ, sed ille detruditur, qui finaliter moritur in peccato, et pertinet pœnitentia ad misericordiam. Sed quid dicit? Si lubricum, etc.

Respondeo: dicendum est, quod loquitur de lubrico mortali. Et quod dicit, non peribit, licet hoc non sit ex condigno, tamen est ex congruo, inquantum disponitur animus ad bonum, unde Dominus post lapsum hominem reparat. Et hoc præcipue videtur esse in pietate, quia homo benefaciendo aliis inducit alios ad orandum pro se: et Dominus donat aliquando veniam peccatoribus precibus sanctorum, inquantum impetratur eis venia peccatorum et donum gratiæ, quia homo potest mereri ex congruo alteri primam gratiam, alias pro nihilo oraret ecclesia pro peccatoribus.

Deinde cum dicit: *Fidelis sermo,* ostendit quod promittitur nobis fu-

tura vita, et primo ostendit hoc ex abore sanctorum. Secundo ex eorum spe, ibi: *Quia speramus.* Tertio ex benignitate Dei, ibi: *Qui est.* Dicit ergo: *Sermo,* quod sc. pietas habet promissionem: *Est fidelis.* Quod supra expositum est. Et quare? *In hoc enim,* id est, propter hoc, ut consequamur vitam æternam, *Laboramus.* (2 *Tim.* 2.) *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Item ut benefaciamus, licet mala sustineamus. Unde dicit: *Benedicimus et maledicimur.* (*Jac.* 1.) *Patientia opus perfectum habet:* et (*Rom.* 5.) *Patientia probationem operatur, etc.* Et sustinemus propter spem vitæ: *quia speramus in Deum vivum,* qui est salvator vitæ præsentis et futuræ. Item ex officio Dei, cujus est salvare. (*Is.* 43.) *Non est absque me salvator.* Et ideo incarnatus est Deus, et vocatus est Jesus. (*Matth.* 1.) *Ipse enim salvum fàciet populum suum a peccatis eorum:* et Jesus idem est, quod salvator, quia salvat, salute corporali, quo ad omnes. Et ideo dicit: *Omnium hominum.* Item spirituali quo ad bonos. Et ideo dicit: *Et maxime fidelium.*

LECTIO 5.

Monet Timotheum, ut in omnibus purum sit exemplar virtutum, et quomodo diversi, ab eo sunt diverso modo docendi.

11. *Præcipe hæc et doce.*
12. *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.*
13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, et doctrinæ.*
14. *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyteri.*
15. *Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus.*
16. *Attende enim tibi et doctrinæ, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt.*
17. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres,*
18. *Anus ut matres, juvenculas ut sorores in omni castitate.*

Superius Apostolus hortatus est Timotheum ad pietatem, hic dat ei formam docendi pietatem, cui primo injungit ut pietatem doceat. Secundo quomodo sit idoneus ad docendum, ibi: *Nemo.* Tertio quomodo diversos diversimode doceat, ibi: *Seniorem.* Doctrina vero pietatis in duobus consistit, sc., in agendis et credendis. Agenda autem non solum debent instruere si sunt auctoritatem habentes, sed etiam præcipere. Et ideo dicit: *Præcipe hæc.* (*Tit.* 2.) *Argue cum omni imperio.* Quantum ad credenda dicit: *Et doce.* (*Matth. ult.*) *Docete omnes gentes.* (*Job.* 4.) *Ecce docuisti plurimos.*

Deinde cum dicit: *Nemo*, ostendit quomodo possit esse idoneus ad prædicta, et primo ad præcipiendum. Secundo quomodo ad docendum, ibi: *Dum venio.* Circa primum duo facit, quia primo docet quomodo debet excludere contemptum. Secundo manifestat per quid excludendum sit, ibi: *sed exemplum.* Præceptum efficaciam non habet nisi per auctoritatem præcipientis, et ideo quando auctoritas contemnitur, præceptum frustratur, quod maxime fit in adolescentia, quia tales

non creduntur prudentes esse. Unde secundum Philosophum: Nemo juvenes elegit duces. Et ideo dicit: *Nemo, etc.* quasi dicat: Licet sis juvenis, mores tamen repræsentent senectutem. (*Tob.* 1.) *Cum esset junior.* Deinde ostendit quomodo excluditur contemptus, dicens: *sed esto, etc.* ut sc. talem exhibeas te ut sis exemplum faciendi, quod verbo doces. Et notandum, quod in his in quibus prælatus est exemplum, est multiplex differentia. Quædam enim ordinantur ad proximum, quædam ad Deum, quædam ad se. Quantum ad proximum dicit: *Exemplum esto fidelium*, ut sc. quod verbo præcipis, impleas opere. (1 *Pet. ult.*) *Forma facti gregis, etc.* Et hoc in locutione. Unde dicit: *In verbo*, sc. ponderato, ordinato, et circumspecto. (*Col.* 4.) *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* (1 *Pet.* 4.) *Si quis loquitur quasi sermones Dei.* Item *in conversatione* exteriori, ut sicut excellit loco et dignitate, ita et honesta conversatione. (1 *Pet.* 2.) *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, etc.* (*Matth.* 5.) *Videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Quantum ad Deum ordinatur charitate, quæ perficit affectum. Unde dicit: *In charitate.* (1 *Cor.* 13.) *Si linguis hominum loquar, etc.* (*Col.* 3.) *Super omnia charitatem habentes.* Item per fidem, quæ illuminat intellectum. Unde dicit: *In fide.* (*Heb.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.* Quod specialiter competit prælatis, qui sunt custodes fidei. Unde (*Luc.* 22.) Specialiter Dominus orat pro fide Petri, dicens: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Quantum ad se vitam et mentem ordinat castitas, quia indecens est nimis, ut vita ministrorum discordet a vita Domini (*Eccl.* 10.) *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* Christus autem sic castitatem dilexit, ut de virgine vellet nasci et ipse eam servavit, ideo sequitur in castitate.

Deinde cum dicit: *Dum venio, etc.* ostendit quomodo sit idoneus ad docendum, et primo facit hoc. Secundo assignat rationem præmissæ monitionis, ibi: *Noli negligere.* Per duo autem est idoneus ad docendum, sc. per lectionem, in qua acquirit scientiam, et per exercitium, in quo efficitur promptus. Et ideo dicit: *Dum venio attende lectioni*, sc. librorum sanctorum. (1 *Mach.* 12.) *Habentes solatio libros sanctos.* (*Joan.* 5.) *Scrutamini scripturas.* Et hoc significatur (*Exod.* 2.) Ubi dicitur: quod semper in arca Domini debebant esse vectes in circulis et circuli in angulis: quasi semper parati ad portandum. Ad exercitium autem necessaria est exhortatio nostra quantum ad agenda, doctrina quantum ad cognoscenda. Ideo addit: *Exhortationi et doctrinæ.* (*Jer.* 3.) *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.*

Deinde cum dicit: *Noli*, ponit rationem monitionis præmissæ, et primo ponit causam ex dono suscepto. Secundo causam ex præmio expectato, ibi: *Attende tibi.* Item primo ponit rationem. Secundo ostendit quomodo quod in ratione continetur impleri potest, ibi: *Hæc meditare.* Dicit ergo: *Noli, etc.* quasi dicat, imo attende, quia qui recipit gratiam non debet in ea negligens esse, sed ex ea fructificare debet. (*Matth.* 25.) Servus abscondens in terra pecuniam, punitur propter negligentiam. — *Noli ergo negligere gratiam, etc.* Per hoc intellige, vel dignitatem episcopalem, vel donum scientiæ, vel prophetiæ, vel miraculorum, quorum nihil debet negligi. (2 *Cor.* 6.) *Ne in vanum gratiam Dei recipiatis.* Dico

gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, id est, per divinam inspirationem. Nam in primitiva ecclesia, ubi pure et propter Deum electiones fiebant, nullus assumebatur ad episcopatum nisi per electionem divinam, sicut electus est Ambrosius et Nicolaus. Et hanc inspirationem vocat hic prophetiam. Unde Gloss. dicit, id est, per sanctorum electionem, quia sancti non eligebant, quem a Deo non sciebant electum. Item Apostolus prævidebat hunc profuturum esse populo. (*Prov.* 29.) *Cum prophetia defecerit*, id est, talis modus electionis, *dissipabitur populus*. Et quomodo? Cum impositione manus presbyteri. Alia littera habet: *Manuum presbyteri*. Et sicut dictum est nomina presbyteri, vel episcopi sunt promiscua, quia sacerdotes et presbyteri, id est, episcopi erant, qui recipiebantur cum manus impositione. (*Num.* 27.) *Voca Josue et impone manum tuam super eum, etc.* Dominus etiam imposuit manum pueris, ut dicitur (*Matth.* 19.) Item Apostoli septem diaconibus. (*Act.* 6.) Et ideo ordinandis in episcopum imponuntur manus. Sed quæstio est, cum episcopus debeat ordinari a tribus, quare hic dicitur singulari numero presbyteri? Respondeo: hoc ideo dicit, quia etsi conveniant multi, tamen unus est principalis et alii coassistentes. Tamen potest dici: quod tunc hæc constitutio nondum erat, et tunc pauci erant episcopi, qui non poterant congregari. Alia littera habet presbyteri, id est, illorum qui sibi imposuerunt manus non inquantum homines, sed inquantum presbyteri. Et hæc impositio significat collationem gratiæ, non quod ministri dent gratiam, sed quod significant gratiam datam a Christo. Unde illorum est solum, qui sunt ministri Christi. Et ideo dicit presbyterii, vel presbyteri, quia manus impositio, alia est, quæ fit a diaconibus, et alia quæ fit a presbyteris.

Deinde cum dicit: *Hæc meditare*, ostendit quomodo impleatur, quod dictum est, ut sc. continue meditetur ea, quæ spectant ad officium suum. (*Hebr. ult.*) Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. *Hæc ergo meditare*, id est, frequenter cogita, quæ sunt ad curam gregis tui. *In his esto*, id est, tota virtus tua sit ad hoc. Et quare? *Ut profectus tuus manifestus sit omnibus.* (*Matth.* 5.) *Nemo accendit lucernam, et in abscondito ponit, etc.* (*Phil.* 4.) *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Et hæc debet servare propter præmium expectatum, propter quod subdit dicens: *Attende tibi et doctrinæ.* Aliqui sic attendunt doctrinæ, quod sui curam negligunt, sed Apost. dicit quod primo attendat sibi, et postea doctrinæ. (*Eccl.* 30.) *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Unde Jesus cœpit facere et docere. *Insta in illis*, id est, instanter exerce. (2 *Tim.* 4.) *Insta opportune.* Et fructus erit ex hoc copiosus, quia *Hoc enim faciens et teipsum, etc.* Et hoc est magnum. (*Jac.* 5.) *Qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam suam a morte.* (*Dan.* 12.) *Qui ad justitiam erudiunt multos quasi stellæ, etc.* Unde doctoribus debetur præmium aureolæ.

Deinde cum dicit: *Seniorem, etc.* ostendit quomodo diversimode diversis suam doctrinam debet tradere, et ponit duas diversitates. Unam secundum ætatem. Aliam secundum sexum. Secundum ætatem primo quantum ad viros. Secundo quantum ad fœminas, ibi: *Anus, etc.* Dicit ergo: *Seniorem, etc. Sed obsecra ut patrem.* (*Levit.* 19.) *Honora personam senis.* Et ideo non sunt mordaciter increpandi, sed ob-

secrandi. (1 *Pet.* 5.) *Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior.* Et si Petrus senior hoc faciebat, quanto magis juvenis hoc debet. Sed contra (*Is.* 65.) *Puer centum annorum morietur et peccator centum annorum maledictus erit.* Respondeo: dicendum est, quod senex propter excedentem malitiam perdit honorem senectutis, et tunc increpandus. *Juvenes, ut fratres.* (*Matth.* 23.) *Omnes vos fratres estis.* (*Ezech.* 34.) *Cum austeritate imperabatis eis.* Ex parte fœminarum est differentia ætatum, *quia anus ut matres*, maxime, quæ non sunt juvenes. (*Infra* 5.) *Viduas honora.* — *Juvenculas, ut sorores.* Ex amore charitatis. Et hoc. *In omni castitate.* Quia amor spiritualis ad mulieres nisi cautus sit degenerat in carnalem, ideo in his, quæ ad juvenculas pertinent, adhibenda est castitas: et ideo Apostolus addit hoc. Unde papa scribens eis dicit: *Dilectis in Christo.* Sed viris simpliciter dicit: dilectis filiis.

CAPUT V.

Honorare viduas monet, ostenditque quæ vere viduæ sint, et quibus auxilium dandum.

1. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.*
2. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, discat primum domum suam regere, et mutuam vicem reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo.*
3. *Quæ autem vere vidua est et desolata, speret in Deum, et instet obsecrationibus et orationibus nocte et die.*
4. *Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.*
5. *Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint.*
6. *Si quis autem suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.*

Supra instruxit Timotheum de usu ciborum et de abstinentia, hic instruit eum de dispensatione ciborum, quæ sit spiritualibus personis, sc. quæ dispensabantur viduis et doctoribus. Primo ergo instruit eum de viduis. Secundo de doctoribus, ibi: *Et qui bene præsunt.* Circa primum primo ostendit quomodo viduis et doctoribus sunt ministranda alimenta per ecclesiam. Secundo qualis vidua sit eligenda, ibi: *Vidua eligatur.* Item primo ostendit qualibus viduis sit subveniendum. Secundo manifestat, quod dixit, ibi: *Si qua autem.* Tertio ostendit rationem dictorum, ibi: *Si quis.* Dicit ergo: *Viduas honora*, non solum reverentiam exhibendo, sed necessaria tribuendo. Hæc enim duo intelliguntur in verbo honoris. Unde in præcepto honorandi parentes, intelligitur etiam de subventione, quasi dicat: in necessariis provide, et hoc inchoatum est a principio ecclesiæ. (*Act.* 6.) *Factum est murmur Græcorum adversus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum.* (2 *Mach.* 3.) *In templo pecunia posita erat ad alimoniam viduarum et pupillorum.* Sed quas viduas? Illas *quæ vere sunt viduæ.* Vidua dicitur quasi a viro vidua, id est, divisa. Nam vidua vere

est illa, quæ non habet alias personas, quibus sustentetur, et huic necessaria dabantur de eleemosynis fidelium.

Deinde cum dicit: *Si qua autem*, exponit quæ sunt vere viduæ, et primo ostendit, quæ non sunt vere. Secundo quæ sunt vere, ibi: *quæ autem*. Circa primum primo agit de institutione earum, quæ sunt vere viduæ. Secundo rationem assignat, ibi: *Hoc enim*. Instruit ergo hujusmodi, quod *Discant domum suam regere*. (*Tob.* 10.) *Docuerunt filiam suam regere familiam*. Et dicit primum: quia vidua quæ assumitur ad provisionem sibi ab ecclesia fiendam, debet esse cum honestate vigilans. Et hoc est quod dicit: *Discat*. Item debet suis parentibus servire, et ideo dicit: *Mutuam, etc.* quasi dicat: Sicut parentes eam nutrierunt, ita et ipsa eos si habet. Et hujus ratio assignatur cum subjungit, dicens: *Hoc enim est acceptum, etc.* Quia hæc non solum hominibus fiunt, sed Deo. Et hoc patet, quia Dominus de hoc speciale mandatum dedit. (*Exod.* 20.) Quod etiam Dominus Jesus in evangelio noluit prætermitti. Item hoc natura docet, ut homo recompenset beneficia impendentibus. At nulli tantum impenderunt quantum parentes.

Deinde cum dicit: *Quæ autem vere*, tractat de veris viduis. Primo ostendens quæ vere sint viduæ. Secundo qualiter instruendæ sunt, ibi: *Speret in Deum*. Dicit ergo: *quæ autem vere vidua est et desolata*, id est, quæ non habet consolationem humanam, sc. filios, vel parentes, et talis quæ non habet aliud confugium, speret in Deum, etiam quantum ad temporalia subsidia per ecclesiam sustentata. Et debet instrui primo, ut exercitetur in bonis. Secundo ut caveat a malis, ibi: *Et hoc præcipe*. Circa primum duo facit, quia primo ostendit quibus debet occupari hæc vidua. Secundo rationem assignat, ibi: *Nam vidua*. Dicit ergo: Speret in Deum et actum spei convenientem exerceat, quod fit per orationem et obsecrationem, per quas obtinetur, quod speratur. Oratio enim elevatio est mentis in Deum, obsecratio est postulatio per aliqua sacra. Et ideo subjungit: *Et instet obsecrationibus et orationibus*. Et dicit: *Die ac nocte*, quia impossibile est, quod animus hominis sit sine aliqua cura. Et ideo, ex quo vidua nihil habet in quo occupetur, debet vacare semper Deo. (*Luc.* 2.) *Anna non discedebat de templo, etc.* (*Judith* 8.) *Fecit cubiculum in superiori ad orandum*.

Deinde cum dicit: *Nam quæ*, reddit rationem quare debet semper vacare orationi, sc. quia impossibile est, quod animus non occupetur circa aliquam delectationem. Et cum animus otiosi non occupatur utilibus, oportet quod occupetur carnalibus. Et ideo dicit: quod vidua sic desolata vacet orationi, quia si non habet hanc occupationem, dat se deliciis, et sic mortua est morte peccati. (*Apoc.* 3.) *Nomen habes, quod vivas, et mortuus es.* (*Is.* 38.) Vivens, sc. interius, vivens, sc. exterius, confitebitur tibi. Et licet deliciæ sint omnibus hominibus occasio mortis, specialiter tamen mulieribus, quia ex sui natura habent animi molliciem. Cum ergo deliciæ emolliant animum, necesse est quod mulieres multo plus emolliantur. (*Jer.* 31.) *Usquequo deliciis dissolveris filia vaga?* (*Apoc.* 18.) *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum*.

Deinde cum dicit: *Et hoc præcipe*, ostendit quod instruendi debent cavere se a malis. Et ideo dicit: quod etiam prohibeat hoc præcipiens, *quod*

mulieres, quæ ab ecclesia sustentantur, *Sunt irreprehensibiles.* (*Ps.* 92.) *Domum tuam Domine decet sanctitudo.*

Deinde cum dicit: *Si quis autem*, assignat rationem hujus, quod dicit: *Discat primum, etc.* Dicens quod oportet quod circa hoc instruatur vidua quia hoc est de necessitate. Et ideo dicit: *suorum*, quorum, sc. cura ei incumbit. *Et maxime domesticorum.* (*Cant.* 2.) *Ordinavit in me charitatem.* Et sicut August. dicit: possumus omnibus bene velle, sed illi qui sunt nobis conjuncti, æstimantur quasi quædam sors, et ideo magis diligendi. Ambr. in lib. de offic. dicit: quod ratio hujus est, quia forte his quibus non est verecundum suscipere a suis, esset verecundum suscipere ab aliis. *Fidem negavit*, per opera, quia si non servat fidem his quos sibi natura copulavit, consequens est, quod nec aliis. (*Tit.* 1.) *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Sed numquid est hoc verum? *Et est infideli deterior.* Cujus contrarium videtur per Aug. (*Joan.* 15.) *Si non venissem, etc.* Quia super hoc dicit: quod ibi loquitur de peccato infidelitatis, quod est gravius cæteris peccatis, quia peccata in Deum sunt graviora, quam quæ in proximum. Respondeo: quod status fidelis ab infideli potest dupliciter considerari. Primo quantum ad statum peccati, et sic infideles sunt in pejori statu, quia nihil agunt Deo acceptum. Secundo quantum ad unum peccatum, et tunc e contra fidelis enim et infidelis si mœchentur, plus peccat fidelis, quia facit injuriam fidei. Et sic dicit, quod si fidelis contemnit curam parentum, gravius peccat, quam si hoc faceret infidelis. (2 *Petr.* 2.) *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti, etc.*

LECTIO 2.

Quæ viduæ sunt eligendæ, ut cæteris præsint ostendit, et adolescentularum consuetudinem fugere docet.

7. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.*

8. *In operibus bonis testimonium habens, si filios educavit, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.*

9. *Adolescentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt.*

10. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

11. *Simul autem et otiosæ discunt circumire domos, non solum otiosæ, sed et verbosæ, et curiosæ, loquentes, quæ non oportet.*

12. *Volo autem juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

13. *Jam enim quædam conversæ sunt retro post Satanam.*

14. *Si quis fidelis habet viduas subministret illis, ut non gravetur ecclesia, ut his quæ vere viduæ sunt sufficiat.*

Supra ostendit viduas ab ecclesia esse sustentandas, hic ostendit quales sunt sustentandæ. Et primo ostendit

qualis sit eligenda, secundo qualis vitanda, ibi ; *Adolescentiores*. Circa primum tria facit, quia primo ostendit esse eligendum ex tempore, secundo ex castitate, tertio ex bonorum operum exercitio. Ex tempore, quia: *Sexaginta annorum*. Sed de qua electione agit? Ad hoc potest responderi dupliciter. Uno modo, quod loquitur de electione, qua eligitur ad præsidendum gubernationi aliarum viduarum, quæ ab ecclesia nutriebantur, quæ sic antiqua præficiatur, ut de continentia ejus nullus suspicetur. (*Num.* 4.) *A triginta annis et supra usque ad annos quinquaginta, etc.* Sed contra videtur, quia ecclesia facit contrarium, quia abbatissæ juniores fiunt. Respondeo : dicendum est, quod inordinatum est, quod nimis juvenculæ fiant sed tamen non est tanta diligentia ecclesiæ in eis, quæ sunt inclusæ, ut in eis, quæ sunt liberæ. Alio modo, quod loquatur de electione, qua eligitur ad hoc, quod sustentetur stipendiis ecclesiæ, et talis eligatur non minus quam annorum sexaginta, quia juvenes possunt laborare manibus, sicut et Apostolus, quia licet posset de evangelio vivere, tamen laborabat, sed vetulæ quiescunt. Ex castitate etiam eligenda est vidua, ideo dicit : *Quæ fuerit unius viri uxor*. Sicut enim requiritur in episcopo, quod sit vir unius uxoris, ita in vetula, quod sit viri unius uxor. Gloss. hoc dicit propter prædictum sacramentum. Hæc Glossa est magistralis et parum valet. Non enim videtur ratio sumi ex aliquo sacramento, quia mulieres non suscipiunt aliqua sacramenta ministranda. Sed hoc dicit propter firmitatem, ut sc. habeant continuum propositum servandæ viduitatis. Sed Hieronymus in epist. ad Geruntiam, alias ad Esiciam, aliam rationem assignat sc. quod apud Gentiles mos erat, quod in sacris deorum nulla præerat, quæ haberet duos viros. Et ideo Apost. voluit, ut quæ alimentis ecclesiæ nutriebantur, non minus essent castæ. (*Jud.* 15.) *Eo quod castitatem amaveris, et post virum tuum, alterum nescieris, etc.* (*Luc.* 2.) *Vixit annis septem cum viro suo a virginitate sua*. Et ideo est quasi laudabile signum castitatis, quod unius viri fuit uxor.

Deinde cum dicit : *In operibus bonis, etc.*, ostendit viduam esse eligendam ex exercitatione bonorum operum, et primo in generali, secundo in speciali, ibi : *Si filios*. Tertio dat idem intelligere de omnibus bonis operibus, ibi : *Si omne opus*. Quantum ad primum dicit : *In operibus bonis*. (*Prov. ult.*) *Laudent eam in portis opera ejus*. Et dicit : *Testimonium habens*. (*Joan.* 5.) *Opera quæ dedit mihi pater, ut perficiam ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me*. Exteriora enim opera ostendunt interiorem fidem. (*Jac.* 2.) *Ostende mihi fidem tuam sine operibus et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam*. Sed quæ opera? primo ad suos, secundo ad alios. Ad suos dicit : *Si filios educavit*, sc. in timore Dei, et castitate. (*Eccl.* 8.) *Filii tibi sunt, erudi illos*. Quantum ad alios, tangit tria opera pietatis. Primo ad misericordiam, quia mulieres habentes cor molle sunt naturaliter misericordes. Primo ergo docet hospitalitatem, ibi : *Si hospitio receperit*. (*Rom.* 12.) *Hospitalitatem sectantes*. Secundo cum hoc simul ponit humilitatem, dicens : *Si sanctorum lavit pedes*, sic enim sunt sancti recipiendi et honorifice tractandi. (*Luc.* 10.) *Martha autem satagebat circa frequens ministerium*. Sic Christus (*Joan.* 13.) *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes*. Gloss. Aug. super Joan. Faciunt hoc

sibi invicem fratres etiam in ipso opere visibili, et quod manu non faciunt, corde non faciunt. Multo autem melius est, ut etiam manibus fiat, nec dediguetur id quod fecit Christus facere Christianus. Qui enim ad pedes fratris inclinatur, ei in corde humilitas excitatur, vel si jam inerat, confirmatur humilitatis effectus. Tertio fortitudinem et constantiam, ut sc. tribulatis assistat, unde dicit: *Si tribulationem patientibus subministravit.* (*Hebr.* 10.) *Vinctis compassi estis.*

Deinde cum dicit: *Si omne opus*, concludit in quibus debet esse bona, dicens: *Si omne opus bonum subsecuta est*, id est, prosecuta est. (*Gal.* 6.) *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.*

Deinde cum dicit: *Adolescentiores, etc.*, ostendit quæ sint vitandæ. Et primo hoc ostendit, secundo assignat rationem, ibi: *Cum enim luxuriatæ.* Dicit ergo: Eligantur viduæ talis ætatis, sed devita adolescentiores viduas, id est, passim non recipias ad sustentationem in ecclesia, præcipue infames et dissolutas, vel devita eas, quantum ad consortium et familiaritatem. (*Eccl.* 12.) *Melior est iniquitas viri*, id est, securior ad commorandum, quam mulier bene faciens, unde ibi subditur, et mulier confundens in opprobrium. Prima expositio est litteralis.

Deinde cum dicit: *Cum enim luxuriatæ fuerint, etc.*, assignatur duplex ratio ex duplici periculo, quod imminet. Circa primum duo facit, quia primo proponit primum, secundo respondet quæstioni, ibi: *Habentes damnationem.* Si enim adolescentes assumantur ad sustentationem ecclesiæ sunt duo consequentia, sc. quod habeant sufficientiam, et quod non cogantur manibus operari. Ex utroque autem imminet periculum. Ex primo periculum castitatis. Unde dicit: *Cum enim luxuriatæ fuerint.* Luxuria quandoque sumitur pro superfluitate actus venerei, et sic est unum de septem vitiis capitalibus, quandoque vero sumitur pro omni superfluitate rerum corporalium, et sic sumitur hic, quasi dicat: Cum habuerint superabundantiam: *In Christo*, id est, per suffragium Christi, tunc: *Nubere volunt.* (*Exod.* 32.) *Sedit populus manducare et bibere, et surrexerunt ludere.* Valerius dicit: quod a cerere, id est, cibo, et libero patre propinquus est locus ad venerem. (*Os.* 4.) *Comedent, et non saturabuntur, fornicati sunt, et non cessaverunt, etc.*

Deinde cum dicit: *Habentes, etc.*, respondet tacitæ quæstioni. Posset enim aliquis dicere: Quid enim mali est si nubant? Tu enim dicis. (1 *Cor.* 7.) *Mulier non peccat si nubat.* Ideo dicit: *In hoc habent damnationem, quia primam fidem, etc.* sc. castitatis, quam voverunt. Alias enim non fuissent assumptæ ad alimoniam. Unde dicit Augustinus hic, quod ex solo proposito quis incurrit damnationem. Verum est si sit ad determinatum et cum consensu. (*Eccl.* 4.) *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.* (*Luc.* 9.) *Nemo mittens manum in aratrum et aspiciens retro, aptus est regno Dei.* Ex secundo, sc. quod non laborant, tria mala incurrunt. Primum malum est otiositas. (*Eccl.* 33.) *Multam malitiam docuit otiositas.* (*Ezech.* 16.) *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, et abundantia, et otium.* (*Prov.* 12.) *Qui sectatur otium stultissimus est.* Ex otiositate sequuntur hæc mala. Cor mulieris non est firmum sicut viri, et propter hoc ad diversa movetur. Si ergo non adstringatur ad operandum, oportet ferri ad diversa. Et ideo est periculum, quod

mulieres sint otiosæ, unde antiqui occupabant eas. Item efficiuntur instabiles quantum ad locum, quia discunt circumire domos. (*Prov.* 7.) *Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.* (*Jer.* 17.) *Dilexit movere pedes suos, et non quievit, et Domino non placuit.* Quantum ad verba dicit: *Verbosæ.* Ex quo enim non occupantur, multum vacant nugis. (*Prov.* 7.) *Garrula, vaga, quietis impatiens.* Quantum ad cor: *Curiosæ*, quia ex quo non occupantur in suis, intromittunt se de alienis, et ideo: *Loquuntur quæ non oportet*, quia omnium facta dijudicant. (*Eccl.* 9.) *Colloquium ejus quasi ignis exardescit.*

Deinde cum dicit: *Volo ergo, etc.*, ostendit cui operi sint applicandæ, sc. ut nubant. Et proponit primo documentum, secundo assignat rationem, ibi: *Jam enim.* Dicit ergo: Volo *Juniores*, sc. viduas: *Nubere.* Contra (1 *Cor.* 7). *Bonum est eis si sic permaneant, ergo debet melius dicere.* Volo continere. Respondeo: Hieronymus dicit, quod illud (1 *Cor.* 7). *Volebat ex principali intentione, sed unusquisque habet proprium donum a Deo.* Et ideo subdit: Melius est nubere, quam uri. Et ideo in quo casu loquitur, videndum est, quia in hoc, ne primam fidem faciant irritam, et ideo quod hic dicit: volo, intelligitur non ex principali intentione: *Filios procreare*, et non eos occulte occidere per aborsum. (*Supr.* 2.) *Salvabitur autem per filiorum generationem, si permanserit in fide.* — *Matresfamilias esse*, ut sc. sint occupatæ, nec verbosæ discurrant per domos. Et etiam hoc volo: *Ut nullam occasionem dent adversario*, id est, vel diabolo, vel gentili: *Maledicti gratia*, id est, ut possit maledicere ecclesiis Dei. In quo sic concludit vitam viduarum, ut sic vivant, quod in nullo alios provocent ad lasciviam. (1 *Petr.* 2.) *Si est voluntas Dei, ut bene facientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Et est ejus hæc ratio, quia quædam voventes castitatem, conversæ sunt retro, votum irritantes. Et tales vadunt post satanam per imitationem, quia apostatavit de societate angelorum.

Deinde cum dicit: *Si quis*, ostendit quæ viduæ sunt nutriendæ a privatis personis, et primo ponit documentum, secundo rationem, ibi: *Et non gravetur.* Dicit ergo: quod quæ est vidua, vere speret in Deo, sed jam quod si qua habet fratres, vel parentes sustentetur ab illis. Et ideo dicit: *Si quis fidelis, etc.* quia hoc est opus pietatis. Et hoc: *Ut ecclesia non gravetur, etc.* Et hoc necessarium est, quia tunc ecclesia non habuit possessiones, sed modo habet possessiones deputatas ad hoc. (1 *Thess.* 1.) *Nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus.*

LECTIO 3.

Præter multa præcepta episcopis observanda, hoc maxime observandum est, ne cito alicui manus imponant, ac laborantibus in evangelium succurrendum dicit.

15. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo et doctrina.*
16. *Dicit enim scriptura: Non alligabis os bovi trituranti, et dignus est operarius mercede sua.*
17. *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.*
18. *Peccantes, coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant.*
19. *Testor coram Deo et Christo Jesu, et electis angelis ejus, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.*
20. *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis. Teipsum castum custodi.*
21. *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, et frequentes tuas infirmitates.*
22. *Quorumdam hominum peccata manifesta sunt, præcedentia ad judicium, quorumdam autem sequuntur.*
23. *Similiter et facta bona, manifesta sunt, et quæ aliter se habent, abscondi non possunt.*

Superius egit de viduis honorandis, quæ stipendiis ecclesiæ sustentabantur, hic agit de honoratione presbyterorum, et primo instituit Timotheum qualiter se habeat ad eos, secundo ostendit quomodo quædam dicta sunt intelligenda, ibi: *Quorumdam hominum.* Item primo ostendit, quod presbyteri sunt honorandi, secundo confirmat per auctoritatem, ibi: *Dicit enim scriptura.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit, quod sunt honorandi, secundo ostendit qua ratione debetur eis honor, ibi: *Maxime qui.* Dicit ergo: *Qui bene præsunt presbyteri.* Presbyter idem est quod senior, et sicut senes ætate, consueverunt habere prudentiam. (*Job.* 12.) *In multo tempore prudentiam, ita qui sumitur ad regimen ecclesiæ, debet prudens esse.* (*Luc.* 12.) *Fidelis servus et prudens, etc.* Et ideo prælati ecclesiæ, sc. episcopi et sacerdotes, vocantur presbyteri. Et ideo dicit: *Qui præsunt, etc.* Nec hoc tantum, sed oportet quod bene præsint, sc. ad Dei honorem, et non ad propriam commoditatem. (*Ezech.* 34.) *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos.* Item prudens sit, ut unicuique det tempore suo. (*1 Cor.* 4.) *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Isti duplici digni sunt honore, quorum unus est in ministratione necessariorum. (*Tob.* 1.) *Ex his quibus honoratus fuerat a rege habuisset decem talenta argenti, etc.* (*Prov.* 3.) *Honora Dominum de tua substantia.* Item alius in exhibitione reverentiæ. (*Eccl.* 4.) *Presbytero humilia animam tuam.* (*Hebr.* 12.) *Obedite præpositis vestris.* (*Prov. ult.*) *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* (*Is.* 16.) *In terra sua duplicia possidebunt.* Sed *Maxime* præcipue hic honor est illis exhibendus, qui hoc merentur suo labore, sc. *Qui laborant in verbo* prædicationis. (*Phil.* 2.) *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* (*Col.* 3.) *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes.* Item *In doctrina*, id est, in eru-

ditione. (*Jer.* 3.) *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Et (*Eph.* 4.) *Jungit pastores et doctores, quia hoc est officium episcopi.*

Deinde cum dicit: *Dicit enim,* probat per duplicem auctoritatem, et unam introducit secundum sensum mysticum, aliam secundum litteralem, ibi: *Dignus est.* Dicit ergo: *Dicit enim scriptura,* sc. (*Deut.* 25.) *Non alligabis os bovi trituranti.* (1 *Cor.* 9.) Probat Apost. hoc esse intelligendum de doctoribus, quia Deo non est cura de bobus, non quin subsint divinæ providentiæ, sed quia Deo non est cura qualiter homines tractent boves, qui possunt eis uti ut volunt. Unde illa lex non est de bobus, sed per similitudinem dicitur, quasi dicat: Homini laboranti in officio prædicationis et regiminis non prohibeas quin vivat de illo officio. Per boves enim intelliguntur docentes. (*Prov.* 14.) *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bovis.* Per messes, fideles. (*Matth.* 9.) *Messis quidem multa, etc.* Ergo non sunt prohibendi prædicatores et doctores quin sumptus habeant. Alia auctoritas est: *Dignus est operarius cibo suo.* (*Matth.* 10.) Vel potius in veteri testamento est, licet non sic scripta sit. Nec consuevit Apost. de evangelio adducere auctoritatem, nisi cum expressione dicentis, sed sumitur hæc de (*Levit.* 9.) *Non morabitur apud te merces mercenarii tui usque mane.* Sed numquid isti sumptus sunt merces? Dicit August. in Gloss. quod sic: Non tamen venale est evangelium, ut pro istis prædicetur. Merces enim quandoque dicitur, quod homini redditur pro præmio finali, et sic absit, quod prædicatorum merces sint hujusmodi sumptus quandoque; dicitur merces solum, quo quis fit dignus laborando. Et hoc modo large hic dicitur merces. Et ideo dicit Aug.: Accipiant ergo, etc.

Deinde cum dicit: *Adversus presbyterum,* agit de correctione presbyteri, dicens quod presbyteri qui bene præsunt duplici honore sunt honorandi, sed mali sunt corrigendi. Circa quod tria facit. Primo dicit: quod faciliter eorum accusatio non admittatur. Secundo quod culpabiles sunt publice corrigendi, ibi: *Peccantes.* Tertio quod non damnentur temere, ibi: *Sine præjudicio.* Dicit ergo: Tu major presbyter, *Noli adversus presbyterum accusationem, etc.* Duo sufficiunt, si boni sunt. Cujus dicti ratio est in Gloss. quia non est facile accusanda tam alti ordinis persona, quæ sit vice Christi. Sed hoc non videtur sufficere, quia aliorum accusatio non nisi sub duobus, vel tribus testibus admittitur. (*Deut.* 17.) *In ore duorum aut trium testium peribit, qui occidetur.* Unde notandum, quod aliud est accipere accusationem, et aliud condemnare accusatum, secundum non debet judex, nisi cum testibus convictus fuerit damnandus, et hoc in hominibus vulgi, sed in sacerdotem non debet accusationem recipere nisi sit evidens.

Deinde cum dicit: *Peccantes, etc.,* ostendit quomodo puniatur si sibi probetur, et primo ostendit, quod publice corrigat eum, secundo adjurat eum, quod observet ista, ibi: *Testor coram.* Dicit ergo: *Peccantes,* tam presbyteros, quam quoscumque: *Coram omnibus argue.* Et quare? *Ut cæteri timorem habeant.* Proceditur tamen aliter in correctione fraterna, aliter in judiciaria, quia judex gerit personam publicam, et ideo debet intendere bonum commune, quod lædit-tur per peccatum publicum, quia multi scandalizantur. Et ideo judex ecclesiasticus sic debet publice punire, ut

alii ædificentur. (*Eccl.* 8.) Quia non cito profertur contra malos sententia, absque ullo timore filii hominum perpetrant mala. (*Prov.* 19.) *Pestilente flagellato stultus sapientior erit.* Nota quod dicit: Coram omnibus. Sed contra (*Matth.* 18.) *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum, etc.* Respondet August. in Gloss. distingue tempora et peccatum, quia aliud est occultum, aliud publicum. Sed primum indiget occulto remedio, id est, occulte est arguendum, et de hoc loquitur Dominus. Unde dicit in te, sc. solo, quasi occulte. Sed Apostolus loquitur de peccato publico, quod publica pœna indiget. Et hoc significatur in mortuis, quos Dominus suscitavit. (*Matth.* 9.) *Puellam suscitavit intra domum, per quod occultum peccatum intelligitur, unde et tunc ejecit turbam, sed* (*Luc.* 7.) *Filium viduæ extra portam, coram omnibus, per quod ostenditur publicum peccatum publice puniendum.*

Deinde cum dicit: *Testor, etc.*, quia judex ecclesiasticus maxime gerit in judicando personam Dei, ideo per Deum attestandus est, quod juste judicet. Sic enim debet arguere coram omnibus, quod non despiciat judicium Dei. Ubi tria ostendit. Primum est auctoritas divina, quia Deus pater auctoritate judicabit, ideo dicit: *Coram Deo.* (*Gen.* 18.) *Judicas omnem terram.* Item Christus homo sicut in judicio comparens. (*Joan.* 5.) *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Et ideo dicit: *Et Christo Jesu.* Item angeli sicut ministri. (*Matth.* 25.) *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Ideo addit: *Coram angelis.* (*Job.* 10.) *Instauras testes tuos contra me.*

Deinde cum dicit: *Sine præjudicio,* removet temerarium judicium, dicens: *Sine præjudicio.* Ut sc. non temere procedas, sed cum deliberatione nihil faciens, sc. declinando ad aliquam partem. Vel sine præjudicio, id est, sine præcedenti discussione. (*Eccl.* 33.) *Sine judicio nihil facias grave.* (*Job.* 29.) *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam, alioquin non esses medius inter partes.* (*Exod.* 23.) *Non declinabis in judicio pauperes.*

Deinde cum dicit: *Manus cito nemini imposueris,* agit de promotione, et hoc videtur esse ratio primi. Sicut enim non debet cito punire, ita nec cito promovere, id est, ordinare de facili ad sacros ordines. (*Supra* 2.) *Et hi probentur primum, etc.* (*Num.* 11.) *Congrega ad me 70 viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes sint populi ac magistri,* quasi dicat illos quos tibi constat idoneos esse. Et quare? *Neque communicaveris peccatis alienis,* quia si inordinate promoveas, et ex hoc contingat peccatum eis, vel in plebe, hoc tibi imputabitur. Vel communicat alienis, quia non corripit cum potest. (*Rom.* 1.) *Digni sunt morte non solum, qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus.* (*Is.* 52.) *Pollutum noli tangere.*

Deinde cum dicit: *Teipsum, etc.*, ostendit quomodo habeat se ad seipsum, et hoc satis rationabiliter, quia contingit quod aliquis ita fertur ad alios quod se negligit. Unde primo hortatur eum ad castitatem, secundo ex hoc reprimit immoderatam ejus abstinentiam, ibi: *Noli adhuc, etc.* Dicit ergo: *Tu qui alios debes corrigere. Teipsum castum, etc.* (1 *Cor.* 9.) *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicavero ipse reprobus efficiar.* Iste si quidem Timotheus erat nimiæ abstinentiæ, et ad

vitandum carnis peccata corpus macerabat. (*Eccl.* 2.) *Cogitans in corde meo abstrahere a vino carnem meam, etc.* Et quia propter hoc fuit infirmus totaliter, ideo dicit: *Noli adhuc* postquam es infirmus *aquam bibere.* Et quare? Quia (*Levit.* 2.) *Quicquid obtuleris sacrificii, sale* sc. discretionis, condies. (*Rom.* 12.) *Rationabile obsequium vestrum.* Et ideo dicit: *Utere vino, sed modico.* Non ad ebrietatem. (*Eccl.* 31.) *Exultatio animæ et cordis vinum moderate potatum.* — *Propter stomachum tuum, et frequentes infirmitates tuas,* sc. quæ tibi ex abstinentia provenerunt. Gloss. Laborandum enim est, ut si fieri potest cœptum officium gradatim promoveatur, potius quam per inconsiderationem diminuatur. Sed notandum est, quod sanabat Paulus infirmos, et mortuos suscitabat, et tamen Timotheum curat consilio medicinæ, per quod datur intelligi, quod non ad omnes utebatur miraculis, sed quando expediebat propter fidem.

Deinde cum dicit: *Quorumdam, etc.*, ostendit qualiter intelligenda sunt duo, quæ dixit, sc. sine præjudicio nihil in condemnationibus fiendum. Item manus cito, etc. Et primo primum, secundo secundum. Quantum ad primum dicit: *Quorumdam enim peccata, etc.* quasi dicat superius dixi sine præjudicio, etc. Tamen debes adhibere considerationem, quia quædam peccata sunt notoria, et hæc non indigent examinatione, quædam occulta, et hæc indigent. Unde in istis vere intelligitur sine præjudicio, et non in primis, quia illa præcedunt judicium, ista vero subsequuntur sc. manifestatio per discussionem non tunc publicandam. (*Prov.* 27.) *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Secundo dicit: *Manus cito, etc.* Quod dicit esse intelligendum in non manifeste bonis, quia similiter facta bona quorumdam manifesta sunt. (*Matth.* 5.) *Videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum.* (*Joan.* 3.) *Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera.* — *Quæ aliter se habent,* id est, quæ non sunt manifesta. *Abscondi non possunt,* quia (*Matth.* 10.) *Nihil opertum quod non reveletur, et occultum quod non sciatur, quia vel in futuro, vel etiam hic omnis iniquitas manifestatur.* Et in his non est facilis impositio.

CAPUT VI.

Monetur Timotheus servos docere, ut dominos tam fideles, quam infideles plurimo prosequuntur honore, ne Christi nomen blasphemetur, caveatque ne contrariam admittat doctrinam.

1. *Quicumque sunt sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.*
2. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres sunt, sed magis serviant, quia fideles sunt et dilecti, quia beneficii participes sunt. Hæc doce, et exhortare.*
3. *Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ.*
4. *Superbus est nihil sciens, sed lan-*

quens circa quæstiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ.

5. *Conflictationes hominum mente corruptorum, et qui a veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.*

6. *Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia.*

7. *Nihil enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.*

8. *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus.*

Supra Apostolus Timotheum instruxit de usu ciborum et de personis quibus ecclesia ministrabat alimenta, hic agit de aliis personis ad populum ecclesiæ pertinentibus. Et primo de personis infimi status, secundo de personis majoris status, ibi: *Divitibus.* Circa primum tria facit, quia primo ponit instructionem de servis, secundo arguit contrariam assertionem, ibi: *Si quis aliter.* Tertio monet ut contraria vitet et servet prædicta, ibi: *Cum autem.* Item prima in duas, quia primo ostendit quid sit tenendum, secundo docet hoc esse docendum, ibi: *Hæc doce.* Item primo ostendit qualiter se habeant servi ad dominos infideles. Secundo qualiter se habeant ad fideles, ibi: *Qui autem.* Dicit ergo: *Quicumque servi sunt sub jugo,* sc. propter servilem conditionem, quæ dicitur jugum similitudinarie, quia sicut boves continentur sub jugo, ut non liceat eis ire quo velint, ita servi sub Domino, ut non liceat eis, quod velint facere. (*Gal.* 5.) *Nolite iterum sub jugo servitutis contineri.* — *Omni honore,* id est, debita reverentia. (*Ephes.* 6.) *Servi obedite dominis carnalibus cum omni timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Cujus ratio est: *Ne nomen Domini et doctrina blasphemetur.* Si enim Domini, infideles servos suos intuitu fidei rebelles sentirent, damnarent nomen Christi, et blasphemarent doctrinam nostram. (*Rom.* 2.) *Nomen Christi per vos blasphematur.* Qui ergo infideles habent dominos illis obediant, ne nomen Dei, etc. Sed quomodo fidelibus? *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant,* quod quandoque contingit, quando familiaritas infimis exhibetur, sc. quod erigantur in superbiam. (*Prov.* 30.) *Per tria movetur terra, et quartum non potest sustinere, per servum, cum regnaverit.* Et hujus ratio est secundum Philosophum, quia homines in talibus paralogizant, quod si in uno vident se æquales, credunt quod sint in omnibus æquales, et nolunt illis in aliquo subdi, sicut in civilibus bellis, quia populus non est subjectus, credunt quod sint totaliter æquales nobilibus. Et sic posset contingere, quod servi videntes se in aliquo, sc. fide æquales dominis, reputent se æquales simpliciter. Et ideo dicit: *Non contemnant.* Et ponit tria. Primum est fidei donum. Unde dicit: *Quia fideles sunt,* et hoc valde magnum est, quia per fidem vivit justus. Item per eam vincitur mundus. Secundum est dignitas divinæ dilectionis, ideo dicit: *Dilecti,* sc. excellentius aliis creaturis, quia adoptantur in filios Dei. (*1 Joan.* 3.) *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus pater, ut filii Dei nominemur et simus.* Tertium est beneficium gratiæ, ideo dicit: *Quia beneficii participes sunt,* sc. quantum ad sacramentum Domini. (*1 Cor.* 10.) *Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Domini est?* (*Psal.* 118.) *Particeps ego sum omnium timentium te.* — *Hæc doce,* sc. nescientes. *Et exhortare,* ut im-

pleant scientes. (*Tit.* 2.) *Hæc loquere, etc.*

Deinde cum dicit: *Si quis*, excludit contrariam assertionem. Et primo modum falsæ doctrinæ, secundo radicem, ibi: *Superbus*. Tertio effectum ejus, ibi: *Ex quibus*. Si vis scire, quæ doctrina sit erronea, hoc ostendit ex tribus. Primo si sit contra doctrinam ecclesiasticam. Et ideo dicit: *Si quis aliter docet*, sc. quam ego et alii Apostoli, quantum ad primum. (*Galat.* 1.) *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit.* Doctrina enim Apostolorum et prophetarum dicitur canonica, quia est quasi regula intellectus nostri. Et ideo nullus aliter debet docere. (*Deut.* 4.) *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, neque auferetis ex eo.* (*Apoc. ult.*) *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto.* Quantum ad secundum, dicit: *Et non acquiescit, etc.* Nam Dominus Jesus venit, ut testimonium perhibeat veritati. (*Joan.* 18.) *In hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati.* Et ideo missus est a patre sicut doctor et magister. (1 *Mac.* 2.) *Ipsum audite semper, et ipse erit vobis pater, etc.* Et ideo erroneus est quicumque non acquiescit sermonibus ejus. (1 *Reg.* 15.) *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Et dicit: *Sanis*, quia in Christi sermonibus nihil est corruptionis, nihil falsitatis, vel perversitatis, quia sunt sermones divinæ sapientiæ. (*Prov.* 8.) *Justi sunt sermones mei, non est in eis pravum quid neque perversum. Recti sunt intelligentibus, et æqui invenientibus scientiam.* Quantum ad tertium. (*Prov.* 6.) *Conserva fili mi præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ.* Unde dicit: *Et ei quæ secundum pietatem est doctrinæ*, sc. eccl ticæ. Hæc pietas est percultum Dei 1.) *Secundum agnitionem veritati est secundum pietatem.* Radix erroris est duplex, sc. superbiæ tus, et defectus intellectus.

Quantum ad primum, dicit: *S bus.* Dicitur autem superbia rad rorum dupliciter. Primo quia s volunt se intromittere de his a non attingunt, et ideo necesse est, errent et deficiant. (*Is.* 16.) *Su ejus et arrogantia ejus, et indi ejus plus quam fortitudo ejus, etc* quia nolunt intellectum alteri cere, sed innituntur suæ pruden ideo nolunt obedire scripturæ Contra hoc dicitur (*Prov.* 3.) *N nitaris prudentiæ tuæ.* (*Prov.* 1 *humilitas, ibi sapientia.* Item de intellectus. Ubi sciendum est, sicut in corpore sanitas est qu æqualitas humorum, ita verit quædam æqualitas in intellectu veritas est adæquatio rei et intell Unde sicut infirmus quando non æqualitatem complexionis ad contraria accidentia læditur, sic tellectu quando homo non funda veritate, nec habet virtutem per possit judicare veritatem, a qu quæstionis difficultate, incidit in rem. Unde dicit: *Languens circa tiones, etc.* (*Sap.* 9.) *Homo infir exigui temporis, et minor ad in tum judicii et legum.* Sicut dici tius, ita se habet intellectus ad nem, sicut circulus ad centrum. enim discurrit considerando ac defectus et habitudinem unius aliam. Et nisi resolvat usque tellectum veritatis, vana est Unde quando accipit veritaten habet eam quasi centrum. Quida tem discurrunt, et non attingu *Tim.* 3.) *Semper discentes, et nu*

ad scientiam veritatis pervenientes. Et ideo dicit circa quæstiones, id est, non pervenientes ad ipsum centrum. Et dicit: *Quæstiones, etc.* Quia in aliquibus dubitatio sit ex parte rei, in aliquibus ex parte verborum et nominum. Et ideo dicit: *Quæstiones,* quantum ad primum, sc. de rebus. (*Sup.* 2.) Quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide.

Quantum ad secundum, dicit: *Pugnas verborum.* (*Prov.* 19.) *Qui tantum verba sectatur nihil habebit.* Et dicit: *Pugnas verborum*, quod intelligitur quando fit diffensio ex verbis tantum orta, quia Dominus dicit (*Joan.* 8). *Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis,* et (*Matth.* 17.) *Ergo liberi sunt filii.* Si ex hoc vellent aliqui inferre, quod omnes catholici sicut sunt filii Dei, ita essent etiam liberi, esset pugna verborum, quia Dominus loquitur ibi de libertate spirituali, non de carnali.

Deinde cum dicit: *Ex quibus, etc.*, ponit effectum erroris. Et primo ponit ipsum effectum, secundo manifestat quædam quæ dixerat, ibi: *Est autem quæstus.* Item primo ostendit, quæ mala sequantur ex falsa doctrina, secundo in quibus: *Hominum mente.* Inter mala vero, quæ ponit, quædam sunt intus in corde, quædam exterius. Interius sunt inordinati motus respectu boni, vel respectu mali. Respectu boni est invidia, quæ est tristitia de bono alieno. Unde dicit: *Invidiæ,* quod potest intelligi, vel in proposito, vel universaliter, quia cum aliqui laborant non ad veritatem, sed solummodo ad verba, non vident æquo animo si aliquis prævalet. (*Job.* 5.) *Parvulum occidit invidia.* Item in proposito, quia si servi habentur, ut liberi et non subditi: Domini invidebunt et dolebunt servos sibi æquari. Ex invidia vero homo insurgit contra proximum cui invidet. Et hæc est contentio. (*Prov.* 20.) *Honor est homini qui se separat a contentionibus.* Vel insurgit contra Deum, et hoc est blasphemia. (2 *Petr.* 2.) *Quæ ignorant blasphemantes, etc.* Respectu vero mali est suspicio. Unde dicit: *Suspiciones malæ,* sc. dominorum adversus Christianos, quasi libertatem ad lucrum finxerimus. Vel quod solum tota doctrina Christiana esset inventa, ut servi fierent liberi. (*Eccl.* 3.) *Multos supplantavit suspicio illorum, et in vanitate detinuit sensus illorum.* Et ex istis sequuntur confictationes adversus fideles. (*Gen.* 13.) *Facta est rixa inter pastores gregum Abraham et Loth.* Sed hoc non est in cordibus omnium, sed quorumdam. Et ponit tres eorum conditiones, quarum prima pertinet ad defectum luminis naturalis, secunda ad defectum cognitionis, tertia ad vitium inordinatæ affectionis. Quantum ad primum, dicit: *Hominum mente corruptorum*, id est, ratione etiam naturali, qui habent perversum judicium. (*Ps.* 13.) *Corrupti sunt, et abominabiles facti sunt.* Quantum ad secundum, dicit: *A veritate,* sc. cognitionis ejus, *Privati sunt.* (*Os.* 4.) *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* Quantum ad tertium, dicit: *Existimantium quæstum esse pietatem*, id est, quod cultus Dei ordinetur ad quæstum et acquisitionem divitiarum. (*Sap.* 15.) *Existimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecumque etiam ex malo acquirere.* Homines ergo hujusmodi, qui hoc credunt, de facili contemnunt et incidunt in mala prædicta.

Deinde cum dicit: *Est autem,* declarat ultimo dictum, sc. quæstum esse pietatem. Et primo ostendit quomodo pietas habet se ad quæstum, secundo

ostendit, quod non consistit in quæstu divitiarum exteriorum, ibi : *Nam qui volunt*. Item primo ostendit primum, secundo rationem assignat, ibi : *Nihil enim*. Dicit ergo : Isti dicunt, quæstum esse pietatem, sed ego dico : quod *Pietas est quæstus*, ideo addit : *Cum sufficientia*, sed illarum divitiarum, quæ dant sufficientiam. Et hoc consistit in duobus. In uno principaliter, sc. pietate, quæ ordinat alia in Deum et proximum, et hæc sunt virtutes et dona gratiæ. (*Sap.* 7.) *Infinitus enim thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei*. Secundo in sustentatione vitæ. Unde dicit : Cum sufficientia, id est, in his, quæ sunt necessaria ad vitam. (*Matth.* 6.) *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, etc.* (*Supr.* 4.) *Pietas ad omnia utilis est.*

Deinde cum dicit : *Nihil enim, etc.*, assignat rationem hujus. Et primo ex humana conditione, secundo ex ejus necessitate, ibi: *Habentes*. Conditionem autem ponit quantum ad duo, sc. tum ad principium, quia *Nihil i mus, etc.*, quasi dicat: Sufficit ne tas, non expedit superfluitas, qui intulimus in hunc mundum. (*Job.* *dus egressus sum de utero matri* Item quantum ad finem, quia nil feremus. (*Ps.* 75.) *Dormierunt so suum, et nihil invenerunt omn divitiarum in manibus suis.* (*Jo Dives cum dormierit, nihil secu feret, aperiet oculos suos, et ni veniet.* (*Eccl.* 5.) *Quomodo venit vertetur*. Quantum ad necessitat cit : *Habentes alimenta, et quib gamur*, quia bona sunt propter sitatem quibus indiget homo interiora consumentia, et hæc s menta, vel contra exteriora c pentia, et sic indiget homo tegu vestium et domorum. (*Hebr. ul mores sine avaritia contenti pr bus.* (*Eccl.* 29.) *Initium vitæ h aqua et panis, et vestimentum, mus protegens turpitudinem.*

LECTIO 2.

Omnium radicem malorum, cupiditatem asserit; fugere ipsam Timoth monet, ac ad amplectendas virtutes hortatur.

9. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quæ mergunt homines in interitum et perditionem.*

10. *Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis.*

11. *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge. Sectare vero justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem.*

12. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, et confessus bona fessionem coram multis testi*

13. *Præcipio tibi coram Deo, vificat omnia, et Christo Je. testimonium reddidit sub Po lato bonam confessionem.*

14. *Ut serves mandatum sine irreprehensibile usque in ad Domini nostri Jesu Christi.*

Supra ostendit Apostolus q quæstus Christianis expedien pietas cum sufficientia, hic o quod quærentes superfluum q divitiarum incurrunt damna m

primo ostendit mala, quæ sequuntur ex inordinato appetitu divitiarum, secundo assignat rationem, ibi : *Radix enim.* Mala autem, quæ sequuntur, sunt duplicia. Quædam enim oriuntur ex hoste exteriori, quædam vero a concupiscentia interiori, ibi : *Desideria.* Dicit ergo : simus contenti alimentis, etc. Quia *qui volunt divites fieri*, non ad necessitatem, sed ad abundantiam divitiarum, *Incidunt, etc.* (*Eccl.* 10.) *Nihil est iniquius quam amare pecuniam.* (*Eccl.* 5.) *Qui amant divitias fructum non capient ex eis.* Et ponit duo, sc. tentationes, et laqueum, quia primo tendant inquantum divitiæ alliciunt, et inducunt ad aliqua peccata. (1 *Thess.* 3.) *Ne forte tentaverit vos qui tentat, etc.* (1 *Cor.* 10.) *Tentatio vos non apprehendat nisi humana*, et laqueo involvunt, quia divitiæ sunt non habentibus ad tentationem, habentibus in laqueum, quia non libenter reddunt eas quas auferunt. (*Prov.* 21.) *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus et excors est.* Ex parte interiori ponit tria mala. Primo quod incidit in desideria multa. Perfectio enim hominis est, quod cor ejus congregetur in unum, quia quanto aliquid est magis unum, tanto est Deo similius, qui vere unus est. (*Ps.* 26.) *Unam petii a Domino, etc.* Sed contra hoc patitur, quærens divitias, quia cor ejus trahitur ad diversa. (*Os.* 10.) *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Et hoc ideo, quia *ubi est thesaurus tuus, etc.* (*Matth.* 6.) Item sunt inutilia hujusmodi desideria multipliciter. Primo, quia inutilia sunt spiritualiter, quia divitiæ non ducunt ad beatitudinem. (*Sap.* 5.) *Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis, etc.* (*Eccl.* 5.) *Qui amat divitias fructum non capiet ex eis.* Item temporaliter, quia non dant, quod promittunt. (*Eccl.* 6.) *Est aliud malum, quod vidi sub sole, et quidem frequens apud homines, vir cui dedit Deus divitias, et substantiam, et honorem, et nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed extraneus homo devorabit illud, etc.* Tertio sunt nociva. (*Eccl.* 5.) *Divitiæ conservatæ in malum domini sui.* Et ostendit quomodo sunt nocivæ, quia *Mergunt in interitum*, sc. in præsenti. Propter divitias multi perierunt. Item in futuro. Unde dicit : *Et perditionem.* (*Act.* 7.) *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Vel utrumque refertur ad spirituale damnum. Interitum, id est, mortem æternam. (*Rom.* 9.) *Sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, etc.* Et perditionem, id est, pœnam æternam, quæ dicitur perditio propter pœnam damni, quia sunt quasi perditi damnati, dum non possunt redire in domum suam, sc. æternitatis. (*Job.* 21.) *In diem perditionis servabitur malus, et ad diem furoris ducetur.*

Deinde cum dicit: *Radix, etc.*, ostenditur ratio hujus, et hoc ex duobus, sc. ex natura cupiditatis, et experientia, ibi: *Quam quidam, etc.* Dicit ergo: incidunt in tentationem, etc. Quare? Quia *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ubi notandum est, quod secundum quosdam, cupiditas sumitur tripliciter. Quandoque pro avaritia, secundum quod est speciale peccatum, sc. inordinatus amor habendi divitias. Quandoque prout est genus peccatorum omnium, secundum quod importat inordinatum appetitum rei temporalis, et hoc includitur in omni peccato, quia peccatum est conversio ad bonum commutabile. Sed sic non est radix, sed genus omnium. Tertio modo prout est quædam inordinatio animi

ad cupiendum bona temporalia inordinate, et hæc est habituale tantum peccatum, et non in actu, sed est quædam radix omnium peccatorum. Et dicitur cupiditas radix, et superbia initium. (*Eccl.* 10.) *Initium omnis peccati est superbia*, quia superbia dicit corruptionem animi ad recedendum a Deo. Arbor autem a radice habet alimentum, et sic peccatum a cupiditate ex parte conversionis ad bonum commutabile sumit nutrimentum. Sed credo, quod loquitur de cupiditate, secundum quod est speciale peccatum. Unde dicit : *Qui volunt divites fieri, etc.* Et hæc est inordinatus amor pecuniarum. Et ideo dico : quod avaritia est radix omnium. Omnia enim peccata consistunt in appetitu, et ideo origo peccatorum est secundum originem appetibilium. Origo enim appetibilium procedit ex fine. Et ideo quanto aliquod peccatum habet finem magis desiderabilem, tanto est pejus. Finis autem alicujus peccati est desiderabilis propter duo, sc. propter seipsum, et hæc est excellentia, quia ad hoc homo bonum illud vult ut excellat. Et hæc est superbia, et ideo superbia est initium omnium peccatorum. Item propter aliud, et hoc est, quod ad omnia valet, et hujusmodi sunt divitiæ, quia per hoc homines credunt se habere omnia. Ex ista parte avaritia est radix omnium malorum.

Deinde cum dicit : *Quam quidam*, ostendit idem per experientiam, et dicit : *Appetentes*, quia quanto magis habentur divitiæ, tanto magis desiderantur. (*Eccl.* 5.) *Avarus non implebitur pecunia.* Et incidunt primo in damnum spirituale. Unde dicit : *Erraverunt a fide.* Cujus ratio est, quia per sanam doctrinam fidei prohibentur multa illicita lucra, a quibus desistere nolunt, et inveniunt sibi aliam doctrinam, ubi eis sit spes salutis. Et hoc specialiter faciunt usurarii ; se quia *Inseruerunt se doloribus* etiam in præsenti, quia est solli in acquirendo, timor in possi dolor in amittendo. (*Job.* 10.) *satiatus fuerit divitiis, arcta æstuabit, et omnis dolor irruet* Et multo magis in futuro dolebu

Deinde cum dicit : *Tu autem*, ad sequendum sanam doctrina vitandam malam. Et primo e viam quam sequatur, secundo eum inductione præcepti, ibi : *cipio.* Item primo hortatur ad dum peccata prædicta, secundo os quid agat, ibi : *Sectare vero.* E servus debet imitari dominum quia, ut dicitur (*Eccl.* 10.) Secu judicem populi, sic et ministri ideo dicit : *O homo Dei*, quasi Tu detitus servituti Dei. (*Ps.* *Ego servus tuus.* (1 *Joan.* 2.) *Qu se in illo manere, debet sicut ill bulavit, et ipse ambulare.* Si igi es homo Dei, debes facere sicut tus fecit. Qui, ut habetur (*Joa* *Fugit cum eum volebant facere* (*Hebr.* 12.) *Qui proposito sibi* *sustinuit crucem, confusione conte* Ergo et tu *Hæc fuge.* (*Ps.* 54.) *gavi fugiens, et mansi in solit* Quid ergo faciet ? Ad duo hor primo sc. ad sectandum arma tualia, secundo ad certandum i ibi : *Certa bonum.* Arma autem tualia, aut sunt ad faciendum b aut ad malum tolerandum. Pr autem est, vel in comparatio proximum, cui per duo ordin sc. per justitiam et pietatem se sericordiam, quia primum sin cundo est severitas, secundum primo est remissio. Quantum a mum, dicit : *Sectare justitiam*, competit prælatis. (*Sap.* 1.) *D justitiam, qui judicatis terram*

quantum ad secundum dicit : *Pietatem*, id est, misericordiam. (*Prov.* 20.) *Misericordia et justitia custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus.* In comparatione autem ad Deum, primum est quod perficit intellectum, fides. (*Hebr.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo, etc.* Secundum quod perficit affectum, est charitas. (1 *Joan.* 4.) *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo.* Ad sustinenda mala sunt duæ virtutes, sc. patientia et mansuetudo, quia homo in malo duas passiones inordinatas incurrit, sc. tristitiam inordinatam, et iram quæ est ex ea. Et ideo patientia est contra immoderatam tristitiam. (*Luc.* 21.) *In patientia vestra possidebitis animas vestras, et mansuetudo est contra iram.*

Deinde inducit eum ad debitum certamen. Et primo ostendit qualiter certet, secundo inducit rationem. Dicit ergo : *Certa bonum certamen*, sc. exemplo militum, qui dupliciter pugnant, sc. quandoque ad defendendum, quod habent, quandoque ad acquirendum non habita, et hoc imminet sanctis, primum ut custodiant habita, sc. fidem et virtutes. Et ideo dicit : *Fidei*, id est, pro fide custodienda. (*Eccl.* 4.) *Usque ad mortem certa pro justitia, etc.* Vel *Fidei*, ut per fidem vites peccata. (1 *Joan. ult.*) *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* Vel *Fidei*, id est, ut alios ad eam convertas. Et dicit : *bonum*, id est, legitimum certamen. (1 *Cor.* 9.) *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet.* Tunc est bonum quando abstinet se ab omnibus impedimentis. (2 *Tim.* 4.) *Bonum certamen certavi.* Secundo certant ad acquirendum quæ non habent. Et hæc est vita æterna, quæ acquiritur per pugnam. (*Matth.* 11.) *Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Et ideo dicit : *Apprehende vitam æternam*, sc. quasi tenens, tuo certamine vincas. Vel certes certamen fidei. Et quo præmio ? Ut apprehendas vitam æternam. (1 *Cor.* 9.) *Nos autem incorruptam, etc.*

Deinde cum dicit : *In quam vocatus es*, rationem ponit hujus dicti, sc. Apprehende, etc. Et primo respondet objectioni, quasi dicat : Dicis quod debeo apprehendere, vellem quidem, sed non possum, immo potes, quia debetur tibi de jure, quia vocatus es in eam a Deo, et a rege illius regni. Et ideo debes conari potissime. (1 *Petr.* 2.) *De tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* Secundo proponit obligationem, quasi dicat : Certa bonum certamen, quia dedisti juramentum de hoc faciendo, et ideo non licet tibi repugnare. Unde dicit : *Et confessus bonam confessionem coram multis testibus*, id est, in consecratione, bonum certamen professus es, quando ordinatus es in episcopum. (1 *Cor.* 9.) *Nam si non evangelizavero, etc.* Usque dispensatio credita est mihi. Vel confessionem bonam, sc. prædicando fidem, ut eam serves.

Deinde cum dicit : *Præcipio*, obligat eum ad prædicta ex præcepto, quod primo ponit, secundo manifestat quædam dicta, ibi : *Quem fuis.* In præcepto autem primo testes inducit, secundo commendat præceptum, tertio ostendit, quamdiu servet præceptum. Testes inducit Deum patrem, et Dominum nostrum Jesum Christum. Dicit ergo : Te monui, sed ne credas quod liceat aliter facere : *Præcipio tibi*, sicut tu debes præcipere subditis tuis : *Coram Deo.* Ad duo induxerat, sc. apprehende vitam, et confessus es, etc. Et ideo induxit auctorem vitæ, *qui vivificat omnia.* Dicit autem : Deo, qui est tota trinitas, qui est auctor vitæ. Item

hominem Christum inducit etiam, qui confessus est se esse filium Dei, quod est bona confessio fidei nostræ. Item commendat mandatum, quia in se justum, et rectum, et irreprehensibile ab aliis. (*Job.* 6.) *Non invenietis in lingua mea iniquitatem.* Et quamdiu est servandum? *Usque in adventum Domini, ly* usque dicit finem intentionis, id est, ut per observantiam hujus mandati ordines te ad adventum. Vel, id est, usque ad mortem tuam, quia qualis eris in illa, talis invenieris tunc. (*Matth.* 24.) *Qui perseveraverit usque in finem, etc.*

LECTIO 3.

Adventum Christi ad judicium futurum esse prædicit, cujus tempus, utpote si[illegible] ignotum, non præscribit, tamen manifestum fore prænuntiat, eximiis laud[illegible]bus Deum extollens.

15. *Quem suis temporibus ostendet beatus et solus potens, Rex regum, et Dominus dominantium.*
16. *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, cui honor et imperium sempiternum. Amen.*

Supra Apostolus proponens præceptum Timotheo, præcepit ut servet prædicta usque ad adventum Christi, et ideo agit hic de Christi adventu, de quo tria manifestat. Primo quod erit, tempore congruo, secundo quod manifestus erit, tertio ostendit auctorem adventus. Quantum ad primum, dicit: *Quem suis temporibus ostendet.* (1 *Petr. ult.*) *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, etc.* Et ideo vult ostendere, quod etsi videatur adventus tartari, tamen suo tempore ostendetur. (*Eccl.* 3.) *Omnia tempus habent.* (*Eccl.* 8.) *Omni negotio tempus est, et opportunitas.* Congruum tempus est finis mundi, quia illud tempus est tempus messis, et collectionis fructus. Et ideo oportet, quod veniat in fine. Quantum ad secundum, dicit: *Ostendet,* id est, manifestabit. Licet enim sit visibilis quantum ad carnem, tamen virtus ejus est abscondita, sed tun[illegible] etiam divinitas ejus erit manifest[illegible] sanctis, reprobi vero solum videbun[illegible] gloriam carnis. Sed quantum ad ter[illegible]tium dicit: quod ostendet eum Deus [illegible] Trinitas. Et circa hoc duo facit, qui[illegible] primo describit adventum Christi, se[illegible]cundo in ejus commendationem pro[illegible]rumpens laudat eum ibi: *Cui honor, etc.*

Item circa primum tria facit. Primo actorem adventus describit ex perfecta operatione, secundo ex singulari potestate, tertio ex incomprehensibilitate naturæ. Primum cum dicit: *Beatus.* Beatitudo enim est operatio perfecta, quæ est supremæ virtutis operativæ, optime dispositæ. Et hæc est beatitudo nostra. Dei autem beatitudo est qua cognoscit se. Si enim se non cognosceret, Deus non esset. Beatus Gregorius, Deus dum seipso perfruitur perfecte gloriosus est. Et convenienter de actore hujus adventus dicit: quod beatus est, quia ad hoc est adventus Christi, ut nos deducat ad beatitudinem. (*Tob.* 13.) *Beatus ero si fuerint reliquiæ seminis mei ad videndum claritatem Jerusalem.* Quantum ad secundum dicit: *Solus potens.* (*Ps.* 88.)

Potens es, Domine, etc. Sed quare dicit solus? Numquid non omnia habent potentiam, immo per participationem, sed solus Deus a se essentialiter. Unde dicit: *Rex regum, et Dominus dominantium.* Ambr. Dominus est nomen potestatis, et rex similiter. Qui ergo habet Dominum et Regem supra se, est subjectus potestati, et talis non est potens a se, sed ab alio. Si ergo Christus est Rex regum, etc. Necesse est, quod solus habeat potentiam non ab alio, sed omnes ab eo. Et designatur duplex potentia Dei, sc. gubernativa mundi, cum dicit: Rex regum, quasi a regimine dicta. (*Prov.* 20.) *Rex qui sedet in solio judicii dissipat omne malum intuitu suo.* Item potentia creandi, cum dicit: *Dominus dominantium.* (*Ps.* 99.) *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos.* (*Apoc.* 19.) *Et habebat in vestimento, et in femore suo scriptum, Rex regum, et Dominus dominantium.* Quantum ad tertium, dicit: *Qui solus habet immortalitatem, et lucem habitat inaccessibilem.* Incomprehensibilitas Dei ex duobus patet. Primo quia transcendit quicquid in creaturis est comprehensibile. Secundo quia hoc ipsum, quod Deus est, omnium comprehensionem excedit. Primum, cum dicit: *Solus,* in qualibet enim mutatione est quædam corruptio, quia omne, quod mutatur inquantum hujusmodi, desinit esse tale. Illud ergo proprie et vere est incorruptibile, quod penitus est immutabile. Quælibet autem creatura in se considerata, habet aliquam mutationem, vel mutabilitatem: Deus autem est omnino immutabilis. Sed si aliqua creatura est immutabilis, hoc convenit ei ex dono gratiæ. Et ex hoc ostendit, quod natura Dei transcendit omne, quod est in natura creata. (*Supr.* 1.) *Regi seculorum immortali, etc.* Quantum ad secundum, dicit: *Lucem, etc.* Lux in sensibilibus est principium videndi, unde illud quo aliquid cognoscitur quocumque modo, dicitur lux. Unumquodque autem cognoscitur per suam formam, et secundum, quod est actu. Unde quantum habet de forma, et actu, tantum habet de luce. Res ergo, quæ sunt actus quidam, sed non purus, lucentia sunt, sed non lux. Sed divina essentia, quæ est actus purus, est ipsa lux. (*Joan.* 1.) *Non erat ille lux, etc.* Deus autem habitat apud se, et hæc lux est inaccessibilis, id est, non visibilis oculo carnis, sed intelligibilis. Et tamen nullus intellectus creatus potest ad eum accedere.

Notandum est tamen, quod dupliciter potest intellectus accedere ad cognitionem naturæ alicujus, sc. ut cognoscat et ut comprehendat. Ad comprehendendum autem Deum impossibile est intellectum pervenire, quia sic cognosceret Deum, ut cognoscibilis est: Deus autem perfecte cognoscibilis est, inquantum habet de entitate et luce, hæc autem sunt infinita, ergo est infinite cognoscibilis. Virtus autem intellectus creati est finita. Et ideo etiam intellectus Christi non comprehendit Deum. Sed alius modus est cognoscendi Deum, sc. attingendo Deum. Et secundum hoc nullus intellectus creatus per propria naturalia attingit ad cognoscendum, id quod est Deus. Et ratio hujus est, quia nulla potentia potest in aliquid altius suo objecto, sicut visus ad altius cognoscere. Proprium autem objectum intellectus est, quod quid est, unde quod superat, quod quid est, excedit proportionem omnis intellectus. In Deo autem non est aliud esse, et quidditas ejus. Quomodo ergo cognoscibilis est? ergo accedamus ad eum cognoscendum, hic per gratiam, et in futuro per gloriam. (*Ps.* 33.) *Acce-*

dite ad eum, et illuminamini. Sed qualiter ergo Deus habitat lucem inaccessibilem? et in (*Ps.* 96). *Nubes et caligo in circuitu ejus*. (*Ex.* 9.) *Moyses accessit ad caliginem, in qua erat Deus*. Respondet Dionysius: Omnis caligo est inaccessibile lumen. Est ergo idem quod hic lumen, et ibi caligo, sed caligo est inquantum non videtur, lumen vero inquantum videtur. Sed aliquid est invisibile dupliciter. Uno modo propter se, sicut opacum. Alio modo propter excedentiam ejus, sicut sol ab oculo noctuæ. Sic quædam sunt nobis non conspicua propter defectum sui esse, et quædam propter excedentiam ejus, et sic Deus nobis quodammodo inaccessibilis est, *quem nullus hominum vidit*. Si intelligatur de comprehensione, sic absolute verum est, etiam de angelis, quia solus Deus co hendit se. Si autem de visione q tingitur, sic intelligitur trip Uno modo, nemo vidit oculo cor Alio modo secundum essentiam mentis vivens in carne, nisi Ch (*Exod.* 33.) *Non videbit me h vivet*. Tertio modo nemo vidit q Deus per seipsum. (*Matth.* 11.) *novit patrem, etc.* (*Matth.* 16.) (*sanguis non revelavit tibi*.] prorumpit in laudem Dei, dicen *honor*. Et ponit duo. Primum p ad reverentiæ exhibitionem, d Honor, qui est exhibitio rever (*Mal.* 1.) *Si ego pater ubi est meus, etc.* Secundum ad guber nem, cum dicit: *Imperium sem num*.

LECTIO 4.

Divites instruit, ne in fluxis mundi hujus divitiis, spei ancoram figant, bonis operibus fieri divites tota ope nitantur, Timotheumque valere j ad mala vitanda, et ad bona servanda hortatur.

17. *Divitibus hujus seculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum.*

18. *Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare.*

19. *Thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant bonam vitam.*

20. *O Thimothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ.*

21. *Quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Gratia Dei tecum. Amen.*

Supra egit de instructione per rum infimi status, hic redit ad riam suam, et instruit eum ad ins dum divites. Et primo facit ho cundo agit de instructione Tim ibi: *O Timothee*. Et semper q instruit eum ad instructionem ali monet ut non negligat se. Et primum primo excludit vitia, qu lent in divitibus abundare, secun ducit ad bona, ibi: *Bene agere*. circa primum primo proponit quæ solent esse in divitibus, sec excludit hæc, reddendo rationen jus, ibi: *In incerto*. Dicit ergo: *tibus*. Divitiæ abundantiam impo Est autem abundantia spiritualiu

hæ sunt veræ divitiæ. (*Is.* 33.) *Divitiæ salutis sapientia et scientia, timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Quædam corporales, et hæ non sunt veræ divitiæ, quia non sufficiunt. Et ideo addit cum quadam diminutione: *Hujus seculi.* (*Bar.* 3.) *Qui argentum thesaurizant, et aurum in quo confidunt homines.* His ergo: *Præcipe.* Quando de servis egit, non posuit præceptum, quia hoc est virtus, quod homo utatur auctoritate ad majores, non ad minores. Et ideo dicit: Non dimittas propter divitias et propter altum statum eorum, quin præcipias. Et quid debet præcipere? *Non sublime sapere*, id est, non sentire aliquid excelsum de se. Nunquid hoc est malum? Respondeo: Potest reddi malum ex duobus. Primo si sublime sapit de se, propter ea, quæ non habent excellentiam veram. Et hoc est, si in rebus temporalibus, unde qui propter exteriorem excellentiam sublime sapit de se, inordinate sapit, et hæc est superbia. Et tamen carnales non aliam sublimitatem curant nisi istam, et hæc acquiri potest per divitias. (*Eccl.* 10.) *Pecuniæ obediunt omnia.* Unde quia divites hujus mundi hæc habent, inaniter extolluntur. Item alio modo, quia sunt quædam, quæ habent sublimitatem, sicut dona spiritualia. (*Eccl.* 25.) *Quam magnus est, qui invenit sapientiam et scientiam, etc.* In his enim aliquis potest inordinate sapere sublimitatem, non ex natura donorum, sed, vel attribuendo sibi, quod non habet, vel non cognoscendo a Deo ea, quæ habet. Unde in primo, est inordinatio propter defectum rerum. In secundo, propter inordinationem affectus. Secundum vitium in divitibus est spes mundanorum. Unde dicit: *Neque sperare.* (*Job.* 31.) *Si putavi aurum robur meum, et obrizo dixi, fiducia mea.* (*Prov.* 10.) *Substantia divitis urbs fortitudinis ejus.*

Deinde cum dicit: *In incerto divitiarum*, assignat rationem monitionis. In eo enim sperat aliquis, unde credit auxilium habere, sed auxilium habetur a forti, et divitiæ sunt fragiles, ergo non est in eis sperandum. (*Matth.* 6.) *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi erugo, ac tinea demolitur, etc.* — *Sed in Deo vivo*, ubi est vera spes ponenda. (*Jer.* 17.) *Beatus vir qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.* (*Jac.* 1.) *Dat omnibus affluenter.* Sed hoc quod dicit: *Abunde ad fruendum*, dupliciter potest exponi. Uno modo, ut fruitio sumatur pro gaudio, et hoc modo est etiam in corporalibus. Vel expone, id est, ut per hæc perveniamus ad fruitionem Dei.

Deinde cum dicit: *Bene agere*, monet ad operandum bonum. Qui autem habent affectum ad divitias, primo nituntur ad acquirendum non habitas, secundo ut utantur habitis, tertio ut ad finem divitiarum perveniant. Hic tria monet Apostolus, primo ut acquirant spirituales divitias quas non habent. Et ideo dicit: *Bene agere, etc.* (*Is.* 1.) *Discite bene facere.* Quantum ad secundum, sciendum est, quod duplex est usus divitiarum. Unus est tenere, et alius est dare, sed principalis est dare. Et ideo ista duo ponit, primo ut dent. Unde dicit: *Facile tribuere*, id est, sine gravitate cordis interius. (2 *Cor.* 9.) *Non ex tristitia, aut ex necessitate, etc.* Et sine tarditate. (*Prov.* 3.) *Ne dicas amico tuo vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare.* (*Job.* 31.) *Si oculos viduæ expectare feci.* Secundo ut custodiat non quidem tantum ad suam utilitatem, sed ad quoddam commune. Unde dicit: *Communicare*

id est, habere eas sicut communes. (*Rom.* 12.) *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Quantum ad tertium, ut ad finem thesaurizandi perveniant, ideo dicit: *Thesaurizate, etc.* Thesaurus spiritualis est congregatio meritorum, quæ sunt fundamentum futuri ædificii, quod nobis præparatur in cælo, quia tota præparatio futuræ gloriæ est per merita, quæ acquirimus per gratiam, quæ est principium merendi. (*Matth.* 6.) *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi neque tinea, etc.* (1 *Cor.* 9.) *Sic currite, ut comprehendatis.*

Deinde cum dicit: *O Timothee*, instruit ipsum Timotheum. Et primo, ut bona conservet, secundo ut mala devitet, ibi: *Devitans.* Dicit ergo: *O Timothee, depositum custodi.* Depositum hominis est omne bonum, quod habet quilibet, quod sibi commissum a Deo, ut conservet et multiplicet. (*Eccl.* 17.) *Gratiam hominis quasi pupillam conservabit.* (1 *Cor.* 15.) *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet.* Et sic dicit ei, ut depositum custodiat, id est, ut se in gratia Dei conservet et multiplicet. Qui enim abscondit talentum, punitur. Tollite ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, etc. (*Matth.* 25.) Et specialiter prælati habent depositum, scilicet curam proximorum et fidelium. *Jacob.* xii.) *Pasce oves meas.* (*Hebr.* xiii.) *Ipsi pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* (2 *Tim.* 1.) *Bonum depositum custodi.* Item quod mala vitet, præcipue illa quæ sunt nata coinquinare fidem, cujus ratio est, quia sicut princeps secularis ponitur ad custodiendam unitatem regni, sic spiritualis ad servandam unitatem spiritualem. Pax autem regni consistit in justitia, et id ordinatur ad justitiam. Sed unit clesiæ est in fide, et ideo pri liter monet ad custodiam fidei. 22.) *Ego rogavi pro te, ut non ciat fides tua, et tu conversu quando confirma fratres tuos, e* militer autem posset corrumpi per fallaciam, sicut etiam qu scientia. Sed sicut dicitur (1 *Fallacia quandoque fit ex voce, doque ex re.* Unde est fallacia i tione, et extra dictionem. Et si aliquando corrumpitur per aliqu ces inordinatas, sicut dicit Hier ex verbis inordinate prolatis fit sis. Et ideo dicit: *Devitans pro vocum novitates.* Quia non vel dire aliquid novi est oblatrare consuetudines. Sed nova pr non sunt audienda. Sed pr novitas est, quando inducitur contra fidem. Et dicitur novu comparationem ad id quod est quum. Hoc fecit Nesterius, dixit de V. Maria Christotoc inferret quod non esset mate Et ideo sancti patres in Ephesin cilio instituerunt, quod diceretu tocos. (2 *Tim.* 1.) *Formam sanorum verborum, quæ a me in fide, et dilectione in Christ* Et cap. 2. *Profana et van derita, etc.* Quandoque vero c pitur per rationes reales soph Et illud vitandum est. Et dicit: *positiones scientiæ falsi nominis* non est vera scientia, sed ap Scientia enim secundum propri tionem non est nisi verorum possibile autem est, quod ver vero contrarium, licet quandoq falsa sint sibi contraria, et id possibile est quod falsa quod re veritati divinæ, quæ est sum ritas, sit verum. (Col. 2. Fu

quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. — *Promittentes*, id est, dicentes se habere. (*Jer.* 10.) *Stultus factus est omnis homo a scientia sua.* Quæ non est Dei, quia qui loquitur mendacium, ex propriis loquitur. (*Joan.* 8, *Jer.* 2.) *Filii Mempheos et Taphneos constupraverunt te usque ad verticem.* (*Is.* 47.) *Sapientia tua et scientia tua hæc decepit te.* — *Gratia Dei* tecum. Amen.

DIVI THOMÆ AQUINATI

EXPOSITIO

SUPER II EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM.

PROLOGUS.

Nocte et die æstu urebar et gelu, etc. (*Genes.* 31.) Verba sunt Jacob ostendentis et commendantis curam pastoralem, ac pastorale officium. In quibus circa hoc officium tria ponuntur, sc. assiduitas, patientia, sollicitudo. Primum est, quia sine intermissione debet curam gregis gerere. Unde dicit: *Nocte et die.* Nocte orando, die erudiendo. (*Is.* 21.) *Super speculam Domini ego sum stans jugiter per diem, et super custodiam ego sum stans totis noctibus.* Vel per diem, id est, tempore prosperitatis, et per noctem, id est, tempore adversitatis. In quibus prælatus debet respicere curam gregis. (2 *Cor.* 6.) *Per arma justitiæ a dextris et a sinistris.* (*Prov.* 17.) *Omni tempore diligit, qui amicus est.* Secundum est, quia maxime prælato patientia necessaria est. Debet enim prælatus propter gregis salutem omnia sustinere. (*Joan.* 10.) *Bonus pastor a suam dat pro ovibus suis.* (*Pro Doctrina viri per patientiam nc* Unde dicit: *Æstu*, id est fervc stantis persecutionis. (*Jac.* 1.) *tus est sol cum ardore et arefe num.* Gelu, id est, timore futu (2 *Cor.* 7.) *Foris pugnæ, intus res.* Tertium est, quia præest i citudine, ut dicitur (*Rom.* 12.) expellit somnum negligentiæ. subditur (*Gen.* 31.) *Fugiebatqu nus ab oculis meis.* (*Prov.* 6.) *Di festina, suscita amicum tuum, oculis tuis somnum.* Recte er verba materiæ hujus epistolæ niunt. In prima enim instruit ordinatione ecclesiastica. In hac secunda agit de sollicitudine tan torali, ut etiam martyrium si pro cura gregis, ut patet in pr

CAPUT I.

Timotheo suo Divus Paulus salutem dicens, gratiam et pacem per Christum a Deo sibi dari exoptat.

1. *Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, secundum promissionem vitæ, quæ est in Christo Jesu.*
2. *Timotheo charissimo filio, gratia et misericordia, et pax a Deo patre nostro, et Christo Jesu Domino nostro.*

Dividitur autem hæc epistola in salutationem, et narrationem secundam, ibi: *Gratias ago.* Item primo ponitur persona salutans. Secundo persona salutata. Tertio bona optata. Persona salutans describitur ex nomine *Paulus*, quod sonat modicitatem, quod ei competit propter humilitatem mentis et tribulationem, quæ faciunt hominem parvum. In tantum quod Christus dicitur minoratus propter passiones. (*Hebr.* 2.) *Eum qui in modico ab angelis minoratus est, etc.* Item ex dignitate, quam primo ponit. Secundo dignitatis originem. Tertio fructum. Dignitas est magna, quia est *Apostolus Jesu Christi*, id est, missus est a Christo. (*Luc.* 6.) *Elegit duodecim ex ipsis, quos etiam Apostolos nominavit.* Hanc dignitatem adeptus est, quia plus omnibus laboravit. (1 *Cor.* 16. et *Gal.* 2.) *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes.* Origo Apostolatus est voluntas Dei. Unde dicit: *Per voluntatem Dei*, quam quidam prævenient, quia se ingerunt, contra quos dicitur (*Hebr.* 5) *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Item quidam permittuntur, propter peccata populi. (*Job.* 34.) *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, sed hoc est per voluntatem Dei quod dicit: quia non per voluntatem suam. Fructus autem non est aliquid terrenum, sed *Secundum promissionem vitæ, quæ est, etc.* Id est, ad consequendam vitam æternam promissam a Christo. Hic debet esse finis prælatorum. (1 *Cor.* 9.) *Illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* (*Dan.* 12.) *Qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Persona salutata est Timotheus filius ejus ab eo conversus. (*Act.* 16.) *Charissimus, quia sibi unanimis.* (*Philipp.* 2.) *Neminem habeo tam unanimem, etc.* Bona optata sunt tria, sc. *Gratia*, per quam est remissio peccatorum. *Misericordia*, per quam consequimur finale bonum. *Pax*, Gloss. id est, tranquillitas mentis, hæc competit prælato, qui ad hoc ponitur, ut pacem procuret (*Joan.* 10.) dixit Dominus, *Pax vobis.* Et præcepit intrantibus domum pacem offerre, ut habetur (*Matth.* 10.) Et hoc, *A Deo patre*, qui est dator omnis boni. (*Jac.* 1.) Item a Jesu Christo, qui est mediator inquantum homo Dei et hominum. (2 *Pet.* 1.) *Per quem maxima nobis et pretiosa promissa donavit.*

LECTIO 2.

Meminisse Timothei in orationibus dicit, asserens maximo se prosequi eum affectu, qui ex lacrymis, et fide Timothei excitabatur in Paulo.

3. *Gratias ago Deo meo, cui servio a progenitoribus meis in conscientia pura, quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die.*
4. *Desiderans te videre. Memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear.*
5. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ est in te non ficta, quæ et habitavit primum in avia tua Loide, et matre tua Eunice, certus sum autem, quod et in te.*

Hic incipit epistolaris narratio, in qua primo munit eum contra præsentes persecutiones. Secundo contra futura pericula ecclesiæ, 3. cap., ibi: *Hoc autem scito.* Item primo inducit ad instantiam prædicationis, quæ tunc erat causa et occasio persecutionis. Secundo hortatur ad sustinendas tribulationes propter Christum, ibi: *Tu ergo, etc.*, cap. 2. Item primo commemorat bona ipsius Timothei. Secundo hortatur eum ad usum horum bonorum per instantiam prædicationis, ibi: *Per quam, etc.* Tertio ponit se in exemplum, ibi: *In quo positus sum ego prædicator et Apostolus et magister, etc.* Item primo ponit affectum quem habebat ad Timotheum. Secundo ponit bona hujus, quæ provocabant eum ad hujusmodi affectum, ibi: *Memor.* Affectus ostenditur per duo, sc. per orationem et desiderium. Et ideo gratias agit Deo de affectu quem habet ad Timotheum, quia est charitatis, et charitas est principale donum, quasi dicat: Reputo me gratiam consecutum, quod sic sincerum affectum habeo ad te. Et dicit: *Deo meo*, cui specialiter servio a progenitoribus meis, non a parentibus carnalibus, quia (1 *Tim.* 1.) *Christus venit peccatores salvos facere, quorum primus ego sum, sed servitio derivato a progenitoribus meis,* sc. patriarchis et prophetis, qui Deo sincere servierunt. Et dicitur a progenitoribus, quia filii facilius imitantur perfectionem paternam, tum quia instruuntur ab eis, ut Tobias, tum quia etiam facilius imitantur amicos. Et quomodo servio ei? *In conscientia pura*, quia ut habetur (*Habac.* 1.) *Mundi sunt oculi tui, Domine, ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* (2 *Cor.* 1.) *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ.* De quo agit gratias, quia sine intermissione, sive die prosperitatis, sive nocte adversitatis oro pro te. Item ex desiderio. Ideo dicit: *Desiderans te videre*, sc. propter consolationem utriusque. (*Rom.* 1.) *Desidero enim videre vos, etc.*

Deinde cum dicit: *Memor*, ostendit bona, quæ erant in Timotheo. Et primo commemorat affectum ejus ad se. Secundo fidem ad Deum, ibi: *Recordationem.* Dicit ergo: *Memor lacrymarum*, quas sc. Timotheus effudit quando discessit Ephesum ab eo, paratus ad martyrium. Vel lacrymarum quas fudit in orationibus, et hoc: *Ut gaudio implear*, id est, hæc memoria replet me gaudio. (*Phil.* 2.) *Impleto gaudium meum, etc.* Item memor fidei ad Deum. Fidem ejus primo commemorat. Secundo ostendit eam a parentibus derivatam, et non novitiam.

Dicit ergo: *Recordationem, etc.* Fides necessaria est prælato, qui est fidei custos. (*Hebr.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et dicit: *Non ficta.* Vera enim per opera bona est. (*Jac.* 2.) *Ostende mihi sine operibus fidem tuam, et ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* (1 *Tim.* 1.) *Finis præcepti est charitas, etc.* (*Sap.* 1.) *Effugiet fictum, etc.* Et hæc non nova, sed *Habitavit primum in avia tua Loide, etc.* (*Act.* 16.) dicitur quod fuit filius mulieris Judææ. *Certus autem,* vel per revelationem, vel per indicia, *quod et in te.*

LECTIO 3.

Uti gratuitis Dei muneribus hortatur Timotheum, maxime in Evangelio prædicando, monetque simul, ne pudore affectus, ab opere concionandi desistat.

6. *Propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.*
7. *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis et sobrietatis.*
8. *Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum ejus, sed collabora evangelio, secundum virtutem Dei.*
9. *Qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quæ data est vobis in Christo Jesu, ante tempora secularia.*
10. *Manifestata est autem nunc per illuminationem salvatoris nostri Jesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, et incorruptionem per evangelium.*

Supra commendavit eum de bonis gratuitis, hic hortatur ad usum gratuitorum sibi datorum, præcipue in prædicatione evangelii. Et primo monet generaliter ad usum datæ sibi gratiæ. Secundo specificat qualis sit usus gratiæ, ibi: *Noli itaque erubescere.* Item primo ponit monitionem, secundo ejus rationem, ibi: *Non enim dedit nobis.* Dicit ergo: *Fides non ficta,* in matre et avia et in te est. *Propter quam causam admoneo te.* Gratia Dei est sicut ignis, qui quando obtegitur cinere non lucet, sic gratia obtegitur in homine per torporem, vel humanum timorem. Unde et Timotheus effectus pusillanimis, torpuerat circa prædicationem. Et ideo dicit: *Ut resuscites gratiam sopitam.* (1 *Thess.* 5.) *Spiritum nolite extinguere.* Et addit: *Quæ est in te per impositionem manuum mearum,* a quo sc. ordinatus erat episcopus. In qua manus impositione data est ei gratia Spiritus Sancti.

Deinde cum dicit: *Non enim,* ponitur ratio monitionis, et sumitur ex conditione divinorum munerum. Qui enim accipit munus, debet operari secundum congruentiam muneris, ergo secundum conditionem divinorum munerum debemus Deo servire. Est autem duplex spiritus, hujus mundi, et Dei. Et horum distinctio est, spiritus enim significat amorem, quia nomen spiritus impulsionem importat, et amor impellit. Duplex autem est amor, sc. Dei, et hic est per spiritum Dei, et amor mundi, et hic est per spiritum mundi. (1 *Cor.* 2.) *Non enim accepimus spiritum hujus mundi, etc.* Spiritus autem mundi facit amare bona mundi, et

timere mala temporalia, et ideo dicit: *Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris*, sc. mundani, quia hunc Deus aufert a nobis. (*Matth.* 10.) *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, etc.* Est alius spiritus timoris Domini et sanctus, et ille facit, ut timeatur Deus, hic autem est sine pœna et sine offensa, et hic est a Deo. (*Matth.* 10.) *Timete eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Et addit: *Sed virtutis*, quia per Spiritum Sanctum dirigimur in malis, et hoc per virtutem, sc. fortitudinis contra adversa mundi. (*Luc. ult.*) *Sedete in civitate donec induamini virtute ex alto.* Item dirigimur in bonis, quia quantum ad affectionem ordinamur per dilectionem charitatis, dum quis omnia, quæ diligit, refert in Deum. Unde dicit: *Et dilectionis.* (1 *Joan.* 3.) *Qui non diligit, manet in morte.* Item quantum ad bona exteriora, et ideo dicit: *Et sobrietatis*, id est, omnis temperantiæ servando debitum modum et mensuram, ut sc. temperate utamur bonis mundi. (*Tit.* 2.) *Sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo.* (1 *Tim.* 3.) *Oportet episcopum esse irreprehensibilem, unius uxoris virum, sobrium.*

Deinde cum dicit: *Noli*, specificat usum gratiæ, et primo excludit contraria huic usui. Secundo hortatur ad usum gratiæ, ibi: *Sed collabora.* A solita autem prædicatione poterat impediri propter duo. Primo per erubescentiam. Secundo ex pœna Apostoli, quam patiebatur propter evangelium, et ideo quantum ad primum dicit: *Noli itaque*, sc. ex quo habes spiritum fortitudinis. *Erubescere, etc.* Prædicatio enim Christi si referatur ad sapientiam mundi videbatur stulta, unde erubescentiam habere videbatur. (1 *Cor.* 1.) *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* (*Rom.* 1.) *Non erubesco evangelium.* (*Luc.* 9.) *Q erubuerit et meos sermones, hunc hominis erubescet.* Quantum ad s dum sciendum est, quod si latro aliquem suspensum, erubescit se fiteri socium ejus. Sic quia Apo erat vinctus, poterat eum Timo erubescere, et ideo dicit: *Neq vinctum ejus.* (*Ephes.* 6.) *Pro q gatione fungor in catena.* (*Ec Ne reverearis proximum tuum i suo.*

Deinde cum dicit: *Sed coll* hortatur ad usum gratiæ, et pri generali. Secundo ostendit e fiducia hunc usum aggrediatur *Secundum virtutem.* Hic mani quod dicit, ibi: *Non secundun* Sed collabora. Dicit ergo: ne e cas, sed *Collabora*, id est, sim cum labora. (1 *Cor.* 3.) *Unusq propriam mercedem accipiet.* E *Evangelio*, quod potest esse a casus, et hic in evangelio præd dativi casus, et sic ad laudem e lii, ut sc. crescat. (*Sap.* 3.) *Bo laborum gloriosus est fructus, e* hoc cum fiducia, non propria, q sufficientes sumus cogitare ali nobis quasi ex nobis, etc. Se *cundum Dei virtutem*, id est, h fiduciam de virtute Dei. (*Is.* 40 *dat lasso virtutem, et his qui no fortitudinem et robur multiplica* virtus manifestatur per duo, sc. tum ad affectum, quia liberamur lis. Et ideo dicit: *Qui nos lib* (1 *Esdr.* 8.) *Liberavit nos de inimici et insidiatoris in via.* (*Jo Si filius vos liberavit.* Et quan hoc quod vocat nos ad bona. U quitur: *Et vocat vocatione sua* quia vocavit ad sanctificandum. 8.) *Quos prædestinavit, hos et* (1 *Pet.* 2.) *Qui de tenebris nos*

in admirabile lumen suum. Et manifestat quædam, quæ dicit, dicens: *Non secundum opera nostra,* ubi ostendit, quod per virtutem Dei liberati et vocati sumus, non per humanam. Et primo ostendit causam vocationis nostræ et liberationis esse a Deo. Secundo processum causæ, ibi: *Quæ data est etiam.* Tertio commendat datorem causæ, sc. gratiæ, et ejus conservatorem, ibi: *Qui destruxit.* Dixit ergo: vocavit non per nostram virtutem, quia, sc. non per opera nostra, quæ sunt effectus virtutis. (*Tit.* 3.) *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Est autem duplex causa humanæ salutis, quæ est a Deo. Una est æterna, sc. ejus prædestinatio. Alia est temporalis, sc. gratia justificans. Quantum ad primum dicit: *Secundum propositum*, id est, prædestinationem, quæ est propositum miserendi. (*Eph.* 1.) *Operatur omnia secundum propositum voluntatis suæ.* (*Rom.* 8.) *His qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Quantum ad secundum, dicit: *Et gratiam.* (*Rom.* 3.) *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Circa processum gratiæ primo ostendit quomodo est præparata gratia. Secundo quomodo collata. Tertio per quem. Primum ostendit, cum dicit: *Quæ data est nobis in Christo Jesu,* id est, prævisa est nobis dari ante tempora secularia. Sicut dicit Philosophus. Seculum nihil aliud est quam mensura durationis aliquarum rerum, unde diversa secula, diversæ sunt ætates hominum. Unde unum seculum durat mille annis, quia homo dicitur vivere quamdiu est in memoria hominum, quæ non excedit mille annos. Tempora ergo secularia sunt quæ mensurant res mutabiles, et hæc incœperunt cum mundo, sed prædestinatio est ante mundum. (*Eph.* 1.) *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi.* Et dicit: In Christo Jesu, quia non sumus electi sic, ut salvemur propriis meritis, sed per gratiam Christi, quia sicut prædestinavit salutem nostram, ita modum salutis nostræ. (*Joan.* 1.) *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Sed hæc prædestinatio prius erat occulta, sed nunc est manifesta. Et quomodo? sicut conceptus cordis per opera, unde nunc in effectu operis, suis electis manifestavit, per illuminationem proprie loquitur; manifestare enim est in lucem ducere. (*Job.* 18.) *Abscondita produxit in lucem.* Sic ergo: *Manifestata est nunc, etc.* Per hoc quod misit Christum nos illuminantem. (*Is.* 60.) *Surge illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum.* (*Luc.* 1.) *Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent.*

Deinde cum dicit: *Qui destruxit,* commendat Christum illuminatorem, et primo ejus virtutem quantum ad mala, quæ abstulit. Secundo quantum ad bona, quæ contulit. Dicit ergo: *Christus,* propter hoc, quod pro nobis passus est. *Destruxit mortem,* id est, satisfecit Deo pro peccatis nostris. (1 *Petr.* 3.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, etc.* Et peccatum erat causa nostræ mortis corporalis. (*Rom.* 6.) *Stipendia enim peccati mors,* et ideo destruendo peccatum, destruxit mortem. (*Os.* 13.) *Ero mors tua, o mors, etc.* Contulit etiam perfecta bona, primo animæ in præsenti, per gratiam fidei. (*Habac.* 2.) *Justus meus ex fide vivit.* Et est imperfecta in hac vita, sed perficietur in gloria. (*Joan.* 15.) *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te.* Secundo immortalitatem carnis resultantem ex gloria animæ. (1 *Cor.* 15.) *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, etc.* (*Joan.* 10.) *Ego veni*

ut vitam habeant, sc. jam per gratiam, et abundantius habeant, sc. per gloriam in futuro. Item ibidem: *Omnis qui vivit et credit in me, non morietur in æternum.*

LECTIO 4.

Suum officium describit Paulus, ostendens quæ patiatur pro eo exequendo, tamen in firma spe Christi confisus non erubescit, ad ac sui exemplum Timotheum provocat, et qui profecerint, et qui defecerint aperit.

11. *In quo positus sum ego prædicator et Apostolus et magister Gentium.*
12. *Ob quam causam etiam hæc patior, sed non confundor. Scio enim cui credidi, et certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem.*
13. *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu.*
14. *Bonum depositum custodi per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis.*
15. *Scis enim hoc, quod aversi sunt a me omnes, qui in Asia sunt, ex quibus est Philetus et Hermogenes.*
16. *Det misericordiam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe me refrigeravit, et catenam meam non erubuit.*
17. *Sed cum Romam venisset, sollicite me quæsivit, et invenit.*
18. *Det illi Dominus invenire misericordiam a Deo in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, tu melius nosti.*

Supra monuit ad sollicitam Christi prædicationem, hic inducit ad hoc per exemplum, et primo ponit hoc. Secundo inducit ad sui sequelam, ibi: *Formam habens.* Tertio ostendit sequendi necessitatem, ibi: *Scis hoc.* Item primo ponit suum officium. Secundo ostendit, quæ patitur pro sui officii executione, ibi: *Ob quam causam.* Tertio spei certitudinem, ibi: *Scio enim.* Describit autem officium suum tripliciter, quia dicit se prædicatorem ad excitandum ad bonos mores. (*Infr.* 4.) *Prædica verbum, insta opportune.* (*Marc. ult.*) *Prædicate evangelium omni creaturæ.* Apostolum ad regendum ecclesiam, quia Apostoli sunt prælati ecclesiæ. (*Gal.* 2.) *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter Gentes.* Et magistrum institutum ad docendum fidei sanctitatem, et cognitionem Dei. (1 *Tim.* 2.) *Doctor Gentium in fide et veritate.* (*Joel.* 2.) *Filii Sion exultate et lætamini in Domino Deo nostro, qui dedit vobis doctorem justitiæ.* Sed dicit: *In quo positus sum ego.* Ubi nota tria. Primo quod ipse non assumpsit sibi, sed ab illo positus est. (*Hebr.* 5.) *Nemo assumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.* Secundo in positione designatur ordo. Tertio firmitas, quia secundum ordinem rationis institutus, firmiter mansit. (*Joan.* 15.) *Posui vos ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* (*Jud.* 5.) *Stellæ manentes in ordine et cursu suo.*

Deinde cum dicit: *Ob quam causam,* ostendit quæ patitur pro sui officii executione, dicens: hæc adversa patior, sc. vincula et tædia, et hoc pro fide Christi. (*Infr.* 2.) *Laboro usque ad vincula.* Et dicit ob hanc causam, quia pati simpliciter non est laudabile, sed propter justam causam. (*Matth.* 5.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et ideo: *Sed non confundor,* quia non est ad confusionem

ei qui patitur propter justitiam. (1 Pet. 4.) *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, si autem ut Christianus, non erubescat, etc.* (*Act.* 5.) *Ibant Apostoli gaudentes, etc.*

Deinde cum dicit: *Scio*, ponitur certitudo spei, quæ facit eum non confundi, etiam hoc provenit ex magnitudine Dei promittentis. Et ideo dicit: *Cui credidi*. Et nota quod uno modo credere, est actus fidei, et est sensus: *Scio, etc.*, id est, scio quod ille qui promisit est verax, et potens ad reddendam vitam æternam, quam repromisit homini fideli existenti. Sed contra ex hoc sequitur, quod eadem est scientia et fides, et idem est scitum et creditum, quod est impossibile, quia de ratione sciti est, quod videatur, de ratione crediti, quod non. Respondeo: in fide duo sunt, sc. id quod creditur, et ille cui creditur. De eo, quod creditur, non potest esse scientia, quia sic perderet crediti rationem, sed de eo cui creditur, est scientia, quia per evidentissimam rationem est scitum, quod Deus est verax. Et sic dicit: Cui credidi. (1 *Joan.* 4.) *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt.* (*Prov.* 14.) *Innocens credit omni verbo, etc.* Alio modo dicitur credere fidei ejus, cui committit rem suam, et hic sensus est verior, quasi dicat: Quia meipsum, labores et passiones credidi, id est, commisi Deo, scio quod *Potens est depositum meum servare, etc.* Et nota, quod depositum dicitur dupliciter. Uno modo, quod ego deposui. Et sic homo deponit apud Deum salutem suam, quando se Deo totum committit. (1 *Petr.* 5.) *Omnem sollicitudinem vestram in eum projicientes, quoniam ipsi cura est de vobis.* (*Ps.* 54.) *Facta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.* Item deponit opera sua, quando, sc. non statim recipit remunerationem suam, sed in posterum. Et sic, qui benefacit deponit illud apud Deum, et hoc usque in illum diem, quando judicabit occulta hominum, quibus tunc reddet Deus mercedem laborum suorum. (*Sap.* 10 *et Is.* 3.) *Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Vel depositum, id est, quod penes me positum est officium sc. officium evangelii. (*Act.* 9.) *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum, etc.* Etiam Deus est potens conservare suum Apostolum usque ad mortem suam.

Deinde cum dicit: *Formam habens*, inducit ad sequelam sui, et est duplex littera. Una dicit habe, altera habens. Si dicit habens, sic primo ponit idoneitatem, quam proponit Timotheo ad imitandum exemplum Apostoli. Secundo hortatur ad imitandum, ibi: *Bonum depositum.* Apostolus autem bonam idoneitatem habuit secundum duo, sc. secundum eruditionem quantum ad cognitionem. Et ideo dicit: *Sanorum verborum.* Item secundum virtutem. Unde dicit: *In fide et dilectione.* Dicit ergo: Non potes te excusare, si patienter te non habeas usque ad vincula sicut ego, quia tu es *Habens formam sanorum verborum*, sc. quæ non continent falsitatis corruptionem. (*Tit.* 2.) *Loquere quæ decent sanam doctrinam.* Et dicitur doctrina sana non corrupta effective, quia nos sanos facit. Et addit: *Quæ a me audisti*, quasi dicat: non es deceptus, quia hoc tibi tradidi, quod a Christo audivi. (1 *Cor.* 11.) *Ego enim accepi a Domino, quod et tradidi vobis.* (*Luc.* 10.) *Qui vos audit, me audit.* Et hoc: *In fide et dilectione*, quia si aliquis omnia verba sana sciret et non crederet, non esset idoneus, nec etiam diligeret, quia de

facili recederet a doctrina, vel per adversa, vel per prospera. (*Hebr.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.* (1 *Joan.* 3.) *Qui non diligit manet in morte.* Et hoc: *In Christo Jesu,* qui vera fides est eorum, quæ Christus docuit, et vera dilectio est in Christo, qui dedit Spiritum Sanctum per quem Deum diligimus. Hæc igitur habens: *Custodi bonum depositum,* quod sc. dedit ibi, id est, officium prædicationis, ut nunquam a veritate recedas, nec propter timorem, officium prædicationis ullo tempore dimittas. (*Prov.* 4.) *Omni custodia serva cor tuum, etc.* (1 *Tim.* 6.) *O Timothee depositum custodi.* Et hoc custodi bono adjutorio, sc. per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis. (1 *Cor.* 3.) *Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis?* Secundum aliam litteram monet ad duo. Primo ad sanam doctrinam. Secundo ad perseverantiam in ea.

Deinde cum dicit: *Scis hoc,* ostendit necessitatem monitionis ex defectu et profectu aliorum. Quando enim aliquis videt aliquos sociorum suorum proficere, et aliquos deficere, nititur sequi bonos. Et ideo primo commemorat deficientes, secundo proficientes, ibi: *Det misericordiam.* Ostendit ergo quid caveat, alias est periculum. (1 *Cor.* 10.) *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Et ideo dicit: Aversi, etc. Gloss. isti fallacia erant pleni, simulate enim fuerant cum Apostolo, ut sc. addiscerent unde facerent calumniam Apostolo. Isti ergo: qui sunt aversi a me, sunt modo in Asia, inter quos præcipue sunt isti duo, qui conversi sunt per Jacobum.

Deinde cum dicit: *Det mi diam*, ostendit aliorum profec præcipue cujusdam Onesiphor memorans primo bona, quæ si tulit Romæ. Secundo quæ ir Item primo optat ei Dei miseric Secundo ostendit meritum mis diæ. Tertio tempus misericordi mum cum dicit: *Det misericordia* optat ei misericordiam, quia p vita miseria est. (*Job.* 14.) *Hom de muliere, brevi vivens tempo pletur multis miseriis.* Dicit: *D siphori domui,* non solum perso familiæ, quia propter bonitatem derivatur gratia ad totam fa (*Matth.* 10.) *Siquidem fuerit illa digna, veniet pax vestra eam.* Meritum autem misericor misericordia, quam habebant in tolum. Unde dicit, quia: *So refrigeravit,* sc. quietem præs (*Matth.* 5.) *Beati misericordes niam ipsi misericordiam conseq* (*Eccl.* 18.) *Nonne ardorem refri ros.* (*Phil.* 16. *Viscera sanctor quieverunt per te frater.* — *Et c meam.* (*Infr.* 2.) *Laboro usque cula quasi male operans, non e sed cum Romam venisset solli amicus quæsivit.* *Eccl.* 6. *Si p amicum, in tentatione posside* (*Prov.* 17.) *Omni tempore dilig amicus est.* Optat autem miseric futuri seculi cum dicit: In illa qua, sc. Dominus judicabit quando misericordia est nece non solum autem Romæ, sed et I Et ideo dignus est divina mis dia.

CAPUT II.

Ad tolerantiam martyrii Timotheus hortatur, per militis similitudinem, cujus præparatio est ex vi animi, et temporalium effusione bonorum, ac ex præmio ob pugnæ laborem expectando.

1. *Tu ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in Christo Jesu.*
2. *Et in his quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere.*
3. *Labora sicut bonus miles Christi Jesu.*
4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit.*
5. *Nam et qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime certaverit.*
6. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere.*
7. *Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum.*

Supra induxit Timotheum ad diligentem evangelii prædicationem, inducit eum hic ad constantem tolerantiam martyrii. Et primo inducit eum ad sustinendam passionem pro salute fidelium. Secundo docet eum qualiter resistat infidelibus, ibi: *Noli verbis.* Item primo inducitur præparatio ad martyrium sustinendum. Secundo exhortatio martyrii, ibi: *Memor esto.* Præparatio martyrii præmittitur quantum ad tria. Primum est animi fortitudo. Secundum est bonorum dispensatio, ibi: *Et quæ audisti.* Tertium est fructuosus militiæ labor, ibi: *Labora.* Requiritur autem ad martyrium fortitudo, quæ est circa pericula mortis. Et ideo dicit: *Tu ergo, fili mi,* sc. quem per evangelium genui. *Confortare in gratia.* (*Ps.* 30.) *Viriliter agite, et confortetur cor vestrum.* — *Quæ est non in te,* sc. cujus fortitudo est vana, *sed in Christo Jesu.* (*Eph.* 6.) *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus.* Vel in gratia, etc. id est gratuito Dei dono per Christum. (*Joan.* 1.) *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Secundum est dispensatio bonorum. Circa quod notandum est, quod quando aliquis adducitur ad mortem, disponit de suis. Non ergo minus debent esse solliciti sancti de bonis spiritualibus sibi creditis, quod non dispereant post eorum mortem, sed aliis credant, et ideo monet eum, ut si ad martyrium venerit, quod dispenset doctrinam fidei. Et primo ponit quomodo accepit, quia per auditum. Unde dicit: *Quæ audivisti a me,* et ego a Christo. Et dico a me non singulariter, sed confirmata. *Per multos testes,* id est, per legem et prophetas. (*Rom.* 3.) *Testificata a lege et prophetis.* Vel per Apostolos. (1 *Cor.* 15.) *Sive enim ego, sive illi, sic prædicavimus, et sic credidistis.* — *Hæc commenda,* inquantum sunt accepta. (*Sap.* 7.) *Quam sine fictione didici, et sine invidia communico.* — *Fidelibus hominibus,* ut sc. non quærant lucrum temporale, sed gloriam Dei. (1 *Cor.* 4.) *Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* (*Matth.* 24.) *Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam, etc.* Item qui sunt idonei ad dispensandum. Ideo dicit: *Qui idonei, etc.* Debent autem esse idonei tripliciter. Primo intellectu, ut sint sapientes ad intelligendum.

(*Luc.* 21.) *Ego dabo vobis os et sapientiam, etc.* Item lingua, ut sint facundi ad docendum. (*Is.* 50.) *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam suscitare eum, qui lapsus est verbo.* Item opere, quia cœpit Jesus facere et docere (*Act.* 1.).

Deinde cum dicit: *Labora*, ponitur tertium, quod est legitimus militiæ labor, ad quem primo hortatur. Secundo ponit laboris præmium, ibi: *Nam et qui.* Tertio militiæ stipendia, *Laborantem.* Item primo hortatur ad legitimum laborem. Secundo exponit quis labor sit legitimus, ibi: *Nemo.* Dicit ergo: *Labora sicut bonus miles Christi.* Est autem tripliciter aliquis miles Christi. Primo inquantum pugnat contra peccata. (*Job.* 7.) *Militia est vita hominis super terram*, et 14. *Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto, etc.* Et hæc pugna est contra carnem, mundum et diabolum. (*Eph. ult.*) *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, etc.* Secundo est aliquis miles Christi pugnanda contra errores. (2 *Cor.* 10.) *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, ad destructionem munitionum consilia destruentes, etc.* Tertio est militia martyrum contra tyrannos. Et hæc est laboriosior. (*Job.* 25.) *Numquid est numerus militum ejus.* Et non debet quiescere miles, quia dicitur a militia sustinenda.

Deinde cum dicit: *Nemo*, exponit quid sit legitimus labor. Et primo inducit eum ad laborem. Secundo ostendit qualis debet esse bonus miles, ibi: *Ut ei placeat.* Primo circa primum duo facit, quia exemplum ponit. Secundo manifestat. Dicit ergo: *Nemo militans Deo, etc.* Circa primum sciendum est, quod alius est finis militiæ spiritualis, et alius est finis militiæ corporalis quia finis militia est, ut obtineat victoriam contra hostes patriæ, et ideo milites debent abstinere ab his, quæ abstrahunt a pugna, puta a negotiis et delitiis. (1 *Cor.* 9.) *Qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.* Sed militiæ spiritualis finis est, ut victoriam habeant ab hominibus, qui sunt contra Deum, et ideo oportet, quod abstineant ab omnibus, quæ distrahunt a Deo. Hæc autem sunt negotia secularia, quia sollicitudo hujus seculi suffocat verbum. Et ideo dicit: *Implicat se.* Sed contra. Negotio secularia sunt temporalia, hoc autem Apostolus fecit, quando vixit labore manuum suarum. Respondeo: dicendum est quod Apostolus dicit implicat, et non dicit exercet. Ille autem eis implicatur, cujus cura et sollicitudo jungitur circa ipsa. Et tunc proprie ipsa hæc interdicuntur militibus Christi, in quibus ostenditur non esse necesse implicari animum. Item non dicit: simpliciter implicatur, sed dicit implicat se, quia quandoque, implicatur et non se implicat. Implicat enim se quando sine pietate et necessitate assumit negotia, sed quando necessitas officii pietatis et auctoritatis exercetur, tunc non implicat se, sed implicatur hujusmodi necessitate. (*Rom.* 16.) *Assistatis ei in quocumque negotio vestri indiguerit.* Causa autem quare non debent se implicare est: *Ut ei placeat cui se probavit.* (1 *Joan.* 2.) *Si quis diligit mundum non est charitas patris in eo.* Qui enim est miles Christi, devovit se ad militandum Deo, et ideo debet conari, ut ei placeat cui se devovit.

Deinde cum dicit: *Nam et qui*, ponit laboris præmium. Et quia diceret aliquis: O Paule magna imponis, sed quis est eorum fructus? Respondet, assumatis exemplum in pugnis secularibus, ubi non omnes, sed legitime pugnantes accipiunt coronam. Sic ergo erit et in spiritualibus, quod

nullus coronabitur nisi servet debitas leges pugnæ. (1 *Cor.* 9.) *Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* (*Sap.* 4.) *In perpetuum coronata triumphat.*

Deinde cum dicit: *Laborantem*, ostendit stipendia, interdicitque ei negotia secularia. Et primo proponit stipendia submetaphoras; secundo exponit, ibi: *Intellige*, officium enim prædicatorum et doctorum est officium militum, inquantum insurgunt contra hostes et vitia. Item agricolæ, inquantum fructum faciunt promovendo ad bona. Hujus ager est ecclesia, et principalis agricola est Deus interius et exterius operans. (*Joan.* 13.) *Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est.* Homines autem exterius adhibent ministerium. (1 *Cor.* 3.) *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.* Isti sunt exteriores agricolæ. (*Job.* 31.) *Si animam agricolarum ejus afflixi.* Istum ergo agricolam oportet fructum accipere, hujus fructus sunt opera virtutum. (*Eccl.* 24.) *Flores mei fructus honoris et honestatis.* (*Gal.* 5.) *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia.* Inter hos fructus sunt et fructus eleemosynarum. (*Act.* 9.) *Hæc erat plena fructibus bonis et eleemosynis quas faciebat.* Isti ergo debent principaliter fructum percipere, ut ipsi gaudeant. Primo de subditorum fructibus. (*Phil.* 4.) *Itaque fratres mei charissimi et desideratissimi gaudium meum et corona mea.* Secundo de subsidiis temporalibus, non pro præmio principali, sed stipendio. (*Gal.* 5.) *Communicet autem is qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat in omnibus bonis.* (*Matth.* 1.) *Dignus est operarius cibo suo.*

Deinde cum dicit: *Intellige*, exponit, quæ dixerat sequens modum Christi post parabolas. (*Matth.* 13.) *Qui habet aures audiendi, audiat*, quasi dicat: Reduc hæc ad intellectum spiritualem. (*Dan.* 16.) *Intelligentia opus est in visione, quasi diceret aliquis, tu dicis, accipe stipendium, o Timothee, sed tu non facis, quia de labore manuum vis vivere.* Unde *Intellige quæ dico*, quia est necessaria discretio, quia ibi non sunt accipienda ubi est occasio avaritiæ contra evangelium, vel propter cupiditatem, vel propter otium, et hoc poteris intelligere, quia *Dabit, etc.* (1 *Joan.* 2.) *Unctio docebit vos de omnibus.*

LECTIO 2.

Exemplo Christi, ad martyrium Timotheus impellitur, seseque etiam in exemplar præbens, cujus martyrii præmium ponit gloriosam corporis resurrectionem.

8. *Memor esto Dominum nostrum Jesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum Evangelium meum.*
9. *In quo laboro usque ad vincula, quasi male operans, sed verbum Dei non est alligatum.*
10. *Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Jesu, cum gloria cœlesti.*
11. *Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, et convivemus.*
12. *Si sustinemus, et conregnabimus, si negaverimus, et ille negabit nos.*
13. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest.*
14. *Hæc commone, testificans coram Deo. Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium.*

15. *Sollicite autem cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem recte tractantem verbum veritatis.*

Supra ponitur præparatio ad martyrium, hic ponitur exhortatio ad ipsum, et primo præmittit exemplum præmii, secundo exemplum martyrii, ibi: *In quo laboro.* Tertio manifestat consequentiam præmii ad martyrium, ibi: *Fidelis sermo.* Nam præmium mortis pretiosæ martyrii, est resurrectio gloriosa, cujus exemplum præcessit in capite nostro Christo. Et ideo dicit: *Memor esto, etc.*, quasi dicat: Dominum nostrum Jesum Christum supple habe in mente contra tribulationes. (*Prov.* 3.) *In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse diriget gressus tuos.* Multa enim sunt in eo cogitanda, sed specialiter resurrectio. Ad hanc omnia ordinantur, et præcipue totus Christianæ religionis status. (*Rom.* 10.) *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et corde tuo credideris, quod Deus excitavit illum a mortuis, salvus eris.* Et nota, quod dicit resuscitatum, quia etsi pater eum resuscitaverit, tamen propria etiam virtute resurrexit, et est primus resurgentium. (1 *Cor.* 15.) *Sed quia secundum naturam humanam resurrexit, et mortuus est, ex semine David.* (*Rom.* 1.) *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, etc.* — *Secundum evangelium meum*, id est, a me prædicatum. (1 *Cor.* 15.) *Notum autem facio vobis evangelium, quod prædicavi vobis.* Qui prædicat evangelium est minister evangelii, sicut qui baptizat est minister baptismi. Tamen non potest dici baptisma meum, sed Evangelium sic. Et hoc ideo: quia multum facit exhortatio et sollicitudo.

Deinde cum dicit: *In quo laboro,* ostendit se in exemplum martyrii, et primo ejus pœnam. Secundo eju sam, ibi: *Ideo omnia.* Tria aut tendit esse in pœna sc. acerbi opprobrium, et constantiam. A tatem cum dicit: *In quo,* sc. eva prædicando, vel pro quo *Labo* est, affligor, et hoc *Usque ad vi* quia quando hanc epistolam sc erat Romæ in vinculis. (*Eph.* *Ministerium evangelii pro quo leg fungor in catena.* Opprobrium tum ad infideles, cum dicit: *male operans.* Christiani enim tu putabantur pessimi. (*Luc.* 9.) *eritis cum vos oderint homines et raverint et exprobraverint, etc.* tus etiam fuit damnatus, quasi operans. (*Is.* 53.) *Et cum sce reputatus est.* Constantiam aute tendit, cum dicit: *Sed verbu etc.* Licet enim corpus sit allig tamen verbum Dei non est allig quia prædicatio fuit ex voluntate toli, quæ libera est, præcipue p efficaciam charitatis, quæ nihil (*Rom.* 8.) *Certus sum enim, qu que mors neque vita, etc.* Quia (1 *Joan.* 3) dicitur: *Major est corde nostro.* Et dicitur, quod i culis existens, multos convertit.

Deinde cum dicit: *Ideo omni tineo,* ostendit causam, quia ma non pœna facit, sed causa. I autem est causa martyrii, sc. p divinum honorem, et salutem pr Propter Deum quidem, quia (*R Propter te mortificamur tota die.* ter salutem proximorum, qui hic: *Propter electos.* (*Joan.* 15.) *rem charitatem nemo habet, ut a suam ponat quis pro amicis s Joan.* 3.) *Quoniam ille pro nob mam suam posuit, et nos deben fratribus animas ponere.* Et propter electos, quia quæcumqu fiunt, specialiter cedunt in bonu

torum, non reproborum. Et quomodo? *Ut et ipsi salutem consequantur.* Sed numquid sufficit passio Christi? Dicendum est, quod sic effective, sed passio Apostoli dupliciter expediebat. Primo, quia dabat exemplum persistendi in fide. Secundo quia confirmabatur fides, et ex hoc inducebantur ad salutem. Et hoc, *In Christo*, id est, quæ venit nobis per eum. (*Matth.* 1.) *Ipse enim salvum faciet populum a peccatis eorum.* Et hoc non solum salutem, gratiæ præsentem, sed etiam *Cum gloria cœlesti.* (*Matth.* 5.) *Merces vestra copiosa est in cœlis.*

Deinde cum dicit: *Fidelis sermo*, ponit consequentiam præmii ad meritum martyrii. Et primo ponit attestationem. Secundo consequentiam, ibi: *Nam si commortui sumus.* Tertio confirmat per testimonium, ibi: *Hæc commone.* Dicit ergo: *Fidelis sermo*, id est, verbum quod dicam est fidele. (*Apoc. ult.*) *Hæc verba fidelissima sunt, etc.*

Deinde cum dicit: *Nam si, etc.*, ponit consequentiam. Et primo de remuneratione bonorum. Secundo de punitione malorum, ibi: *Si negaverimus.* In præmio bonorum sunt duo, sc. reparatio per resurrectionem, et superadditio gloriæ ad quam resurgent. Et ideo primo ostendit, quod per Christum venitur ad reparationem vitæ. Secundo quod per ipsum venitur ad resurrectionem, ibi: *Si sustinemus.* Dicit ergo: *Si commortui sumus*, sc. cum Christo, et hoc per sacramenti susceptionem in baptismo. (*Rom.* 6.) *Consepulti enim sumus, cum illo per baptismum in mortem.* Item per pœnitentiam nos macerando. (*Gal.* 6.) *Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Item pro confessione veritatis moriendo sicut et Christus. (*Ps.* 115.) *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.* Si ergo commortui sumus, *Et convivemus*, id est, sicut ipse resurrexit sic et nos. (*Rom.* 6.) *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus.* Deinde agit de gloria, quam sancti merentur per mortis ignominiam. (*Luc. ult.*) *Nonne hæc oportuit Christum pati.* Et ideo dicit: *Si sustinuerimus.*, sc. patienter afflictiones et opprobria, *Conregnabimus*, id est, simul cum ipso perveniemus ad regnum. (*Matth.* 5.) *Beati qui persecutionem, etc.*

Deinde cum dicit: *Si negaverimus*, ostendit consequentiam quantum ad pœnas. Dupliciter autem potest aliquis peccare contra fidem. Primo exterius negando. Secundo interius eam deponendo. Quantum ad primum, dicit: *Si negaverimus*, sc. coram aliis. *Ipse negabit nos* in judicio. (*Matth.* 25.) *Amen dico vobis, nescio vos.* Negare est non cognoscere eos esse de ovibus suis. Quantum ad secundum, dicit: *Si non credimus*, id est, si fidem a corde abjiciamus. *Ille fidelis permanet*, id est, ipse fidem suam tenet. Unde fidelis manet in sua fide, quia fides nihil aliud est, quam participatio sive adhæsio veritati. Ipse autem est ipsa veritas, quæ negare se non potest. Ergo non est omnipotens. Respondeo, ex hoc est omnipotens, quod *Seipsum negare non potest.* Posse enim deficere magis est pertinens ad impotentiam, quia quod aliquid deficiat a suo esse, est per debilitatem virtutis propriæ. Christum autem negare seipsum est deficere a seipso, hoc ergo ipsum, quod non potest negare se, est ratio perfectæ virtutis. Unde nec peccatum cadit in eum, ut est dictum, nec potest negare suam virtutem et suam justitiam quin puniat. (*Matth. ult.*) *Qui vero non crediderit, condemnabitur.*

Sed numquid non potest Deus alicui remittere pœnam? Potest quidem secundum ordinem sapientiæ suæ, sed contra ordinem sapientiæ et justitiæ, non.

Deinde cum dicit : *Hæc commone, etc.*, confirmat per testimonium, quasi dicat : Simul cum aliis admoneo, ut semper habeas in corde, *Testificans coram Deo*, id est, testem adducens coram quo loquor. Deinde cum dicit : *Noli verbis*, ostendit quomodo resistat infidelibus, quia primo præmittit modum resistendi. Secundo ostendit, quæ sunt quibus resistat, ibi : *Prophana*. Item primo excludit indebitum modum resistendi. Secundo ponit debitum, ibi : *Sollicite*. Circa primum primo excludit indebitum modum. Secundo rationem assignat, ibi: *Ad nihil*. Dicit ergo : *Nolite contendere verbis*. Contentio importat concertationem in verbis. Potest ergo secundum duo intelligi, quia acrimoniam loquens depravatur dupliciter. Uno modo si per hoc acceditur ad favorem falsitatis, ut quando quis cum confidentia clamoris impugnat veritatem. Alio modo propter inordinationem, ut quando utitur acrimonia, vel ultra modum debitum, vel contra qualitatem personæ. Sed si moderate, et cum circumstantiis debitis, et pro veritate fiat, non est peccatum. Et sic in rethorica est unum instrumentum exhortationis. Tamen in sacra scriptura accipitur secundum quod importat inordinationem. (1 *Cor.* 11.) *Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos non habemus talem consuetudinem, neque ecclesiæ Dei*. Et dicit verbis : quia aliqui disceptant solum verbis improperii. Et hoc proprie est contendere. Si hoc fit non verbis tantum, sed veris rationibus, hoc est disputare, non contendere.

Deinde cum dicit : *Ad nil est*, ostendit rationem doc Nam moderata disputatio quan ratione fit, est utilis ad instru sed quando cum verbis tantu est litigiosa. Ideo dicit : *Nisi versionem*, et hoc dupliciter. U dum quod est certum venit in Alio modo, quia audientes s santur. (*Prov.* 14.) *Ubi ver plurima, ibi, frequenter egesta* (*Jac.* 3.) *Ubi zelus et content inconstantia et omne opus* Sed nunquid non sine contenti bet quis disputare coram pc fide? Respondeo : distinguen ex parte audientium, quia aut s licitati ab infidelibus, et tunc publica disputatio : quia p simplices efficiuntur magis quando vident errantes confu vero non sunt sollicitati ab inf tunc non est utilis disputatio, riculosa. Item est distinguen parte disputantis, quia si d est prudens, sic, quod manif futet adversarium, tunc debe disputare : si vero non, nullo

Deinde cum dicit : *Solli teipsum*, ponit debitum mod tendi. Et primo quantum ac intentionem. Secundo quantur tam operationem. Tertio qua rectam doctrinam. Qui enim putare, primo debet scrutari tentionem, utrum moveatur b Ideo dicit : *Probabilem Deo* qui sc. probat cor. (2 *Cor.* *enim, qui seipsum commendat batus est, sed quem Deus con* (*Ps.* 16.) *Probasti cor meum tasti nocte*. Item quod doctrin prædicatore, stabiliat per ope nisi faciat, est confusione digr dicit: *operarium inconfusibile* dicat : Hæc facite, si non con

Item quod recte tractet verbum veritatis, vera docendo et utilia audientibus. Unde subjungit : *Recte tractantem verbum veritatis*, non quærens lucrum et gloriam. (2 *Cor.* 2.) *Non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo in Christo loquimur.*

LECTIO 3.

Hæresum doctrinam vitandam monet, propter nocumentum, quod inferunt, docens, non tollendam esse e medio fidem hæresum causa, ostenditque cur Deus permittit quosdam errare.

16. *Prophana autem et vaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem.*
17. *Et sermo eorum, ut cancer serpit. Ex quibus est Hymeneus et Philetus,*
18. *Quia a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem jam factam, et subverterunt quorumdam fidem.*
19. *Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cognovit Dominus, qui sunt ejus. Et discedat ab iniquitate omnis, qui invocat nomen Domini.*
20. *In magna autem domo, non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia: et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.*

Supra instruxit Timotheum ostendens modum generalem quo infidelibus est resistendum, hoc ostendit in speciali quibus sit resistendum. Et primo ostendit quibus est resistendum. Secundo quare, ibi : *Multum enim.* Tertio quomodo, ibi : *Juvenialia.* Dicit ergo : *Prophana et vaniloquia devita.* Ubi ostendit duo esse vitanda, sc. prophana et vaniloquia, et referuntur ad idem, vel ad diversa. Nam prophana dicuntur quasi procul a phano, sc. cultu divino, et hæc sunt documenta hæresum : et hæc vitanda. Ideo dicit : Devita prophana. Potest etiam dici, quod hæc prophana sunt, quæ fidei repugnant, sed vaniloquia fabulosa. (*Ps.* 11.) *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum.*

Deinde cum dicit : *Multum enim*, ostendit quare hæc sunt vitanda et hoc dupliciter. Primo ex nocumento, quod inferunt. Secundo ex fructu vitationis, ibi : *Si quis.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit quomodo noceant ad fidei subversionem, secundo quomodo non possunt totaliter fidem subvertere, ibi : *Sed firmum.* Item primo ponit documentum. Secundo subdit similitudinem, ibi : *Et sermo.* Tertio exemplum, ibi : *Ex quibus est.* Dicit ergo : Hæc sunt vitanda, quæ impediunt pietatem, quæ cultus Dei dicitur. Unde doctrina fidei, est doctrina pietatis. Impietas vero est doctrina contra fidem. Unde dicit : *Multum enim proficiunt ad impietatem*, id est, perducunt ad errorem sive ad erroneam doctrinam. Sed hic profectus est in malis abusive. (*Inf.* 3.) *Mali homines et seductores proficiunt in pejus, errantes et in errorem mittentes alios.* Deinde ponit eorum similitudinem, dicens : *Sermo.* Hæretici enim dicunt a principio quædam vera et utilia', sed cum audiuntur, immiscent quædam, quæ evomunt, mortifera. Et ideo dicit : *Sermo eorum, etc.* (*Eccl.* 11.) *A scintilla una augetur ignis, et ab uno doloso augetur sanguis.*

Deinde cum dicit : *Ex quibus*, ponit ad hoc exemplum. Hi enim duo, fidem suo tempore corrumpebant. A quibus quidam errantes conversi sunt in vaniloquium, etc. De Phileto dicitur (*Supra* 1.) *Aversi sunt a me omnes, qui sunt in Asia, ex quibus est Philetus et Hermogenes.* De Hymeneo autem habetur (1 *Tim.* 1.) *Ex quibus est Hymeneus.* Et dicit : *Exciderunt.* (1 *Joan.* 2.) *A nobis exierunt.* Et hoc aggravat, quia (2 *Pet.* 2.) *Melius enim erat eis non cognoscere via justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti.* Errabant autem dicentes resurrectionem jam factam esse. De qua (*Matth.* 27.) *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Et dicebant, quod non est alia resurrectio expectanda, sed tunc surrexerunt. Alio modo et melius, quod sicut est duplex mors, ita duplex est resurrectio, sc. animæ et corporis. De resurrectione animæ habetur (*Apoc.* 20.) *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima.* Dicebant ergo, quod omnia, quæ dicuntur in scripturis, erant referenda ad resurrectionem animarum quæ jam facta est. (*Col.* 3.) *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Et hic error est etiam hodie apud hæreticos, et per istum subvertunt quosdam. Et congrue dicit : *Et subverterunt quorumdam fidem* quia destruunt fundamentum fidei. (*Act.* 13.) *O plene omni doli et omni fallacia, fili diaboli, et inimice omnis justitiæ, non definis subvertere vias Domini rectas.*

Deinde cum dicit : *Sed firmum*, ostendit quomodo per hæreses fides non est totaliter subvertenda. Et primo quod per doctrinas hæreticas non potest tota ecclesiæ fides corrompi. Secundo ostendit quare Deus permittit aliquos errare, ibi : *In magna autem.* Item primo ostendit immobilitat dei electorum. Secundo addit d strationem, ibi : *Habens.* Dicit Subvertunt, sed firmum fundam Dei stat. Hæc enim fundament illa, quibus datur gratia immo standi. (*Matth.* 7.) *Fundata eni* supra firmam petram. *Firmum*, qu mobile. Unde præmittitur, ibi : (1 5.) *Quod venerunt flumina et fla venti, et irruerunt in domum ill non cecidit.* Hujus firmitas de primo ex divina prædestination cundo ex libero arbitrio nostr ideo quantum ad primum, dicit firmum fundamentum, *Habens l gnaculum*, id est, hoc est signu jus firmitatis. (*Joan.* 3.) *Qui acceperit testimonium ejus, sig quia Deus verax est.* Hæc est pars signaculi, sc. ex divina destinatione, quia novit Dominu sunt ejus. Et hæc est notitia c prædestinationis. (*Joan.* 10.) *E gnosco oves meas, et alias oves quæ non sunt ex hoc ovili.* (*Matt Non novi vos.* Sed quantum ad s dum dicit : *Discedat ab iniquitat nis, qui invocat.* Quasi dicat: si destinati sunt a Deo, quod per lil arbitrium salvabuntur, quia ex quod aliquis finaliter non ad peccato, ostendit se esse prædes tum. Et ponit duo, quæ pertine ordinationem in statu salutis. Pr quod confiteantur fidem. Ideo *Omnis qui, etc.* (*Rom.* 10.) *Or confessio sit ad salutem.* Secu quod recedat a peccato. (*Matth.* 7 *omnis qui dicit mihi: Domine, Dc intrabit in regnum cœlorum, e* ideo dicit : *Discedat, etc.* (*Is.* *Derelinquat impius viam suam* Quod vero dicit : *Invocat nomen* intelligit, quod solum nominet or interius per fidem, et extra per o

Deinde cum dicit: *In magna*, ponit rationem quare Deus permittit aliquos errare, licet omnes diligat. Dupliciter autem potest hoc intelligi, quia vel in generali, vel in speciali ad hunc, vel illum. Si enim quæras in singulari, quare dat huic donum perseverantiæ et non illi, non habet rationem nisi solam Dei voluntatem. August. Quare hunc trahat et illum non trahat, noli velle judicare, si non vis errare, etc. Sed si quæras in generali quare quibusdam dat et quibusdam non, habet rationem, quam assignat Apostolus (*Rom.* 9.) Et est eadem ratio cum ista, licet per alia exempla. Ideo enim dicit: *Sustinuit in multa patientia, etc.* Secundum enim, quod omnia opera, quæ Deus fecit in natura et gratia, sunt facta ad manifestandum gloriam Dei. (*Eccl.* 42.) *Gloria Domini plenum est opus ejus.* Sic etiam fecit diversas creaturas, ut perfectio divinæ bonitatis, quæ non potest manifestari per unam, sufficienter manifestetur per aliam. Ita etiam considerandum est de uno artifice, in domo una est una fenestra, quæ est altera pulchrior. Si quis ergo quærat quare non tota domus est fenestra, ratio est, quia tota domus esset imperfecta. Similiter dicit Apostolus (1 *Cor.* 12.) *Si totum corpus esset oculus, ubi auditus?* Si ergo dicit Apost. in effectu gratiæ, quia oportuit, quod Deus manifestaret justitiam et misericordiam. Si enim omnes salvaret, esset solum ejus misericordia. Si omnes damnaret, solum esset justitia. Et ideo Deus volens manifestare iram, id est, justitiam, etc. Et similis est ratio de perfectione ecclesiæ, quam oportebat esse perfectam, quod non esset in ea diversitas. In qua est triplex diversitas, sc. bonorum et malorum, bonorum et meliorum, malorum et pejorum. Et hanc assignans dicit: *In magna autem domo*, id est, ecclesia. (*Baruch.* 3.) *O Israel, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessionis ejus.* Non solum sunt vasa aurea, etc., ubi aurea et argentea distinguuntur a fictilibus. Item argentea ab aureis. Item fictilia a ligneis. In primo comparatio bonorum et malorum innuitur. In secundo comparatio bonorum et meliorum. In tertio malorum et pejorum. Nam aurea et argentea sunt boni, sed aurea meliores, argentea minus boni. Similiter lignea et fictilia sunt mali, sed fictilia sunt pejores, lignea vero minus mali.

Consequenter designat diversitatem quantum ad usum, ut boni sint vasa in honorem, sicut deputati ad honorabilem usum: mali vero sint vasa fictilia et lignea, quasi deputati in contumeliam, id est, ad vilem usum. Sicut enim in hominibus quidam, sc. sancti, quasi vasa pretiosa. (*Eccl.* 50.) *Vas auri solidum, etc.* (*Act.* 9.) *Vas electionis est mihi iste, etc.* Quidam vero sicut vasa inutilia, sc. mali. (*Is.* 32.) *Fraudulenti vasa pessima sunt.* (*Eccl.* 21.) *Cor fatui quasi vas confractum.* Prima vasa sunt in honorem quibus debetur vita æterna. (*Rom.* 2.) *His quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam et honorem et incorruptionem quærentibus vitam æternam.* Secunda vasa sunt in contumeliam. (1 *Reg.* 2.) *Qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Et prædicta diversitas potest aliter applicari ad diversitatem ecclesiæ, ut vasa aurea sint prælati, argentea vero et lignea, et fictilia tenentes inferiorem gradum, inter quos est quidam gradus. Et quod subdit: *Quædam in honorem, etc.*, non est tunc intelligendum quod vasa aurea et argentea omnia sint in honorem, et fictilia in contumeliam, quia de quocumque statu quidam salvantur, et quidam damnantur.

LECTIO 4.

Prophana docet esse vitanda ex fructu in de proveniente, demum, quæ sectanda ab eodem proponit.

21. *Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum et utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*
22. *Juvenilia autem desideria fuge: sectare justitiam, fidem, spem, charitatem, et pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro.*
23. *Stultas autem et sine disciplina quæstiones devita, sciens quia generant lites.*
24. *Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.*
25. *Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati: nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem.*
26. *Et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.*

Supra ostendit quod prophana sint vitanda per rationem sumptam ex nocumento, hic ostendit idem per rationem sumptam ex fructu. Et primo proponit vitationem. Secundo ejus fructum, ibi: *Est vas.* Nam vitationem vocat emundationem. Dicit ergo, quædam sunt vasa in contumeliam, *Ergo si quis emundaverit se ab istis*, quia eorum consortia inquinant. (*Eccl.* 13.) *Qui tetigerit picem, inquinabitur abea.* Et ideo fugiendi sunt. (2 *Cor.* 9.) *Exite de medio et separamini, dicit Dominus, et immundum ne tetigeritis, etc.* Fructus autem sequens, est quadruplex. Primus est ex ordine ad gloriam, *Quia erit vas in honorem*, quia si sordidetur ab illis, erit in contumeliam, si emundat se, in honoren 138). *Nimis honorati sunt amici* (*Prov.* 25.) *Aufer rubiginem d gento et egredietur vas puriss* Alii effectus sunt gratiæ, quoru mus est hominis sanctificatio. S dus est hominis ordinatio per i intentionem. Tertius per operis tionem. Quantum ergo ad primu cit: *Sanctificatum.* (1 *Cor.* 6.) *estis, sanctificati estis.* Sed qu ad secundum dicit: *Utile D* Sed numquid indiget servitio n Non. (*Ps.* 15.) *Bonorum meoru indiges.* Sed dicit utile Domino, utilitati suæ cedet ad honore mini. (*Act.* 9.) *Ut portet nomen coram gentibus, et regibus, Israel.* Quantum ad tertium *Ad omne opus bonum paratu* 118.) *Paratus sum et non sum tus.* Et dicit: Ad omne bonum præcepta affirmativa non obli semper. Et ideo debet esse p ut quando necesse est operetu

Deinde cum dicit: *Juvenilia* dit qualiter prophana sunt Et ponit duo vitanda. Primum versatio prava. Secundum e trina mala, ibi: *Stultas aute* primum duo facit, quia prima quid sit vitandum. Secundo sequendum, ibi: *Sectare.* Di dico quod debes vitare hæc vas emundatum. Ideo juven Considerandum est quod di quia iste juvenis erat. Et h desideria vanitatum exterio carnalium voluptatum. Nati

juvenibus quod hæc desiderent. (*Eccl.* 11.) *Adolescentia et voluptas vana sunt.* Cujus est duplex ratio. Una, quia non sunt alia experti. Secunda, quia hujusmodi delectationes naturales sunt ordinatæ ut medicina contra labores. Natura vero in juvenibus laborat, et ideo inclinantur ad eas.

Deinde cum dicit: *Sectare vero justitiam, fidem, spem, charitatem, et pacem*, ostendit, quæ sunt sectanda. Et sunt quatuor, quorum primum ordinat ad subditos, et hæc est justitia, quia princeps est custos justitiæ. (*Prov.* 20.) *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Secundum ordinat ad eum, et hæc est fides, sine qua impossibile est placere Deo. (*Hebr.* 11.) Tertium est spes. Quartum ordinat ad proximum unumquemque, sc. charitas et pax, quæ se extendit ad inimicos. (1 *Cor.* 13.) *Si habuero fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ex charitate sequitur gaudium. Pax autem importat ordinatam concordiam. Quod autem subdit: *Cum his qui invocant, etc.*, uno modo exponi potest referendo ad immediate dictum, quasi dicat: Sequimini pacem cum his, etc. Quod autem dicit: *De corde puro*, ponitur, quia non est speciosa laus, etc. Sed (*Hebr.* 12) dicitur: *Pacem sequimini cum omnibus.* Quare ergo dicitur hic, cum his qui invocant Dominum de corde puro? Respondeo: dicendum est, quod quantum in nobis est, debemus habere pacem cum omnibus si fieri potest, sed non potest esse pax inter bonos et malos, quia pax dicit concordiam, quæ non potest haberi cum malis. Alio modo legitur cum his, etc., ut referatur ad totum præcedens, quasi dicat: Ita sectare justitiam, pacem, et omnia, sicut et illi qui invocant, etc.

Deinde cum dicit: *Stultas autem*, hortatur ad vitandum doctrinam malam. Et primo docet, quid sit vitandum. Secundo quid sit sectandum, ibi: *Sed mansuetum.* Circa primum duo facit: quia primo proponit documentum. Secundo rationem assignat, ibi: *Sciens quia*, vitandæ sunt *Quæstiones stultæ*, quantum ad materiam, quia sunt de stultis, id est, de his, quæ contrariantur sapientiæ, id est, de his, quæ sunt contra divinam sapientiam. Has non debet homo movere, sed eis resistere. (*Jer.* 10.) *Stultus factus est omnis homo a scientia sua.* Dicit autem: *Sine disciplina*, quantum ad modum, quia clamosæ sunt. Vel sine disciplina ex parte eorum de quibus dubitatur, ut puta si vertat in dubium id, quod tota ecclesia tenet. (*Job.* 34.) *Job autem stulte locutus est et verba ejus non sonant disciplinam.* Quæstiones autem intantum sunt amandæ, inquantum ducunt ad veritatem: per hoc quod oportet quod omnes unum dicant. Quæstiones autem stultæ non ducunt ad veritatem, sed ad litem, quæ est vitanda. (*Is.* 58.) *Ecce ad lites et contentiones jejunatis, etc.* Et ideo dicit: *Servum autem Domini*, id est, eum qui se dat servitio Domini. *Non oportet litigare.* (1 *Tim.* 3.) *Non litigiosum.*

Deinde cum dicit: *Sed mansuetum*, ostendit quid sit sectandum. Et primo ponit documentum. Secundo rationem, ibi: *Ne quando det.* Item prima in duas, quia primo proponit quoddam generale ad omnes. Secundo quædam necessaria ad singulos, ibi: *Docibilem.* Generale quod debet habere qui vult disputare, est quod sit mansuetus. (*Ps.* 24.) *Docebit mites vias suas.* Est enim mansuetudo virtus compescens ab ira, quæ perturbat judicium rationis, quæ necessaria est in quæs

tione et judicio veritatis. (*Matth.* 11.) *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* In speciali autem debet habere respectu superiorum docilitatem : respectu persecutorum, patientiam : respectu falsorum doctorum, correctionem. Quantum ad primum dicit : *Docibilem*, id est, paratum corrigi a quocumque. Et hæc est sapientia cælestis. (*Jac.* 3.) *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est* : deinde autem pacifica, modesta, suasibilis, etc. Quantum ad secundum dicit : *Patientem.* (*Ps.* 91.) *Bene patientes erunt ut annuntient.* (*Prov.* 19.) *Doctrina viri per patientiam noscitur.* Quantum ad tertium dicit : *Cum modestia corripientem*, quia correctio debet esse modesta. (*Gal.* 6.) *Vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, etc.*

Deinde cum dicit : *Nequando*, assignat rationem vitationis, et respondet cuidam tacitæ quæstioni. Posset enim aliquis dicere : Isti resistunt veritati, et ideo imminet necessitas corrigendi. Respondeo quod Deus pater eos potest reducere ad pœnitentiam, et ad hoc debet justus niti. Et primo præmittit pœnitentiam, quam debet intendere contra adversarios. Secundo pœnitentiæ fructus. Tertio pœnitentiæ necessitatem. Dicit ergo : *Nequando*, id est, ut *Deus aliquando det eis pœnitentiam*, quia ex superbia resistunt, quibus difficile videtur dari pœnitentia. Hic excluditur error Pelagii qui dic gratiæ esse ex operibus nostris per hoc patet esse falsum, quia principium bonorum sc. pœni datur a Deo. (*Tren.* 5). *Conver Domine ad te, et convertemur.* (*A timore tuo concepimus.* Fructu pœnitentiæ duplex est, sc. c veritatis, et liberatio a potestat boli. Quantum ad primum dic *cognoscendam veritatem*, quia c ex malitia resistitur veritati, ip litia sua excæcat eos; quand malitia aufertur, cognoscunt ver (*Joan.* 8.) *Et cognoscetis ver* Quantum ad secundum dicit : *E piscant a diaboli laqueis*, id occasionibus errorum ex parte lectus, sicut falsæ fantasiæ, et e affectus, sicut sunt invidia, su et hujusmodi. Necessitas autem tentiæ est magna, quam nisi ha diabolus dominatur eis. Unde *a quo captivi tenentur*, quia q peccatum servus est peccati. (*Jo* Et dicit : *ad ipsius voluntate* sectandam. Vel ut de homine voluntatem suam. Sed contra, n tim præcipitat sicut vellet. Dic est, quod solum adipiscitur qu permittitur sibi : sed difficile es ei auferatur id quod tenet. (*I Nunquid tolletur a forti præd quod captum fuerit a robusto esse poterit?*

CAPUT III.

ula novissimis temporibus, ob abundantiam malitiæ et sui ipsius amorem futura prædicit.

nutem scito, quia in novissimis
s instabunt tempora periculosa.
runt homines seipsos amantes,
i, elati, superbi, blasphemi,
tibus non obedientes, ingrati,
ti.
affectione, sine pace, crimina-
incontinentes, immites, sine
nitate.
itores, protervi, tumidi, cæci et
atum amatores magis quam

ntes speciem quidem pietatis,
m autem ejus abnegantes.

instruxit eum quomodo re-
bulationibus et periculis præ-
, hic ostendit quomodo stet
utura. Et primo prænuntiat
ericula. Secundo ostendit ido-
suam ad resistendum, ibi :
m assecutus. Tertio ostendit
resistat, ibi : *Testificor.* Circa
duo facit, quia primo prænun-
ula novissimorum temporum.
ostendit quomodo eorum vitia
m modo vitanda, ibi : *Et hos*
em prima in duas, quia primo
iat esse futura pericula in
is temporibus. Secundo cau-
ulorum, ibi: *Et erunt homines.*
o: Dixi, devita prophana, etc.
m autem sunt hæc modo vi-
sed in futuro restant etiam
alia vitanda. Et dicuntur
i dies, quia sunt propinqui
i diei. (*Joan.* 5.) *Ego resus-*
im in novissimo die. (*Gen.*
.) Congregamini ut annun-
tiem quæ ventura sunt vobis diebus novissimis. Et addit: *Instabunt tempora periculosa, etc.* (*Matth.* 24.) *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Causa horum est iniquitatis abundantia.* (*Matth.* 24.) *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum* : quia fides et charitas vel annullabitur vel totaliter peribit ; quia quanto magis aliquid elongatur a suo principio, tanto plus deficit. Et ideo in tempore illo magis deficient fides et charitas, quia plus elongantur a Christo. (*Luc.* 19.) *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* Et circa hoc primo ponit iniquitatis radicem. Secundo diversas ejus species. Radix autem totius iniquitatis est amor sui ipsius. Duplex autem amor duplicem civitatem facit. Sed contra. Quilibet naturaliter diligit se. Respondeo: dicendum est quod in homine duo, sc. natura rationis, et corporalis. Quantum ad intellectualem seu rationalem quæ interior homo appellatur, ut dicitur (2 *Cor.* 4.) *Homo debet plus se diligere quam omnes alios, quia stultus esset qui vellet peccare ut alios a peccatis retrahat, sed quantum ad exteriorem hominem, laudibile est ut alios plus diligat quam se.* Unde illi qui se sic tantum amant, sunt vituperabiles. (*Phil.* 2.) *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi.* Ex hac radice diversæ sunt species iniquitatis. Unde dicit : *Cupidi, elati, etc.* Et circa hoc tria facit, quia primo ponit peccata, quæ sunt in abusu rerum exteriorum.

Secundo, quæ pertinent ad inordinationem hominis ad alios, ibi: *Blasphemi.* Tertio, quæ ad seipsum, ibi: *Incontinentes.* Duo autem sunt in rebus exterioribus, sc. abundantia divitiarum, et excellentia bonorum. Quantum ad primum, dicit: *Cupidi.* Et cupiditas primo ponitur, quia est radix omnium malorum. Vel est propinqua amori sui ipsius, quæ est ad bona exteriora. Quantum ad secundum dicit: *Elati.* Elatio est species superbiæ, quæ sunt quatuor. Una quando aliquis attribuit sibi quo caret. Secunda quando quod ab alio habet attribuit sibi, ac si haberet a se. (1 *Cor.* 14.) *Quid habes quod non accepisti, etc.* Tertia quando attribuit sibi quod habet ab alio, sed meritis propriis. (*Luc.* 18.) *Jejuno bis in sabbatho,* etc. Quarta quando singulariter vult videri supra omnes, et hæc est elatio. (*Ps.* 130.) *Domine, non est exaltatum cor meum,* etc. Quod dicit: *Superbi*, reducitur ad alias species superbiæ. (*Jac.* 4.) *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Consequenter ponit vitia quantum ad alios. Et primo quantum ad superiores; secundo quantum ad æquales, ibi: *Scelesti.* Superior est triplex, sc. Deus. Et contra hunc dicit *Blasphemi.* (*Is.* 1.) *Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israel, abalienati sunt retrorsum.* Item parentes, et quantum ad hoc dicit: *Parentibus non obedientes.* (1 *Reg.* 15.) *Quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* (*Prov.* 30.) *Oculum qui subsannat patrem, et qui despicit partum matris suæ effodiant eum corvi de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ.* Item benefactor inquantum hujusmodi. Et quantum ad hoc dicit: *Ingrati.* (*Ps.* 37.) *Qui retribuunt mala pro bonis, etc.* (*Col.* 3.) *Grati* (*Sap.* 16.) *Ingrati enim spes tan hybernalis glacies tabescet, et dis tanquam aqua supervacua.* Tunc mala quæ sunt ad æqualem et p mum, et sunt tria. Primum pe ad opus. Unde dicit: *Scelesti,* i qui scelera gravia perpetrant in p mos. (*Is.* 1.) *Væ genti pecc populo gravi iniquitate, semi quam, filiis sceleratis, etc.* Secu ad affectum. Unde dicit: *Sine affe* id est, sine affectu charitatis, e pace. Tertio quantum ad ve Unde dicit: *Criminatores.* (*Lev Non eris criminator, nec susu populis.* Item quantum ad se ostendit quædam alia tripliciter. quantum ad corruptionem conc cibilis, secundo irascibilis, tert tionalis. Quantum ad primum *Incontinentes.* Unde dicitur incon qui se non tenet in bono pro propter pravas concupiscentias. 26.) *Omnis autem ponderati est digna continentis animæ.* Qu ad irascibilem dicit proprie: *Im* id est, non mansuetudi; hæc mansuetudo moderatur passione (*Matth.* 11.) *Discite a me, quia sum et humilis corde.* (*Ps.* 24.) *I mites vias suas.* Item ponit aliu pertinet ad effectum irascibili benignitatis exclusio. Unde dicit *benignitate.* Hoc enim est na quod quando dominatur unum c riorum excludit aliud. (*Eph.* 4. *tote invicem benigni.*

Deinde ponit vitia, quæ sunt a ruptionem rationalis. Hæc aute tentia perficitur per prudentiam dentiæ autem opponitur aliquod per abusum prudentiæ, et aliqu ejus privationem, et utrumque Quantum ad primum dicit: *Prod* Ad prudentiam autem pertinet

citas, qua quidam abutuntur in malum, et hi sunt proditores. (*Prov.* 11.) *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana.* Ita constantia qua quidam abutuntur dum in malo proterviunt. Unde dicit : *Protervi.* (*Prov.* 3.) *Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

Deinde ponit vitia, quæ sunt ad privationem prudentiæ. Et primo ponit privationis causam. Unde dicit : *Tumidi.* Superbi enim inflantur in agendis, quia non metiuntur vires suas, et ideo deficiunt. (*Prov.* 11.) *Ubi superbia, ibi erit et contumelia* : ubi autem humilitas, ibi et sapientia. Secundo ponit privationis effectum, quia temporalia præponunt æternis. Unde dicit : *Voluptatum amatores magis quam Dei.* (*Is.* 13.) *Syrenæ in delubris voluptatis.* Sed numquid est idem esse incontinentem, et voluptatum amatorem? Respondeo: dicendum est quod non, quia proprie incontinens dicitur qui habet spem fugiendi, sed vincitur ab eis, sed proprie amator earum est intemperatus qui habet corruptam æstimationem.

Consequenter ponit simulationem, dicens : *Habentes quidem speciem pietatis.* (2 *Cor.* 11.) *Operarii subdoli. Virtutem autem ejus abnegantes,* virtutem, sc. pietatis, quæ dicitur hic dupliciter. Uno modo ipsa vis pietatis, id est, ejus virtus. Unde dicit : Abnegantes, id est, veritatem non habentes. (*Tit.* 1.) *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Alio modo, quia virtus rei dicitur illud, ex quo dependet tota res. Tota autem virtus pietatis dependet ex charitate, ideo dicit virtutem ejus, sc. charitatem, abnegantes.

LECTIO 2.

Docet vitandos eos, qui prænumeratis vitiis scatent, alia eorum vitia recensendo contra quæ Timotheum suum plurimis virtutibus munit.

5. *Et hos devita.*
6. *Ex his enim sunt qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.*
7. *Semper discentes et numquam ad scientiam veritatis pervenientes.*
8. *Quemadmodum autem Jamnes et Mambres restiterunt Moysi, ita et hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.*
9. *Sed ultra non proficient. Insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut et illorum fuit.*
10. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem ,longanimitatem , dilectionem, patientiam.*
11. *Persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconio, Lisiris : quales persecutiones sustinui, et ex omnibus eripuit me Dominus.*

Supra Apostolus descripsit pericula novissimorum temporum, et causam assignavit, hic docet hujusmodi etiam in presenti esse vitanda. Et primo præmittit monitionem de horum vitatione, secundo ostendit in quibus hominibus in præsenti appareant prædicta, ibi : *Ex his enim.* Dicit ergo : Dixi quod in novissimis temporibus erunt homines pessimi. Sed non credas te in presenti esse tutum : sed etiam nunc hos, et tales homines devita, sc. ne in similem errorem labaris. (*Tit. ult.*) *Hæreticum hominem post unam*

et secundam correptionem devita. Et licet quantum ad aliqua vitandi sint, sed non quantum ad sermonem exhortationis. Et tunc ostendit quod etiam modo sunt aliqui tales. Et primo ostendit nocumentum quod inferunt : secundo defectum quem patiuntur, ibi : *Homines reprobi.* Tertio impedimentum quo arctantur, ibi: *Sed ultra.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit impedimentum quod inferunt subditis : secundo impedimentum quod inferunt prælatis, ibi : *Quemadmodum autem.* Iterum prima in duas : quia primo ostendit eorum imprudentiam : secundo eorum astutiam, ibi: *Et captivas.* Quantum ad primum dicit: *Devita hos,* qui jam sunt aliqui tales. *Nam ex his enim,* id est, eorum numero, *Sunt.* (1 *Joan.* 2.) *Nunc Anti-Christi multi sunt, etc.* Nec debetis intelligere quod ex his fuerunt, sed sunt, sc. scelesti et ingrati, etc. quia peccatores jam conversi non debent dici peccatores. (*Ps.* 15.) *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.*

Deinde cum dicit : *Qui penetrant domos,* ostendit eorum malitiam. Et ad litteram potest exponi, quasi inordinate ingerentes se, et circumeuntes propter lucrum. Contra quod (*Eccl.* 21.) *Pes fatui facilis in domum proximi.* Sed propter hoc non prohibentur aliqui visitare afflictos in domibus. (*Jac.* 1.) *Religio munda et immaculata apud Deum et patrem, hæc est, visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, etc.* Vel metaphorice potest exponi, domus, id est, conscientia. (*Sap.* 8.) *Intrans in domum meam conquiescam, etc.* Illi ergo penetrant domos, qui cum astutia volunt scire secreta conscientiæ, ut decipiant alios. (*Eccl.* 13.) *Ex multa loquela tentabit te, et subridens interrogabit te.* Nihilominus tamen illis qui curam habent, licet inquirere statum consci (*Prov.* 17.) *Diligenter agnosce v pecoris tui, tuosque greges cons*

Deinde cum dicit : *Et captiva cunt,* ostendit eorum astutiam. E mo tangitur eorum malitia, qu ducunt a libertate et statu g (*Jac.* 1.) *Qui autem prospexerit perfectæ libertatis, etc.* Et duc statum servitutis, qui est status cati. (*Ps.* 125.) *In convertendo nus captivitatem Sion, etc.* Hoc nomen captivitatis importat. (. *Propterea captivus ductus est pc meus, quia non habuit scier* Secundo ostendit in quas pe exercent malitiam, quas describi mo a fragilitate sexus : secun malitia conversationis : tertio ex tate affectionis : quarto ex d discretionis. Quantum ad primum *Mulierculas,* quæ sunt minoris d tionis et sexus fragilioris. Et Mulierculas, quia magnæ Domin bent aliquos consiliarios, und possunt se duci. Sed hæ sun auxilio destitutæ. (*Matth.* 23.) *ditis domos viduarum.* (1 *Mac. Captivas duxerunt mulieres* , Quantum ad secundum dicit : *On peccatis.* Peccatum est onus, qui permittit libere incedere, nec er esse et stare, sed incurvat. (*Ps Sicut onus grave, gravatæ sunt me.* Et ideo istas specialiter deci qui peccatum parat viam sedu Item quia malæ sunt, timent resi ne perdantur. Quantum ad te dicit: *Quæ ducuntur variis desi* id est, aptæ sunt, ut sedu propter varia desideria, quæ h (*Jac.* 1.) *Vir duplex animo inco est in omnibus viis suis.* Et ideo mulier fuit seducta, qui non constanter in verbis Domini, sed ne forte moriamur. (*Eccl.* 6

respicias mulierem multivolam. Quantum ad quartum dicit : *Semper discentes, et nunquam, etc.* Curiositas semper nova nititur quærere, et non vult insistere. Unde dicit : Semper discentes. (*Prov.* 9.) *Mulier clamosa, etc.* Tamen hoc quod dixit : Semper discentes potest reduci ad penetrantes domos.

Deinde cum dicit : *Quemadmodum*, ostendit nocumentum quod afferunt prælatis, et nocumentum resistendi eorum doctrinæ : et inducit exemplum de Exodo, ubi magi Pharaonis restiterunt Moysi, quia a principio mundi semper fuit pugna inter veritatem et falsitatem. (2 *Pet.* 2.) *Fuerunt vero et pseudoprophetæ in populo sicut et in vobis, etc.* Sed in Exodo, isti magi non nominantur, sed hic sic, quod forte habuit ex aliquibus verbis Judæorum. *Ita et resistunt veritate*, sc. quam nos prædicamus. (*Job.* 24.) *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* (*Act.* 17.) *Semper Spiritui Sancto restitistis.*

Consequenter cum dicit : *Homines, etc.* ostendit eorum defectum in fide et in opere. In opere, homines reprobi. Gloss. In operibus, id est, qui per opera sua, se reprobos ostendunt. (*Jer.* 6.) *Argentum reprobum vocate eos.* Item in fide corrupti mente, id est, potentia rationali. Unumquodque enim tunc dicitur corruptum, quando deficit a propria virtute. Propria autem mentis perfectio est cognitio veritatis. Unde dicitur corruptus mente, qui deficit a cognitione fidei.

Consequenter cum dicit : *Sed ultra*, ostendit quomodo arctantur, et primo ostendit eos esse impediendos : secundo docet modum impediendi, ibi : *Insipientia*. Sciendum est autem circa primum quod voluntas nocendi est homini a seipso sed potestas nocendi est a Deo permittente. Et Deus non permittit ut noceat quantum vult malus, sed imponit terminum. (*Job* 38.) *Et hic confringes tumentes fluctus tuos.* Sic et diabolus non læsit Job, nisi secundum quod permissus fuit a Deo. Sic Arrius non nocuit in ecclesia, nisi quantum Dominus permisit. (*Apoc.* 7.) dicit angelus : *Nolite nocere terræ et mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei in frontibus eorum, etc.* Et dicit : *Ultra*, sc., quam Deus permittit, *non proficient.* Modus impediendi est, ut tollatur eorum pallium et occultatio, quæ sunt tollenda, quia nocent. (*Job.* 41.) *Quis revelabit faciem indumenti ejus, etc.* Et ideo dicit : *Insipientia eorum manifesta erit*, Deo detegente, quando illuminabit abscondita tenebrarum, etc. ut dicitur (1 *Cor.* 4.) *Sicut et illorum*, sc. magorum Pharaonis, quæ fuit manifesta, qui non potuerunt facere signa.

Deinde cum dicit : *Tu autem, etc.* ostendit idoneitatem Timothei ad resistendum hujusmodi periculis. Et primo ostendit quod erat idoneus ex institutione Apostoli : secundo ex experientia scripturarum, ibi : *ab infantia.* Item primo ostendit quomodo erat instructus sufficienter ab apostolo : secundo quomodo universaliter instrui ab aliis poterat, ibi : *Omnis qui, etc.* Circa primum primo ostendit quomodo instructus erat verbo : secundo quomodo exemplo, ibi : *Propositum.* Sed sciendum est quod verbo aliquis instruitur dupliciter : uno modo de veritate agnoscenda : alio modo de justitia operanda. Quantum ad primum, dicit : *Tu autem assecutus es meam doctrinam*, id est, instructus es in fide catholica : ideo bene potes vitare eos. Quantum ad secundum dicit : *Meam institutionem.* Institutio est eruditio, quæ est de aliquibus agendis, quæ subduntur operationi humanæ. (*Philip.* 4.) *Ubi-*

que et in omnibus institutus sum. Item quomodo institutus erat exemplo. Et primo quantum ad bona agenda : secundo quantum ad mala toleranda, ibi : *Patientiam.* In bonis faciendis ponit duo. Primum est intentio recti finis. Et quantum ad hoc dicit: *Propositum*, quod est de fine. (*Sap.* 8.) *Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivandum.* Et ad hoc pervenitur per bona opera, quæ derivantur a tribus virtutibus, sc. fide, spe, et charitate. Et primo ponit fidem, cum dicit : *Fidem.* (*Hebr.* 11.) *Sine fide impossibile est placere Deo.* Secundo spem, cum dicit : *Longanimitatem*, quæ in longum expectat. (2 *Cor.* 6.) *In longanimitate.* Tertio charitatem, cum dicit : *Dilectionem.* (1 *Joan.* 3.) *Qui non diligit, manet in morte.* Deinde de malis tolerandis instruit eum quantum ad tria, ea reducendo ad memoriam. Primo patientiam quam habuit. Item mala quæ sustinuit. Item divinum auxilium quod sibi affuit. Primo ergo ponit *Patientiam*, quæ opus perfectum habet. (*Jac.* 1.) Et primo ponit patientiæ materiam, sc. *Persecutiones* in generali. (*Matth.* 10.) *Si vos persequuntur in una civitate, fugite in aliam.* Item in speciali, cum dicit : *Passiones* quas sc. passus est in proprio corpore. (2 *Cor.* 11.) *Ter virgis cæsus sum, etc.* Tertio in particulari, cum dicit: *Qualia facta sunt mihi Antiochiæ, etc.* (*Act.* 16 *et* 17.) *Judæi persecuti sunt eum præsente Timotheo.* Sed affuit divinum auxilium. Et ideo dicit : *Et ex omnibus eripuit me Dominus.* (2 *Cor.* 1.) *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*

LECTIO 3.

Commune sanctis est, persecutiones pati, malis autem proficere in malo, ideo Timotheum monet in his, quæ didicit perseverare, utilitatem scripturarum declarans.

12. *Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.*
13. *Mali autem homines et seductores proficient in pejus : errantes, et in errorem mittentes.*
14. *Tu vero permane in his quæ didicisti, et credita sunt tibi, sciens a quo didiceris.*
15. *Et quia ab infantia sacras litteras nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem quæ est in Christo Jesu.*
16. *Omnis enim scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia.*
17. *Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

Supra proposuit Timotheo in exemplum persecutiones quas ipse passus fuit. Et ne videatur ipse solus per hujusmodi passiones transisse, ostendit eas esse communes sanctis. Et primo docet quomodo sancti patiuntur hic defectus pœnales : secundo quomodo mali proficiunt per defectum culpæ, ibi : *Mali autem homines.* Dicit ergo : Persecutiones sustinui, et non solum ego, sed et omnes. Pie sumitur dupliciter, quandoque pro virtute pietatis ad cultum divinum, (*Supra eodem*) *Habentes speciem pietatis.* Quandoque pro misericordia ad proximum. (1 *Timoth.* 4.) *Pietas ad omnia valet. Omnes ergo qui pie volunt vivere in*

:., id est, volunt observare
gionis Christianæ. (*Tit.* 2.)
iuste, et pie vivamus in hoc
. Et tales *Persecutionem*
et maxime in primitiva
quando Christus undique
ur a Judæis et Gentibus.
an. 16.) *Venit hora ut om-*
rficit vos, arbitretur obse-
ræstare Deo. (*Matth.* 24.)
omnibus Gentibus propter
n. Item omnes qui pie vo-
id est, volunt per fidem
are misericordiam ad proxi-
sse est eos persecutionem
si non ab extra, tamen
quando sc. compatiuntur
proximorum, quorum cul-
alitates vident. (2 *Cor.* 11.)
alizatur, et ego non uror?
. 2.) *Habitans apud eos,*
in diem animam justam
ribus cruciabant. (*Ps.* 118.)
ricantes et tabescebant, etc.
alia persecutiones, quæ
nibus deesse non possunt,
mundi, et dæmonis : quia
r (*Gal.* 5.) *Caro concupis-*
s spiritum. (*Rom.* 7.) *Infelix*
quis me liberabit de corpore
us. (*Ps.* 30.) *Multæ tribu-*
storum.
cum dicit : *Mali autem ho-*
endit quod mali incidunt in
la, sc. culpæ. Dicit mali in
uantum peccatis inhærent.
.) *Malos male perdet, etc. -*
res, sc. in proximorum no-
, inquantum seorsum du-
via veritatis, quæ commu-
om. ult.) *Per dulces sermo-*
lictiones seducunt corda in-
. Sed isti non contenti ma-
cerunt, *Proficient in pejus.*
) *Qui sordidus est, sordes-*
Sed contra supra eodem,
ultra non proficient. Dicendum est, quod qui proficiunt in pejus, sunt permissi a Deo, vel hic quod proficiunt in pejus ex intentione malitiæ eorum, quæ semper est ad malum: sed secundum providentiam divinam prohibentur, ne possint implere quod cœperunt. Proficiunt autem in pejus mali in seipsis, inquantum errant circa veritatem. (*Matth.* 22.) *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei.* Item opere errant, et hoc modo omnes mali errant. (*Prov.* 14.) *Errant omnes qui operantur malum.* Item in proximis, quia seductores. Unde dicit : *In errorem mittentes*, suadendo, sc., quod possint per prosperitates venire ad regnum cœlorum, contra illud supra *Qui pie volunt, etc.* Et (*Is.* 3.) *Popule meus, qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt.*

Deinde cum dicit : *Tu vero*, monet eum, ut maneat in sua institutione. Et hortatur eum tripliciter, sc. ex parte doctoris, ex parte ipsius Timothei, et ex parte eorum quæ accepit. Dicit ergo : assecutus es meam doctrinam, etc., ut supra : ergo *Permane in his.* (*Eccl.* 10.) *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris.* (1 *Cor.* 15.) *Stabiles estote, et immobiles.* Dicit ergo : *Quæ didicisti, et credita sunt tibi*, quia quilibet Christianus dicit quæ fidei sunt : et hæc est doctrina salutaris. (*Joan.* 6.) *Omnis qui audivit a patre meo, et didicit, venit ad me, etc.* Sed specialiter documenta fidei sunt credita prælatis, inquantum debent aliis ea dispensare: (*Gal.* 2.) *Cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii.* Et quare oportet permanere? quia ego a magistro scientiæ habui, qui errare non potuit. (2 *Cor.* 13.) *In me loquitur Christus.* Et ideo in his firmiter per-

mane : Sciens a quo didiceris, quia a Paulo, qui non ab homine, neque per hominem didicit, etc. (*Gal.* 2.) Secundo ex propria conditione. Turpe enim est homini nutrito in bono a pueritia, in senectute deficere. (*Eccl.* 26.) *Qui transgreditur a justitia ad peccatum*, Deus paravit eum ad rumpheam. Timotheus autem sic fuit nutritus. (*Prov.* 22.) *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Unde dicit : *Et quia ab infantia sacras litteras nosti*, quæ sunt litteræ veteris testamenti, quas didicit ab infantia, quia filius mulieris Judææ. (*Act.* 6.) *Unde mater sua fecit eum erudiri in eis*, quod est contra Manichæum : quia Apostolus vetus testamentum hic nominat, sacras litteras, quæ non possunt intelligi de novo testamento, quia ab infantia sua non erat edoctus litteras novi testamenti. Tertio ex parte eorum quæ accepit, et est tertia ratio. Nam si aliquis habet aliquam scientiam in qua non est utilitas, deserit eam et transit ad aliam. Sed si scientia est valde utilis, stultum est eam dimittere. Et primo facit rationem ; secundo manifestat eam ibi : *Omnis scriptura.*

Dicit ergo : Dico quod accepisti litteras sacras, quæ non sunt contemnendæ, quia sunt utiles. (*Is.* 48.) *Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia.* Unde subdit, dicens : *Quæ te possunt instruere.* (*Joan.* 6.) *Domine, ad quem ibimus ? verba vitæ æternæ habes.* (*Joan.* 5.) *Scrutamini scripturas, in quibus putatis vitam æternam habere, illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* Et hæ litteræ te possunt instruere ad salutem : sed non nisi *Per fidem quæ in Christo Jesu.* (*Rom.* 10.) *Finis enim legis est Christus ad justitiam omni credenti.* (*Hebr.* 11.) *Sine fide enim impossibile est placere Deo.* Rationem autem manifest cens : *Omnis.* Ubi ostendit qu cræ litteræ sunt viæ ad salut tria ponit. Nam commendat scri ratione principii, ratione effect lis, et ratione ultimi fructus fectus. Si enim consideres eju cipium, habet privilegium sup nes : quia aliæ sunt traditæ pe nem humanam, sacra autem tura est divina : ideo dicit : *tura divinitus inspirata.* (2 *Non enim voluntate humana, al aliquando prophetia, sed Spirit to inspirati locuti sunt sancti mines.* (*Job.* 32.) *Inspiratio om tis dat intelligentiam.* Sed dicer modo non alia omnis scriptura tus inspiratur, cum secundu brosium, omne verum a quo dicatur, a Spiritu Sancto est? dum est quod Deus dupliciter operatur, sc. immediate, ut pr opus, sicut miracula. Aliquid n tibus causis inferioribus, u naturalia. (*Job.* 10.) *Manus tu mine, fecerunt me, etc.* Quæ fiunt operatione naturæ. Et sic mine instruit intellectum et im per sacras litteras, et mediate p scripturas. Effectus hujus sc est duplex, sc., quia docet co re veritatem, et suadet opera titiam. (*Joan.* 14.) *Paracletus Spiritus Sanctus docebit*, sc. cenda, et suggeret operanda. utilis est ad cognoscendam ve et utilis est ad dirigendum in tione.

Est enim ratio speculativa, etiam ratio practica. Et in sunt duo necessaria, sc. quo tatem cognoscat, et errorem Hoc enim opus, est opus sapie non mentiri, et mentientem r Quantum ad primum dicit : *L*

ad docendum, sc. veritatem. (*Ps.* 118.) *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me.* Quantum ad secundum subdit: *Ad arguendum.* (*Tit.* 1.) *Ut sis potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere.* Item quantum ad practicam sunt duo necessaria, sc. ut reducat a malo, et ad bonum inducat. (*Ps.* 33.) *Declina a malo, et fac bonum.* Quantum ad primum, dicit: *Ad corripiendum*, quod est corripere a malo. (*Matth.* 18.) *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.* (*Job.* 5.) *Beatus homo qui corripitur a Domino.* Quantum ad secundum, dicit: *Ad erudiendum in justitia.* Et hæc omnia sacra scriptura facit. (*Is.* 8.) *In manu forti erudivit me, etc.* Sic ergo quadruplex est effectus sacræ scripturæ, sc. docere veritatem, arguere falsitatem; quantum ad speculativam: eripere a malo, et inducere ad bonum; quantum ad practicam: ultimus ejus effectus est, ut perducat homines ad perfectum. Non enim qualitercumque bonum facit, sed perficit. (*Hebr.* 6.) *Ad perfectionem feramur.* Et ideo dicit: *Ut perfectus sit homo Dei*, quia non potest homo esse perfectus, nisi sit homo Dei. Perfectum enim est, cui nihil deest. Tunc ergo homo est perfectus, quando est instructus, id est, paratus, *Ad omne opus bonum*, non solum ad ea quæ sunt de necessitate salutis, sed etiam ad ea quæ sunt supererogationis. *Bonum autem facientes, non deficiamus.* (*Gal. ult.*)

CAPUT IV.

Contestatur Timotheum coram Deo, ut credito sibi evangelio toto nisu incumbat, nam malitiæ tempus instare prædicit, in quo veritas nubibus obvolvetur erroris.

1. *Testificor coram Deo et Domino Jesu Christo, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus.*
2. *Prædica verbum, insta opportune, importune argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*
3. *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.*
4. *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*
5. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.*

Præmissis periculis temporum novissimorum, et idoneitate Timothei ad resistendum, hic ostendit quomodo resistat. Et primo ponitur monitio: secundo ejus necessitas, ibi: *Erit enim.* Item primo ponitur ejus contestatio: secundo admonitio, ibi: *Prædica verbum.* In contestatione sunt duo consideranda, sc. coram quibus contestetur, et per quem. Contestatur autem coram duobus, sc. coram eo qui est nostra beatitudo, et coram eo qui nos in beatitudinem introducit. Beatitudo autem nostra Deus est. (*Ps.* 32.) *Beata gens cujus est Dominus Deus ejus.* Et ideo dicit: *Testificor coram Deo*, id est, testem invoco Deum quod hanc monitionem faciam. Hic enim testis non decipitur. (2 *Cor.* 1.) *Ego autem Deum testem in-*

voco in animam meam. — *Et Christo.* Cujus est introducere in beatitudinem. (*Rom.* 5.) *Per quem et accessum habemus per fidem in gratiam istam.* Vel aliter introducit quidem, quia *Ipse judicaturus est vivos et mortuos.* Et tunc vivos dicit illos, qui vivi reperientur in adventu ejus, qui morientur quidem, sc. quia in modico tempore resurgent, dicuntur vivi. (1 *Thes.* 4.) *Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventu Domini, non præveniemus eos qui dormierunt.* Vel vivos dicit bonos, sc., qui vivunt vita gratiæ, et mortuos, malos. (1 *Joan.* 3.) *Qui non diligit, manet in morte.* Et hos etiam judicat. (*Act.* 10.) *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Sed cum Christus sit Deus, quomodo utitur hic, hac copula coram Deo et Christo? Respondeo : Potest dici quod dicitur coram Deo, sc. patre et Christo, id est, filio. Pater enim est fons divinitatis.

Deinde cum dicit : *Et per adventum, etc.*, contestatur per duo desiderabilia sanctis. Primum est adventus Christi. (*Luc.* 12.) *Similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis.* (*Apoc. ult.*) *Veni, Domine Jesu.* Secundum est regnum ejus. (*Matth.* 6.) *Adveniat regnum tuum.* Regnat quidem secundum potestatem generalem super omnem creaturam. (*Matth. ult.*) *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra.* Sed et specialiter spiritualiter in sanctis regnat in præsenti per gratiam, et in futuro per gloriam. Qui sancti non sunt de hoc mundo. (*Joan.* 18.) *Regnum meum non est de hoc mundo.* Sed hoc regnum hic inchoatur, et in futuro consummabitur, quando omnia regna ei subjicientur et volentia, et nolentia. (*Ps.* 109.) *Donec ponam inimicos tuos, etc.*

Consequenter cum dicit : *P verbum*, ponitur monitio, et instet doctrinæ, quæ est duple ad omnes, quam ponit primo. aliquos, et hanc ponit secund *Argue.* Item primo monet eum neralem doctrinam exequenda cundo docet modum exequen cit ergo : *Prædica verbum*, sc. gelii. (*Marc. ult.*) *Euntes in m universum prædicate Evangeliu ni creaturæ.* In prædicatione d sc. denunciatio veritatis, et ins ad mores. Et hæc duo debet cator facere. (*Luc. ult.*) *Inci Moyse, et omnibus prophetis, pretabatur illis in omnibus s ris, etc.* Modus est instantia et nuatio. Unde dicit : *Insta opp importune.* (2 *Cor.* 1.) *Instant quotidiana, etc.* Sed dicit : *Imp* Contra. (*Eccl.* 10.) Ex ore fa probabitur parabola; non enim illa in tempore suo. Item. (*Pro Sermo opportunus optimus est.* dum est quod prædicator sec veritatem, semper debet pr opportune, sed secundum ex tionem falsani audientium, prædicare importune, quia dicator veritatis semper est bo portunus, et malis importunu per. (*Joan.* 8.) *Qui ex Deo est, Dei audit, propterea vos non a quia ex Deo non estis.* (*Ec Quam aspera est nimium sapi doctis hominibus.* Si homo eni let hanc servare opportunitate solum diceret his qui volunt prodesset tantum justis, sed quod aliquando etiam prædice ut convertantur. Et ad hoc addit *portune.* (*Is.* 58.) *Clama, ne ces*

Consequenter cum dicit : ponitur doctrina in speciali, primo ponit : secundo modun

In omni patientia. Instituens autem aliquem specialiter potest eum instituere. Vel de pertinentibus ad fidem : puta ut doceat veritatem, et removeat errorem. Et quantum ad hoc primum dicit : *Argue*, sc. errores. (*Tit.* 2.) *Argue cum omni imperio.* Vel de pertinentibus ad bonos mores, et ad hoc debet inducere aliquando bonum, et superiorem, et tunc debet placide et benigne monere. Unde dicit : *Obsecra.* (2 *Tim.* 4.) *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* (*Gal.* 6.) *Vos qui spiritales estis hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Et specialiter si non peccat ex malitia. Si autem instruat vel instituat malum, debet eum increpare. Ideo dicit : *Increpa.* (*Tit.* 1.) *Ob quam causam increpa illos dure, ut sani sint in fide.* (*Job.* 5.) *Increpationem Domini ne reprobes.* Sed quis modus ? *In omni patientia*, ne iratus appareas, et ex ira instruas, sed tranquille. (*Prov.* 19.) *Doctrina viri per patientiam noscitur.* (*Ps.* 91.) *Bene patientes erunt ut annuntient.* — *Et doctrina*, sc. de his, quæ ad fidem, et in his quæ ad mores. (*Jer.* 3.) *Pascent vos scientia et doctrina.*

Deinde cum dicit : *Erit enim*, ostendit necessitatem monitionis præmissæ. Est autem triplex necessitas prædictorum. Et prima ex parte audientium ; secunda ex parte Timothei, ibi : *Tu vero* ; tertia ex parte Apostoli, ibi : *Ego enim jam.* Circa primum duo facit : quia primo proponit necessitatem ; secundo exponit dictum suum, ibi : *Et a veritate.* Necessitas prima est auditorum perversitas in audiendo, ut utilia nolint audire, sed curiosa. Dicit ergo quantum ad primum : *Insta*, dum nolunt audire sanam doctrinam. Nam *Erit enim tempus cum sanam doctrinam, etc.*, quando erunt mali doctores. (*Act.* 20.) *Ego scio quoniam lupi rapaces intrabunt in vos post discessionem meam.* Unde dicit : *Non sustinebunt*, id est, erit eis odiosa vestra doctrina, sc. Christi. (*Prov.*) *Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis parvum quid, neque perversum.* Alia perversitas, quia volunt inordinate audire curiosa et noxia. (*Prov.* 1.) *Usquequo parvuli diligitis infantiam, et stulti ea, quæ sunt sibi noxia cupient, et imprudentes odibunt scientiam ?* Ideo dicit : *Sed ad sua desideria coacervabunt*, id est, multiplicabunt, etc. Contra quos dicitur (*Jac.* 3.) *Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam majus judicium sumitis.* Et est coacervatio, quando indigni et insufficientes multiplicantur, et magis coacervatio est, si fiant quatuor indigni, quam si centum boni : quia ut habetur (*Sap.* 6.) *Multitudo sapientium, sanitas est orbis terrarum.* (*Is.* 30.) *Loquimini nobis placentia.* Et hoc est secundum sua desideria, quia unus vult audire unum, alius alium, et sic quærunt diversos magistros. Et dicit : *Magistros prurientes auribus*, sc. auditores. Pruritum dicitur habere in pedibus, qui non vult quiescere. In auribus vero, qui semper audire vult nova, inaudita, et curiosa, et quandoque noxia. (*Act.* 17.) *Athenienses ad nihil aliud vacabant, nisi aut discere, aut audire aliquid novi.* Et ideo multiplicatur doctrina hæretica. (*Prov.* 19.) *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior, etc.*

Consequenter cum dicit : *Et a veritate*, exponit dictum : et primo ponit quod dixerat, quod sanam doctrinam non sustinent, cum dicit : *A veritate auditum avertent.* Sana doctrina est quando non habet admixtam falsitatem, ergo sanam doctrinam non sustinent,

dum veritatem nolunt audire. (*Os.* 4.) *Non est veritas, et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra.* (*Joan.* 8.) *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Secundo quod dixerat : *Coacervabunt, etc.*, exponit cum dicit : *Ad fabulas autem convertentur.* Fabula est composita ex miris in quibus deficit veritas. Et talia homines habentes in auribus pruritum , volunt audire. (1 *Tim.* 4.) *Ineptas et inanes fabulas devita.*

Deinde cum dicit : *Tu vero,* ponitur necessitas ex parte Timothei, cui erat officium commissum, et ideo necessarium erat quod prædicaret. Et primo monet eum ad sollicitudinem : secundo inducit eum ad laborem : tertio moderatur laborem. Dicit ergo : *Tu vero vigila,* quasi dicat : Isti sic faciunt, *Tu vero, etc.* (*Matth.* 24.) *Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.* (*Luc.* 2.) *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis supra gregem suum.* (*Rom.* 12.) *Qui præest in sollicitudine.* Sed quia sollicitudo sine labore, inanis est : ideo primo inducit ad universaliter laborandum : secundo determinat in quo est laborandum : tertio laborandi necessitatem. Dicit ergo : *Vigila,* sed sic, quod aliquid facias : et ideo *Labora.* (*Sap.* 3.) *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Et hoc, *In omnibus,* id est, i genere hominum. (*Is.* 32.) *Be seminatis super omnes aquas.* ult.) *Prædicate Evangelium omn turæ.* Unde mox determinat in laborandum, dicens : *Opus fac E listæ,* id est, evangeliza. Hoc e nobile opus : quia ad hoc Cl est missus. (*Luc.* 4.) *Aliis civi oportet me evangelizare , qui missus sum.* (*Is.* 41.) *Primus a dicet : Ecce adsum, et Jerusalem gelistam dabo.* Evangelista auter tur aliquando qui scripsit evang et sic sunt quatuor, quandoq prædicat ipsum, et sic dicitur (*Eph.* 4.) Necessitas autem huj boris, quia est *Ministerium tuu* commissum. Et ideo *Imple,* sc. cando. (*Col.* 4.) *Dicite Archipp ministerium quod accepisti in D ut illud impleas.* Ille autem officium evangelistæ, qui verbo cat, et opere implet. (*Act.* 1.) *Jesus facere et docere.*

Consequenter inducit ad moc tiam, dicens : *Sobrius esto,* vel s tate corporali, quæ decet prædicat Ebrietas enim est inimica sapi (*Eccl.* 2.) *Cogitavi abstrahere carnem meam.* Vel potius sob ponitur hic pro discretione. (*Act Verba sobrietatis, et veritatis el* (1 *Pet.* 5.) *Sobrii estote, etc.*

LECTIO 2.

Dissolutionem sui corporis imminere prædicit, dicens se de cœlesti cc securum.

6. *Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meæ instat.*

7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*

8. *In reliquo, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, justus judex. Non autem mihi, sed et his qui dil adventum ejus.*

Supra monuit eum, ut instaret trinæ, et hoc propter audiente propter ipsum Timotheum : hic i

cit tertiam necessitatem, sc. ex parte Apostoli, et est, quia in brevi erat subtrahendus de mundo. Et primo prænuntiat suam mortem imminere: secundo mandat quod visitet eum, ibi: *Festina*. Circa primum duo facit: primo designatur instantia mortis ejus: secundo securitas morientis, ibi: *Bonum certamen*. Circa primum duo facit: quia primo nuntiat passiones quas patiebatur: secundo prædicit mortem, quæ expectabatur, ibi: *Et tempus meæ*. Quantum ad primum, dicit: *Ego enim jam delibor*, quasi dicat: Statim ego delibor Sanctorum autem passio dicitur immolatio. (*Phil.* 2.) *Sed et si immolor super sacrificium, et obsequium fidei vestræ gaudeo.* (*Ps.* 115.) *Tibi sacrificabo hostiam laudis*, sc. pro te patiendo. Antiquitus in sacrificiis, quæ ex humidis offerebantur, quædam fiebant prægustationes: et hæ vocabantur delibationes. (*Rom.* 11.) *Quod si delibatio sancta est, et massa, etc.* Et ideo vocat passiones imminentes delibationes. Et quamvis jamdiu eas sim expertus, *Tempus tamen meæ resolutionis instat*. Est autem duplex resolutio, sc. animæ a corpore. (*Eccl. ult.*) *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat: et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Item est resolutio corporis in pulverem. (*Gen.* 3.) *Pulvis es, et in pulverem reverteris.*

Deinde cum dicit: *Bonum*, ostendit securitatem suæ mortis. Sed sciendum est, quod est differentia inter mortem justi, et peccatoris: quia ut dicitur (*Prov.* 11.) *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes.* Quia enim spem habet in istis rebus transitoriis, ideo spem non habet in æternis. Sed justus habet spem in æternis, et non in terrenis. Primo ergo ponit meritum suæ securitatis: secundo securitatem de præmio, ibi: *In reliquo*. Meritum hujus vitæ est in tribus, sc. in resistendo malis, in proficiendo in bonis, et in bene utendo Dei donis. Primum dicitur quoddam certamen. Unde hic dicit: *Bonum certamen certavi*. Sed certamen dicitur bonum, primo si sit pro bonis: puta si sit pro fide et justitia, sicut Apostoli. (*Judæ* 1.) *De communi vestra salute necesse habui scribere vobis, deprecans supercertari semel traditæ sanctæ fidei.* (*Eccl.* 4.) *Pro justitia agonizare pro anima tua, et usque ad mortem certa pro justitia.* Secundo propter modum certaminis, si sc. sollicite et legitime certetur. (*Supra* 2.) *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit.* (1 *Cor.* 9.) *Sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, etc.* Tertio propter difficultatem certaminis. (*Sap.* 10.) *Et certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Secundum quod est profectus in bonis dicitur cursus; unde sequitur: *Cursum consummavi.* (1 *Cor.* 9.) *Sic currite, ut comprehendatis.* Et dicitur cursus, profectus sanctorum, quia cum festinatione currunt, ut meliorantes consumment agitati stimulis charitatis. (*Hebr.* 4.) *Festinemus ergo ingredi in illam requiem.* (*Ps.* 118.) *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Sed adhuc certamen et cursus mortis restabat: ergo non consummaverat cursum, nec certaverat. Dicendum est quod sicut homo qui bene incipit et intendit finire, habet opus perfecte, sic et Apostolus: jam enim incœperat, et finire intendebat. Bonus usus donorum Dei est duplex, sc. conservatio fidei; et ideo dicit: *Fidem servavi*, quod facit qui utitur donis Dei ad gloriam Dei et salutem proximorum. (*Matth.* 24.) *Quis putas est fidelis servus et prudens quem constituit Dominus super familiam suam?* (1 *Tim.* 1.) *Fidelem me existimavit ponens in ministerio.*

Vel servavi in me virtutem fidei. (*Rom.* 14.) *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Propter quod (*Matth.* 10.) *Estote prudentes sicut serpentes,* id est, custodite fidem, tanquam caput et fundamentum virtutum.

Deinde cum dicit : *In reliquo,* ponitur spes de præmio, quod primo ponit: secundo ostendit datorem ejus, ibi: *Quam reddet.* Tertio ponit participes præmii, ibi: *Qui diligunt.* Dicit ergo : Ex quo pugnavi et cursum consummavi, nihil restat nisi quod coroner. Corona justitiæ dicitur quam Deus ex sua justitia reddet. Sed contra : quia vita æterna ex gratia datur. (*Rom.* 6.) *Gratia Dei vita æterna,* et (*cap.* 8.) *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, non ergo ex justitia.* Respondeo : dicendum est, quod est ibi : *Gratia,* quantum ad radicem merendi : justitia quantum ad actum, qui procedit ex voluntate : vel corona justitiæ est, quæ datur ex justitia, quia datur justis secundum opera justa. (*Is.* 3.) *Dicite justo, quoniam bene fructum adinventionum suarum comedet, etc.* Hæc corona duplex est, quædam principalis, quædam secundaria. Prima est præmium essentiale, quæ nihil est aliud quam gaudium de veritate. (*Is.* 28.) *In illo die erit Dominus exercituum corona gloriæ, et sertum exultationis residuo populi sui.* Deus est ergo corona nostra. Secunda est corona, quæ debetur specialibus operibus, et hæc est aureola, et una debetur martyribus. (*Supra* 2.) *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit,* et ad hoc est quod dicit: *Bonum certamen certavi.* Alia c virginibus. (*Sap.* 4.) *In per coronata triumphat incoinquin certaminum præmium vincens.* hoc est, *Cursum consummavi.* 14.) *Hi sequuntur agnum* Tertia est doctorum. (*Prov.* 4.) *capiti tuo augmenta gratiaru corona inclinata proteget te.* Et dicit : *Fidem servavi.* Et dicit : *sita,* id est, secundum æternam destinationem reservata. (*Sup Scio cui credidi, et certus sum potens est depositum meum serv illum diem.* Dator hujus est Deu dicit : *Quam reddet mihi Domin* per suam justitiam, *In illa di* hæc est corona gloriæ, et ha duplex, sc. animæ, et hæc re sanctis in illo die, sc. in morte hic dicit : *Tempus meæ resol instat.* (2 *Cor.* 5.) *Si terrestris nostra hujus habitationis dissol ædificationem habemus ex Deo* est corporis, et hæc reddetur die sc. judicii. (1 *Cor.* 15.) *Sem in ignobilitate, etc.* Participes sunt omnes sancti. Unde dicit *solum autem mihi,* sc. repo (*Apoc. ult.*) *Veni, Domine Jesu.* (*Ca Veniat dilectus meus in hortum ut comedat fructum pomorum su* Qui non diligunt Deum, nihil l ut diligant adventum ejus. (*Am Væ desiderantibus diem Domini corona solum charitati debetur.* 14.) *Qui diligit me, diligetur a meo, et ego diligam eum, et ma tabo ei meipsum.*

LECTIO 3.

Accersit Timotheum Paulus, quia brevi moriturus erat, et jam destituebatur ab omnibus, demum valere jubens, gratiam illi precatur.

8. *Festina ad me venire cito.*
9. *Demas enim me dereliquit diligens hoc seculum, et abiit Thessalonicam:*
10. *Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.*
11. *Lucas est mecum solus, Marcum assume et adduc tecum : est enim mihi utilis in ministerio.*
12. *Tychicum autem misi Ephesum.*
13. *Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum et libros, maxime autem membranas.*
14. *Alexander ærarius multa mala mihi ostendit : reddet illi Dominus secundum opera ejus.*
15. *Quem et tu devita. Valde enim restitit verbis nostris.*
16. *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur.*
17. *Dominus autem mihi astitit, et confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, et audiant omnes gentes, quia liberatus sum de ore leonis.*
18. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo : et salvum faciet in regnum suum cœleste : cui gloria in secula seculorum. Amen.*
19. *Saluta Priscam, et Aquilam, et Onesiphori domum.*
20. *Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Milethi.*
21. *Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia, et fratres omnes.*
22. *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. Amen.*

Rogat visitari, et primo vocat eum ad se : secundo significat suum statum, ibi: *Alexander*. Tertio concludit epistolarum salutationem, ibi: *Salutant te*. Item primo mandat ut veniat : secundo assignat ei socium, ibi: *Marcum assume*. Tertio ostendit quid deferat, ibi : *Penulam*. Circa primum duo facit, quia primo vocat eum : secundo causam vocationis assignat, ibi : *Demas*. Dicit ergo : Quia in brevi sum recessurus de mundo, *Festina ad me venire cito*. Et hoc ut invicem consolarentur, et ut juvarent eum in prædicatione evangelii, pro quo erat sollicitus in vinculis existens. (*Prov.* 18.) *Frater qui adjuvatur a fratre quasi civitas firma*. Causa vocationis est, quia societate debita erat destitutus. Et primo a quodam qui propter suam culpam recesserat : secundo, quia quosdam miserat ad prædicandum. Dicit ergo : *Demas enim, etc.*, id est, præposuit amorem hujus seculi, amori meo. (1 *Joan.* 1.) *Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Crescens* quidam discipulus, *abiit in Galatiam*, missus ab Apostolo. *Titus* etiam missus ab eo, *abiit in Dalmatiam*, ubi finaliter dicitur fuisse Episcopus. (*Job.* 38.) *Nunquid mittes fulgura, et ibunt?* —*Lucas est mecum solus*, hunc retinuit in prædicatione Evangelii in qua fuit gratiosus. (2 *Cor.* 8.) *Cujus laus est in evangelio per omnes Ecclesias.*

Deinde cum dicit : *Marcum assume, et adduc*, assignat ei socium : et circa hoc duo facit. Primo assignat ei socium: secundo hujus rationem. Hic Marcus alio nomine dicitur Joannes : et consobrinus Barnabæ. (*Act.* 15.) Dicitur quod Barnabas volebat assumere Mar-

cum, sed Paulus nolebat. Et propter hoc dissensio facta est inter eos, ita ut discederet ab eis. (*Col. ult.*) *Marcus consobrinus Barnabæ.* Ratio est, quia *Est mihi utilis, etc.*

Deinde cum dicit : *Penulam, etc.*, dicit quid portet. Carpus est sanctus quidam. Penula secundum Hieronym. erat volumen legis, quod habebant in charta per modum rotuli, et hoc vocat penulam, vel penula dicitur vestis aliqua, sed secundum Chrysost. erat vestis communis. Et quia Apostolus Romæ erat pauper, non accipiens ab aliis, ideo noluit ut sibi vestis portaretur. Haymo dicit, quod erat specialis vestis in signum nobilitatis. Unde (*Act.* 22.) *Paulus dixit se civem Romanum.* Pater enim Pauli serviebat Romanis in Tarso Ciliciæ : et ex hoc factus fuit civis Romanus : et Penula erat vestis in signum Consulis. Et forte pater suus erat ibi Consul. Vel penula dicitur mantica ubi erant libri, quod videtur, quia sequitur : *Et libros.* Sed quid Apostolo de libris pleno Spiritu Sancto? Item instabat sua resolutio. Respondeo: dicendum est, quod propter duo. Primo ut in legendo haberet solatium. (1 *Mach.* 12.) *Habentes solatio sanctos libros.* In libris enim est remedium contra tribulationes. Vel dicit hoc ne perderentur, sed remanerent fidelibus. Item quanto magis appropinquabat morti, tanto magis instabat servitio scripturarum, sicut de Ambrosio dicitur, quod usque ad ultimam ægritudinem non cessavit scribere : unde scribens illum. (*Ps.* 47.) *Magnus Dominus et laudabilis nimis, etc. mortuus est.— Maxime autem membranas.* Membranæ sunt chartæ non scriptæ, vel schedulæ, ubi scripserat epistolas, vel prædicationes suas.

Deinde cum dicit : *Alexander, etc.*, ostendit quæ apud ipsum fuerunt, et quæ apud ipsum sunt. Et pri parte hominum : secundo ex par ibi : *Dominus autem mihi astitit.* prima in duas : quia primo sig ei de quodam, qui ei adversa secundo de negligentia eorum qu non juvabant, ibi : *In prima mea sione, etc.* Item primo præmitti pam inique impugnantis : se ostendit pœnam ejus futuram *Reddet ei, etc.* Tertio ostendit qu sit etiam secundum Ecclesiam p dus, ibi : *Quem et tu devita.* V quod hic Alexander fuit artifex vel custos ærarii : et erat de l dixerunt legalia esse de nece salutis servanda. (1 *Tim.* 1.) *fidem naufragaverunt, ex quil Hymeneus et Alexander.* Et dicur dam, quod iste est de quo ((*Act.* 19.) Quia concitavit sedit in Apostolum, sed nomen dis quia ille Demetrius, hic Alexan Lucas : quia ille Ephesi, iste fuit. Et subjungit : *Multa mal ostendit.* Et nota quod non dicit, sed quod ostendit : quia impii ad justos animum ostendere possu non semper explent. (*Hier.* 1 *Bellabunt adversum te, et non p lebunt, quia ego tecum sum.* (J *Qui dissipat cogitationes malig ne possint adimplere manus quod cœperunt.* Qui apprehen pientes in astutia eorum, et cor pravorum dissipat.

Deinde cum dicit : *Reddet illi nus, etc.*, ponit pœnam ejus fu Sed nota quod non ponit verbun tivum, reddat, sed dicit reddet significatur pœnam esse paratam quod prævidebat Apostolus (pertinacia. (*Ps.* 61.) *Quia tu unicuique juxta opera sua.* Tam hoc quod reservatur ei pœna in rum, Ecclesia debet etiam eum

excommunicando. Unde subjungit : *Quem et tu devita*, sc. tanquam hæreticum. (*Tit.* 3.) *Hæreticum hominem post unam et secundam correctionem devita.* Cujus etiam dicti reddit rationem, dicens : *Valde enim restitit verbis nostris*, (*Act.* 7.) *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.*

Consequenter ponit negligentiam non juvantium eum : et primo reprehendit eorum culpam : secundo petit eis veniam, ibi : *Non illis imputetur.* Dicit ergo : *In prima mea, etc.* Gloss. dicit, quod Apost. sæpe contra Alexandrum prave docentem pugnavit, et in persona nullus ei affuit, sed hic non videtur esse sensus ejus, quia iste Alexander non erat tantus, quod Apostolus indigeret aliis ad disputandum cum eo : sed dicendum est, quod sicut dicitur (*Act.* 25.) *Paulus appellans missus est Romam* : et ideo oportuit quod præsentaretur Cæsari, ut discuteretur missionis suæ causa, et Judæi venerunt contra eum. Et hoc Apostolus appellat suam primam defensionem. In qua discipuli defuerunt ei, timentes ne a creduli Nerone punirentur. (*Eccl.* 51.) *Respiciens eram ad adjutorium hominum, et non erat.* (*Is.* 63.) *Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.* Sed posset dici, quod hoc fuit, quia a principio nullus scivit. Sed hoc est falsum, immo ex quadam pusillanimitate recesserunt. (*Ps.* 87.) *Elongasti a me amicum, et proximum, et notos meos a miseria.* (*Job.* 6.) *Fratres mei præterierunt me, etc.* Sed quia fecerunt ex infirmitate, orat pro eis, et non excommunicat dicens : *Non illis imputetur.* (*Luc.* 6.) *Orate pro calumniantibus vos.*

Deinde cum dicit : *Dominus autem*, ostendit quid agitur circa eum ex parte Dei, cujus auxilium primo ponit: secundo hujus effectum, ibi : *Et audiant.* Dicit ergo : Omnes me dereliquerunt, sed ubi deest homo, offert se Deus. (*Ps.* 24.) *Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.* Unde dicit : *Dominus mihi astitit*, sc. ad adjuvandum me. (*Jer.* 20.) *Dominus mecum est tanquam bellator fortis.* (*Ps.* 15.) *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.* Et quomodo? *Et confortavit me*, fortitudinem animi dando, ut non stupescerem coram Cæsare. (*Ezech.* 3.) *Manus Domini erat mecum, me confortans.* Et hoc, *Ut per me, etc.* Quod impletur quando ad plures diffunditur, et quando quod ore dicitur opere impletur. (*Act.* 9.) *Vas electionis, etc.*

Deinde cum dicit : *Et audiant*, ponitur effectus auxilii Divini. Et primo quantum ad præterita : secundo quantum ad futura : tertio agit gratias. Sed duplex est beneficium circa præterita, sc. liberationis a culpa et a pœna. Dicit ergo: Dominus mihi astitit, et ideo in illa vocatione liberatus fui, quia non fui condemnatus a Cæsare, sed permissum est mihi, quod irem quo vellem. Et ideo dicit : *Et audiant omnes gentes*, ut sc. alii secum confortentur ad veniendum. (*Ps.* 95.) *Annuntiate inter gentes gloriam ejus.* Et ut Judæorum insultatio deprimeretur. Et subdit: *Liberatus sum de ore leonis*, id est, de crudelitate Neronis. (*Prov.* 19.) *Sicut fremitus leonum, ita ira regis.* (*Prov.* 28.) *Leo rugiens, et ursus esuriens princeps impius super populum pauperem.* Secundo liberatus fuit a culpa. Unde dicit : *Liberavit me Dominus ab omni opere malo.* Aliqui vero liberantur a pœna, incidentes in culpam negationis a fide. (*Ps.* 17.) *Eripuit me de inimicis meis fortissimis, et ab his qui oderunt me, etc.* Et hoc per

Deum. (*Sap.* 8.) *Non possum esse continens nisi Deus det.* In futuro : *Salvum faciet.* (*Is.* 45.) *Israel salvatus est in Domino salute æterna.* Et dicit : *In regnum cœleste.* (*Luc.* 22.) *Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus regnum.*(*Matth.* 5.) *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Et ideo agit gratias, *Cui gloria.* (1 *Tim.* 1.) *Regi sæculorum.*

Deinde cum dicit : *Saluta, etc.*, injungit ei aliorum salutationem : secundo eum salutat ex parte aliorum : tertio ex parte sua. Item circa primum primo injungit aliorum salutationem : secundo determinat tempus veniendi. Dicit ergo : *Saluta Priscam*, sc mulier. *Et Aquilam*, viru quos præmittit, quia forte (*Et Onesiphori domum*. Sed eum, sed domum? quia fort erat : et ideo salutat fami forte quia erat cum eo Rom minans tempus veniendi : pr dit necessitatem : secundo p propositum. Necessitas e alios remanentes in aliis l propter turbationem mari ponit personas salutantes, t modo consueto, ne corrump scribit manu sua, *Gratia Amen.*

/I THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD TITUM,

PROLOGUS.

: *paterfamilias, etc.* (*Luc.* patremfamilias significatur :cclesiæ propter tria, quæ bere, sc. generationem ad litionem ad salutem, cus- securitatem. Primum qui- sicut est vita corporalis per ita spiritualis per fidem.) *Justus autem meus ex fide* sicut ad vitam carnalem quis, per emissionem semi- alis : ita ad vitam spiritua- fusionem seminis spiritua- :st verbum Dei. (*Matth.* 13 .) *Per evangelium ego vos* ı per eruditionem. (*Eccl.* 7.) *sunt, erudi illos.* (*Is.* 48.) *nus Deus tuus docens te* n per protectionem ad tute- :. 32.) *Circumduxit eum, et tc.* Cuilibet enim prælato ur cura subditorum. (3 *Reg.* 20.) *Custodi virum hunc, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus.* Et (*Hebr.* 13.) *Ipsi pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Sed ad hanc generationem requiritur scientia. (*Os.* 4.) *Quia tu scientiam repulisti, et ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et ideo dicit: *Si sciret.* Requiritur enim quod sciat. Item ultra eruditionem requiritur quod sit sollicitus. (*Rom.* 12.) *Qui præest in sollicitudine.* (*Luc.* 2.) *Pastores erant in regione eadem, vigilantes et custodientes vigilias noctis supra gregem suum.* Ad custodiam vero, fortitudo requiritur ad protegendum. (1 *Mach.* 3.) de Juda Machabæo. Induit se loricam sicut gigas, et succinxit se arma bellica sua in prælliis, et protegebat castra gladio suo. Et ideo dicitur : Et non sineret perfodi domum suam, id est, Ecclesiam. (1

Tim. 3.) *Ut scias quomodo oporteat te conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia Dei.* Hæc domus est Dei, sicut Domini, et prælati sicut famuli. (*Hebr.* 3.) *Moyses quidem erat fidelis in tota domo illius, tanquam famulus;* Christus vero tanquam filius in domo sua. Hæc perfoditur a fure, id est, hæretico. (*Abdiæ cap. unico*). *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses?* Qui dicitur fur, quia occulte venit, et graditur in tenebris. Unde fur a furno dicitur, quod est obscurus : sic isti per obscura dogmata. (*Prov.* 9.) *Aquæ furtivæ dulciores sunt, et panis absconditus suavior.* Item ex perversa intentione, quia intendunt occidere. (*Joan.* 10.) *Fur non venit nisi ut furetur, et mactet et perdat.* Item ex modo intrandi, quia non per ostium. (1 *Joan.* 4.) *Et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est, et hic est Anti-Christus, etc.* Sic ergo ex præmissis trahitur convenienter intentio hujus epistolæ, in qua Apostolus instruit Titum, quomodo regat Ecclesiam, ut patet in argumento.

CAPUT I.

Tito suo salutem dicens Paulus, præmittit sui Apostolatus officium a Deo accepisse per Jesum Christum, in Evangelii prædicatione manifestatum.

1. *Paulus servus Dei, Apostolus autem Jesu Christi secundum fidem electorum Dei, et agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est.*
2. *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia.*
3. *Manifestavit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptum salvatoris nostri Dei.*
4. *Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia, et pax a Deo patre, et Christo Jesu salvatore nostro.*

Hæc epistola dividitur in salutationem et epistolarem narrationem, ibi: *Hujus rei.* In prima primo ponitur persona salutans, quæ notificatur tripliciter, sc. ex nomine, cum dicit : *Paulus,* quod significat humilitatem. (1 *Cor.* 15.) *Ego sum minimus Apostolorum, etc.* Item ex conditione, cum dicit: *Servus.* (*Ps.* 115.) *Domine, ego servus tuus* Contra. (*Joan.* 15.) *Jam non dicam vos servos.* Respondeo: Sancti quandoque, dicuntur servi, quandoque non, sed filii. Duplex enim est servitus. Una est ex timore, quæ non competit filiationi Dei, sed condividitur contra eam. (*Rom.* 8.) *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, etc.* Alia ex amore, quæ consequitur filiationem Dei. Et ratio hujus distinctionis est, quia liber est, qui est causa sui, qui operatur quod vult : servus vero est, qui est causa alterius. Sed triplex est causa, quæ est principium operis, sc. finalis, formalis, et efficiens. Si ergo propter causam finalem, sic omnes sancti sunt servi Dei, quia propter Deum faciunt. (1 *Cor.* 10.) *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Et hoc est ex amore, a quo procedit, quod omnia operemur propter Deum. Si vero propter causam moventem, quæ est extrinseca, et compellit, sic est servitus timoris, et est malorum. Si propter causam formalem, sic est

habitus inclinans : et sic quidam sunt servi peccati, quidam servi justitiæ : qui secundum habitum inclinantur ad malum vel ad bonum. Item ex auctoritate, cum dicit : *Apostolus.* (*Luc.* 6.) *Elegit*, sc. super omnes fideles, duodecim ex ipsis, quos etiam Apostolos nominavit. (*Eph.* 4.) *Primum quidem Apostolos.* Et describitur primo ab auctore, cum dicit : *Jesu Christi*, quia ab ipso est electus. (*Gal.* 1.) *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, etc.* Item quia solum Christum annuntiabat. (2 *Cor.* 4.) *Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum, nos autem servos vestros per Jesum.* Item quia legatus Christi, cujus auctoritate utebatur. (2 *Cor.* 5.) *Pro Christo ergo legatione fungimur.* (*Eph.* 6.) *Legatione fungor in catena.* (2 *Cor.* 2.) *Si quid donavi propter vos in persona Christi.* Item secundo describitur ex idoneitate: nam Apostolus est annuntiator. (*Matth. ult.*) *Docete omnes gentes, etc.* Doctor autem debet habere fundamentum doctrinæ, et perfectionem.

Primum pertinet ad quemlibet : secundum vero pertinet ad prædicatores, et ad doctores. Et sicut in aliis scientiis sunt principia, sic in hac sunt articuli fidei, qui innotescunt cuilibet fideli secundum lumen infusum, et articuli sunt fundamenta fidei, quæ est substantia rerum sperandarum, etc. (*Hebr.* 11.) Et ideo dicit : *Secundum fidem electorum Dei.* Item requiritur perfectio doctrinæ. Unde dicit : *Et agnitionem veritatis.* Duplex autem habetur cognitio veritatis, sc. perfecta in patria, sc. quando videbimus facie ad faciem, et imperfecta per fidem, quam habent sancti. (*Joan.* 8.) *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos.* — Sed cujus veritatis? *In agnitionem ejus, quæ est secundum pietatem.* Religio enim et pietas secundum Tullium, sunt partes justitiæ : et differunt, quia religio est cultus Dei. Sed, quia Deus non solum est creator, sed etiam et pater, ideo non solum debemus ei cultum ut creatori, sed amorem et cultum sicut patri. Et ideo pietas, quandoque pro cultu Dei sumitur. (*Job.* 28.) *Ecce pietas ipsa est sapientia*, secundum aliam translationem, ubi nostra sic habet : *Ecce timor Domini ipsa est sapientia.* Tertio describitur ex fine, et primo ponit ipsum finem : secundo ejus dignitatem, ibi : *quam promisit.* Finis autem est spes vitæ æternæ, quia etsi Moyses possit dici Apostolus, quia a Domino missus. (*Exod.* 4.) Sed tamen non in spem vitæ æternæ, sed terræ Evei et Amorrhei : sed Paulus est Apostolus in spem vitæ æternæ. (*Joan.* 6.) *Hæc est voluntas patris mei qui misit me, ut omnis, qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo, etc.* (1 *Pet.* 1.) *Regeneravit nos in spem vivam.* (*Rom.* 5.) *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Promissio autem hæc est firma dupliciter : primo, ex parte promittentis. Unde dicit : *Qui non mentitur.* Deus enim veritas est, cujus contrarium est mendacium. (*Num.* 23.) *Non est Deus quasi homo ut mentiatur.* Secundo ex divino proposito dandi. Unde dicit : *Ante tempora secularia.* Seculum, secundum Philosophum, est mensura durationis uniuscujusque rei. Tempora ergo secularia, sunt tempora distincta secundum diversas successiones rerum, quasi dicat : antequam tempus successivum inciperet esse. Et quia incepit hoc tempus cum mundo, ideo fuit ante principium mundi. Alia littera habet, æterna, id est, antiqua. Sic enim aliquando acci-

pitur æternum, id est, antiquum. Vel æterna, non secundum veritatem, sed secundum imaginationem. Et ante ista promisit hoc, quia hæc sunt successiva. Sed promittere, est verbo nuntiare suam voluntatem de dando. Et Deus ab æterno protulit verbum suum in quo erat, ut sancti haberent vitam æternam. (*Eph.* 1.) *Elegit nos ante mundi constitutionem.* Confirmatur autem hæc spes ex manifestatione promissionis. Unde dicit : *Manifestavit autem suis temporibus, etc.* Et describitur hæc manifestatio tripliciter. Primo ex tempore, unde manifestavit quando verbum suum incarnari constituit. Unde dicit : *Temporibus suis,* id est, tempore congruo, quo homo esset convictus de superbia, per quam peccaverat. Et sic primo medicus convincit ægrotum, ut eum congruentius sanet. Homo enim superbiebat de scientia, sed convictus est de ignorantia ante tempus legis, ubi peccavit in idololatria, et vitiis contra naturam. Item de virtutibus, et de his convictus est tempore legis. (*Gal.* 4.) *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum, etc.* Item secundo describitur ex modo, quia per publicam prædicationem. (*Marc. ult.*) *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Unde dicit : *In prædicatione.* (1 *Cor.* 9.) *Dispensatio credita est mihi.* Item tertio ex auctore. Unde dicit : *Secundum præceptum, etc.* (*Matth.* 1.) *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (*Act.* 9.) *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum, etc.* Persona salutata ponitur, cum dicit : *Tito,* quem describit tripliciter. Primo ex nomine: secundo ex dilectione : tertio ex filiatione. Filius ergo est per dilectionem et fidem, quæ debet esse communis, ut idipsum dicant omnes. Et ideo dicit: *Communem fidem,* quæ etiam dicitur Catholica, id est, universalis. Unde dicitur (*Eph.* 4.) *Una fides, unus Dominus, etc.* Bona vero optata sunt *Gratia et pax.* Hæc sæpe conjungit, quia omnium spiritualium donorum principium est gratia : et pax, finis. (*Ps.* 147.) *Qui posuit fines tuos pacem.* — *A Deo, etc.*

LECTIO 2.

Monetur Titus, ut presbyteros per civitates constituat, quibusque moribus præditos esse deceat, ostendit.

5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui.*
6. *Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.*
7. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem : non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum.*
8. *Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem.*

Accedit ad narrationem : et sicut dictum est, intendit munire Ecclesiam contra hæreticos. Et primo monet Titum quod alios instruat ad resistendum hæreticis. Secundo docet, quomodo ipse eis resistat, ibi : *Tu autem loquere,* cap. 2. Item primo monet ut instituat Episcopos, qui hæreticis resistant : secundo ostendit necessitatem hujus commissionis, ibi : *Sunt enim multi.* Item primo ponit commissionem Tito factam de instituendo Episcopo. Secundo ostendit quales

debent esse Episcopi, ibi : *Si quis sine crimine*. Tertio manifestat quæ dixit, ibi : *Oportet enim*. Quia ergo Apostolus habuit universalem commissionem Ecclesiæ Gentium, et non poterat solus per se omnia exequi : ideo dicit : *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ*, in Creta sc. insula, ut loco Apostoli, Ecclesiæ Cretensi officium pastorale gerat. (*Prov.* 18.) *Frater qui juvatur a fratre, quasi civitas firma*. Sed quod dicit : *Ut quæ desunt corrigas*. Videtur quod deberet dicere, suppleas. Respondeo : dicendum est quod Gloss. sic supplet, ut omnia quæ sunt in malis, corrigas : et quæ desunt in bonis, addas. (1 *Thess.* 3.) *Impleamus ea, quæ desunt fidei vestræ*. Vel dicendum est, quod est quoddam peccatum omissionis, et quoddam transgressionis, et utrumque indiget correctione. In sanctis autem et perfectis, sicut Titus fuit, non abundaverunt transgressiones : et ideo non dicit, transgressiones corrigas, sed quæ desunt, id est, omissiones. *Et constituas presbyteros*, id est, Episcopos. Unde inferius dicit : *Oportet Episcopum*, etc. Et utitur indifferenter nomine Episcoporum et presbyterorum. Unde sumpsit occasionem hæreticus, qui ambivit Episcopatum, quem quia non poterat adipisci, divisit se ab aliis, et multa falsa docuit. Inter quæ dixit, quod episcopi in nullo differunt a sacerdotibus, quod est contra Dionysium in libr. de Ecclesiast. hierarch. Utitur ergo Apostolus eodem nomine in utroque per identitatem rei, quia presbyter dicitur senior. Item, quia pertinet ad superiores Episcopum constituere, licet eum canonici eligant. Et dicit: *Constituas*, non in villis, sed *Per civitates*: sicut enim in Republica reges sunt tantum in civitatibus, sic in spirituali regimine Episcopi. (1 *Pet.* 2.) *Regale sacerdotium*. Item debent seniores esse. (*Eccl.* 10.) *Væ tibi terra, cujus rex est puer*, et intellige senes non solum ætate, sed et moribus. (*Num.* 11.) *Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes sint populi ac magistri, etc.* Item secundum formam Ecclesiæ. Unde dicit : *Sicut ego disposui tibi*. (*Prov.* 13.) *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis*.

Deinde cum dicit : *Si quis sine crimine*, describit eos tripliciter, sc., quantum ad seipsos, quantum ex parte uxoris, et ex parte filiorum. De primo dicitur : *Sine crimine*. Si quis talis erit. (1 *Joan.* 1.) *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est*. Dicendum est, quod aliud est crimen, aliud est peccatum. Peccatum dicitur quodcunque, sive magnum, sive parvum, sive occultum. Crimen autem magnum et infame. (*Ps.* 14.) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, etc.* Et postea subdit: *Qui ingreditur sine macula, etc.* Non quod qui mortaliter peccat post baptismum, non possit eligi. Sed quod eligendus non sit infamis. Quo ad secundum, dicit : *Unius uxoris virum*. Quod Orientales sic exponunt, id est, quod non habeat simul duas uxores, sicut quorundam est consuetudo. Sed secundum hoc non esset necessarium, quod Apostolus hoc diceret : quia secundum leges Romanas, quibus Apostolus scribebat, etiam ante fidem, non licebat simul habere plures uxores. Item (1 *Tim.* 5.) dicit de vidua, quæ fuit unius viri uxor, et tamen nunquam licuit quod una plures viros simul posset habere. Et hoc modo vult istud etiam de vidua, sc. quod non habuerit nisi unum virum. Sed Hieron. dicit oportere, quod unam tantum uxorem post baptismum habuerit, et quod non est vis, si ante

baptismum alias habuisset. Sed August. et Ambros. dicunt quod per baptismum, delentur omnia crimina, sed quod per baptismum, matrimonium non deletur : ergo secundum hos dicendum est et rectius, quod unam tantum, et non plures licet habuisset ante vel post. Secundum quosdam autem ratio hujus est, quia signum esset incontinentiæ si plures habuisset. Sed hoc non est verum : quia nihil repugnaret si plures habuisset meretrices, quæ magis sunt incontinentes. Sed est alia ratio altior significato, sc., quia ipse est dispensator sacramentorum, et ideo nullus defectus sacramentorum debet esse in eo : sed sacramentum matrimonii est significativum conjunctionis Christi et Ecclesiæ, ergo ut signum respondeat signato : sicut Christus est unus, et Ecclesia una, sic et hi : quod quidem deficeret, si Episcopus plures uxores habuisset. In veteri autem lege, Patriarchæ significabant conjunctionem hanc, non ut conjunctam Christo, sed conjungendam, et cum Ecclesia erat futura ex multis. Ideo tunc non una, sed plures habebantur. Et ideo multitudo uxorum ipsorum hoc significabat. Quantum autem ad tertium, sc. ex parte filiorum, subjungit dicens : *Filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, etc.* Episcopus enim constituitur, ut superintendat : et qui constituitur ad aliquid, debet esse exercitatus in illo, alias non prudenter institueretur. Præsumitur autem esse bene exercitatus, si bene alios rexit. Episcopus autem constituitur ad tria. Primo ut fidem doceat. (*Matth. ult.*) *Docete omnes gentes, etc.* Et ideo dicit : *Fideles.* Secundo requiritur quod populum instruat ad virtutes. (*Eccl.* 7.) *Filii tibi sunt, erudi illos* : peccata autem lasciviæ magis abstrahunt a virtute. (*Eccl.*) *Lascivus et imprudens non servabunt tempus.* Et ideo dicit : *Non in accusatione luxuriæ.* (4 *Reg.*3.) *Hely condemnatur, quia filios de hoc non correxit.* Tertio oportet, quod pertinaces corrigat. Unde dicit : *Aut non subditos*, id est, non obedientes. (*Eccl.* 30.) *Equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet præceps.*

Deinde cum dicit : *Oportet enim*, exponit quod dixit ; et primo quod dixit : *Sine crimine.* Secundo sine quibus debet esse, ibi : *Non superbum.* Causa autem primi est, quia debet dispensare divina. (*Eccl.* 10.) *Secundum judicem populi, sic et ministri ejus.* (*Ps.* 100.) *Ambulans in via immaculata, hic, etc.*

Deinde cum dicit : *Non superbum*, ostendit a quibus debet esse immunis : et primo ostendit a quibus criminibus. Secundo quibus virtutibus luceat, ibi : *Hospitalem.* Peccatorum autem quædam sunt carnalia, quædam spiritualia. De primis non facit mentionem, quia omnino debent mundi esse ab eis. (*Eph.* 5.) *Fornicatio autem et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Sed tantum de spiritualibus, quæ sunt quinque, quorum duo non habent locum in prælatis, sc. invidia, quod est peccatum parvulorum. (*Job.* 5.) *Parvulum occidit invidia.* Prælatus autem est in summo. Item nec accidia, quia omnia ei ad votum succedunt, sed superbia, quia est in summo, et ira et cupiditas occasione temporalium, quorum ei dispensator. Quantum ad primum dicit : *Non superbum.* (*Ps.* 100.) *Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc non edebam.* (*Eccl.* 32.) *Rectorem te posuerunt, noli extolli, etc.* Quantum ad secundum : primo excludit iram, cum dicit : *Non iracundum.*

Secundo incendium iræ, quod est vinum, dicens: *Non vinolentum.* (*Prov.* 23.) *Cui suffossio oculorum, nonne his qui commorantur in vino, etc.* Tertio sequelam iræ, quod est percussio. Ideo dicit: *Non percussorem,* id est, non crudelem. (*Is.* 50.) *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus, etc.* Vel, non percussorem, id est, non percutientem conscientias aliorum pravis moribus. (1 *Cor.* 8.) *Et percutientem conscientiam eorum infirmam.* Quantum ad tertium, dicit: *Non turpis lucri cupidum.* (1 *Tim.* 3.) *Non turpe lucrum sectantes* (*Sap.* 15.) *Sed æstimaverunt lusum esse vitam nostram, et conversationem vitæ compositam ad lucrum, et oportere undecunque etiam ex malo acquirere* Deinde ponit bona, quæ debet habere. Et primo, quæ pertinent ad conversationem vitæ. Secundo, quæ ad veritatem doctrinæ, ibi: *Amplectentem.* Et patent omnia.

LECTIO 3.

Qualis in doctrina Pontifex esse debet ostendit, pseudo detegens corruptam mentem, qui turpi lucro ducti, dogmata periculosa disseminant.

9. *Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana: et eos qui contradicunt arguere.*
10. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores, maxime qui de circumcisione sunt.*
11. *Quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.*
12. *Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.*
13. *Testimonium hoc verum est.*

Supra docuit qualem oportet esse episcopum in vita, hic ostendit qualem oportet esse in doctrina. Et primo ostendit quod ad ipsum requiritur diligentia studii. Secundo ponit materiam studii. Tertio ejus utilitatem. Quantum ad primum, dicit: *Amplectentem.* Aliquid enim amplectens, illud diligenter constringit, et amplexus ex dilectione fit. Oportet enim eum scientiæ inhærere cum amplexu, id est firma adhæsione animi et cordis dilectione. (*Sap.* 9.) *Præoccupat eos, qui se concupiscunt.* (*Prov.* 4.) *Arripe illam et exaltabit te, glorificaberis ab ea, cum eam fueris amplexatus.* Materia studii non debet esse fabulæ, nec temporalia, sed sermo fidelis, id est, verus. (*Ps.* 144.) *Fidelis dominus, etc.* Vel sermo fidelis, id est, fidei, in qua oportet episcopum instrui. Sed aliqui student in eis dupliciter, ut sc. addiscant solum et operentur. Sed hoc non sufficit episcopo, sed oportet ut et alios instruat. Et ideo dicit: *Quæ secundum doctrinam est.* (1 *Tim.* 4.) dicitur: *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed esto exemplum fidelibus in verbo, in conversatione.* Utilitas, est facultas exequendi officium suum. Officium autem prælati est, sicut pastoris. (*Joan. ult.*) *Pasce oves meas.* Pastor vero duo habet facere, sc. pascere gregem. (1 *Pet.* 5.) *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Item arcere lupum. Sic et episcopus pascere debet per doctrinam veram. (*Jer.* 3.) *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et*

pascent vos scientia et doctrina. Et ideo dicit: *Ut sit potens exhortari in doctrina.* Non dicit, ut exhortetur, sed ut potens sit exhortari. Quod est, quando habet in promptu exhortationes quando est necesse exequi. Quod figuratur (*Exod.* 25.) *Per vectes in circulis arcæ*, ut arca sc. posset portari. (*Luc. ult.*) *Potens in opere et sermone.* Et dicit: *Sana*, id est, absque corruptione falsitatis. (*Infra* 2.) *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam.* (1 *Thess.* 2.) *Exhortatio nostra non fuit de errore, neque de immunditia, etc.* Item ut custodiant contra hæreticos. Et ideo dicit: *Et eos qui contradicunt arguere*, id est, convincere. Et hoc per studium sacræ scripturæ. (2 *Tim.* 3.) *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum.* (*Job.* 6.) *Nec contradicam sermonibus sanctis.* Et hæc duo secundum Philosophum pertinent ad opus sapientis, sc. non mentiri de quibus novit, quantum ad primum: et mentientem manifestare posse, quantum ad secundum.

Consequenter cum dicit: *Sunt enim multi*, ponit necessitatem dictorum. Et primo ex parte falsorum doctorum. Secundo ex parte malorum auditorum, ibi: *Dixit quidam.* Circa primum duo facit, quia primo describit conditionem falsorum doctorum. Secundo perversitatem studii ipsorum, ibi: *Qui universas.* Item primo ostendit eorum conditionem. Secundo docet remedium contra eos, ibi: *Quos oportet.* Conditionem ostendit quadrupliciter. Et primo ex numero, cum dicit: *Multi.* (*Eccl.* 1.) *Stultorum infinitus est numerus.* Secundo ex vitio inobedientiæ, cum dicit: *Etiam inobedientes*, quantum ad Deum et suos superiores. (*Rom.* 1.) *Parentibus non obedientes.* (1 *Reg.* 15.) *Peccatum inobedientiæ, sicut idololatria dicitur esse.* Tei vaniloquio, cum dicit: *Vanilog* quo ad se. (*Ps.* 93.) *Domin cogitationes hominum, quoniam sunt.* (*Sap.* 13.) *Vani sunt ho in quibus non subest scientia* præcipue vani sunt hæretici subjungit dicens: *Seductores,* ad inferiores. (2 *Tim.* 3.) *Mali nes et seductores, etc.* Quarto e cum dicit: *Maxime qui de cir sione*, qui cogebant homines jud (*Phil.* 3.) *Videte canes, videte operarios, videte concisionem.* quos ponit remedium. Non enin tolerandi, quia corrumperetur p et imputaretur pastori. (*Ezech Non ascendistis ex adverso, neq posuistis murum pro domo Isra* (2 *Tim.* 4.) *Argue, obsecra, inc omni patientia et doctrina.* E dicit: *Quos oportet redargui.*

Deinde cum dicit: *Qui univ etc.*, describit horum studium: mo describit ex damno quod inf Secundo ex falso quod docent. ex lucro quod concupiscunt. Da est, quia *Universas domos subv* Doctrina enim catholica public ponitur in ecclesia, sed hæretici ter: et ideo quærunt latibula. (*P Aquæ furtivæ dulciores sunt, et absconditus suavior.* Et ideo ci eunt per domos, ut seducant cipue mulieres. (2 *Tim.* 3.) *E sunt, qui penetrant domos et ca ducunt mulierculas oneratas pe — Docentes quæ non oportet,* vana et inutilia: nec quærunt l spirituale, sed temporale. Et ide dit: *Turpis lucri gratia*, sc. temp vel propriæ gloriæ. (*Sap.* 15. *æstimaverunt lusum esse vitam no et conversationem vitæ composit lucrum, et oportere undecunque ex malo acquirere.*

Deinde cum dicit : *Dixit quidam*, describit auditores, quia isti erant Cretenses, et ad hos refert hoc opus. Et primo ostendit conditionem. Secundo dat remedium, ibi : *Quam ob causam*. Circa primum, primo describit conditionem per testimonium. Secundo confirmat. Dicit ergo : Tales sunt doctores, sed et auditores sunt similiter seducibiles juxta testimonium cujusdam poetæ eorum, sc. Epimenidis, quem hic Paulus dicit eorum prophetam. Ubi nota quod propheta aliquis dicitur, qui a Deo illuminatur secundum intellectum, ad cognoscendum aliqua supra communem cognitionem. (*Num.* 12.) *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Item qui exponit prophetias eodem spiritu, et eodem modo quo sunt traditæ. Item qui profert aliquid propheticum. Unde potest proferri aliquid propheticum ex quodam interiori instinctu, etiam præter suum intellectum. (*Joan.* 11.) *Caiphas, cum esset pontifex, prophetavit.* Non enim prophetavit secundum suam intentionem, qui dicebat expedire eum mori, intelligens sic, ne seduceret populum. Nihilominus tamen, fuit motus ad id dicendum per spiritum. Et hic modus prophetandi est apud illos, qui accipiunt primum verbum aliquorum pro (1) homine, quod etiam fit a dæmonibus. Et dicit : *Proprius*, quia proprie descripsit eorum conditiones.

Deinde cum dicit ; *Cretenses*, proponit testimonium, et notat eos de tribus, sc. de corruptione rationalis, cum dicit *Semper mendaces*. (*Ps.* 54.) *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Item de corruptione irascibilis, cum dicit : *Malæ bestiæ*, id est, crudeles : bestiæ dicuntur, quasi vastiæ, quia crudeles sunt. (*Prov.* 28.) *Leo rugiens, et ursus esuriens, princeps impius super populum pauperem.* Et dicit : *Malæ*, quia secundum Philosophum in politicis, homo quando secundum rationem operatur, est optimum animalium : sed quando declinat ad malitiam, est pessimum : quia si declinat propter crudelitatem, nulla bestia ita est crudelis. Unde dicit quod decies millies est pejor malus homo quam mala bestia. Item de corruptione concupiscibilis, cum dicit : *Ventres pigri*, id est, pigritiam habentes ex ventre ; erant enim gulosi, et tales quærunt quietem. (*Luc.* 12.) *Anima habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.* Confirmat autem testimonium, cum dicit : *Testimonium, etc.* Gloss. Per hoc intelligimus quod doctor sacræ scripturæ accipit testimonium veritatis, ubicunque invenerit. Unde Apost. in pluribus locis recitat dicta Gentilium, sicut in (1 *Cor.* 15.) *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Item (*Act.* 17.) *In ipso vivimus, movemur et sumus.* Nec propter hoc approbatur tota eorum doctrina, sed eligitur bonum, quia verum a quocunque dicatur, est a Spiritu Sancto, et respuitur malum. Unde dicitur (*Deut.* 21.) in figura hujus, quod si quis viderit puellam in numero captivorum, debet præcidere ungues et capillos, id est, superfluitates.

(1) Hic, ut vides, et in cæteris jamdiu impressis codicibus legitur pro homine cum h quod omnino mihi videtur improprium, alibi legitur pro omni eo, et alibi pro omnino. Ego vero credo legendum, pro omine, absque h. Volui tamen hæc minima adnotare, ne hujusmodi mendis, tota hæc scateret impressio. —Non est malum accipere dicta gentilium pro confirmatione veritatis.

LECTIO 4.

Vult reprehendi Cretenses, ut resipiscant, ac ostendit quibus mundi, qu immundi sint cibi legales.

13. *Quam ob causam increpa illos dure, ut sani sint in fide.*
14. *Non intendentes Judaicis fabulis, et mandatis hominum aversantium se a veritate.*
15. *Omnia munda mundis : coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum et mens et conscientia.*
16. *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.*

Posita conditione Cretensis populi, hic ponit remedium ; et primo ponit remedium reprehensionis ; secundo assignat dictorum rationem, ibi : *Omnia munda.* Circa primum tria facit: quia primo hortatur Titum ad reprehendendum eos : secundo reprehensionis finem ostendit, ibi : *Ut sani.* Tertio docet debitum modum perveniendi ad finem, ibi : *Non intendentes.* Dicit ergo:Cretenses sunt malæ bestiæ, quibus sc. debetur flagellum, et castigatio. Et ideo : *Increpa illos dure.* (*Prov.* 6.) *Via vitæ, increpatio.* (*Ps.*67.) *Increpa feras arundinis.* Sed contra (2 *Tim.* 4.) *In omni patientia.* Respondeo : duplex est ratio exhortationis hujus. Una ex parte eorum qui reprehenduntur. Cretenses enim duri et pertinaces erant, et ideo dure eos reprehendi jubet, non autem Ephesii, quorum archiepiscopus erat Timotheus. Alia ex parte reprehendentium, quia et Titus fuit lenis et mansuetus : et ideo inducitur quasi ad contrarium, sed Timotheus erat rigidus, inducitur ad patientiam.

Deinde cum dicit : *Ut sani fide,* tangit finem reprehensioni homo est sanus, in quo non e ruptio. Et sic sanus est in fide, nullo habet eam corruptam. autem fides vitiabatur per hæ (2 *Cor.* 11.) *Timeo ne sicut Evam seduxit astutia sua, ita c pantur sensus vestri, et excid simplicitate, quæ est in Christ* (1 *Tim.* 6.) *Si quis autem alite et non acquiescit sanis serm Domini nostri Jesu Christi, et* dus perveniendi ad sanitatem vitent errores Judæorum. Unde *Non intendentes Judaicis fabu* lege enim erant duplicia docu fidei, sc. quædam circa credend quædam mandata religionis, qua servanda circa cultum Dei. Et vocat fabulas. Secunda, mandata num, et non Dei. Ex quo videtu condemnet vetus testamentun dicunt Manichæi. Sed quod fabulis, potest referri ad eorum tiones, præter doctrinam legis sunt fabulosa, ut Thalmuth. (1 *T Ne intenderent fabulis et gene interminatis.* Vel ipsa doctrina, fuit olim veritas, nunc secundum ipsi intelligunt, sunt fabulæ, illud (*Is.* 7.) *Virgo concipiet* fuit veritas : sed nunc quia ip cunt adhuc hoc esse implendum fabulosum. Item mandata hom possunt intelligi, non quæ sunt i

Moysi, sed traditiones seniorum. (*Matth.* 15.) Sed nunquid mandatis hominum non est obediendum? Respondeo quod sic: quandiu non avertunt a veritate Dei. Et ideo subdit: *Aversantium se a veritate.* (2 *Tim.* 4.) *A veritate quidem auditum avertent, etc.* Simile habetur (*Matth.* 15.) *Sine causa colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum.* Simile dicitur (*Marc.* 7.) Vel dicendum est quod mandata, quæ sunt in lege Dei, sunt facta mandata hominum. Quando enim servantur in signum futuræ veritatis, sunt mandata Dei: sed quando volunt ea servare postquam corpus nostrum mortuum est legi, sunt mandata hominum.

Deinde cum dicit: *Omnia munda*, in speciali ostendit dictorum rationem, sc. quomodo avertunt se a veritate, et quomodo discunt fabulas, et mandata hominum: quod est præcipue de discretione ciborum secundum legem, quam pseudo quidam dicebant esse servandam. Et ideo primo ostendit quomodo hi cibi habent se ad bonos: secundo quomodo ad malos, ibi: *Coinquinatis autem.* Dicit ergo: Non intendentes Judaicis fabulis, de cibis: quia *Omnia*, sc. cibaria, *Sunt munda mundis.* Sed infert: Ergo adulterium est mundum mundis. Respondeo, dicendum est quod non: quia ex hoc ipso quod adulterium est, immundat. Sed sunt munda mundis illa, quæ de se non immundant. Ad hæc. (*Matth.* 15.) *Ea quæ intrant in os, non coinquinant hominem*: ergo omne quod non intrat in os mundum est. Sed duplex est objectio. Unde quod (*Lev.* 11.) dicitur, quod quando aliquod animal non ruminat, vel non scindit ungulam, est immundum. Respondeo secundum August. contra Faustum: Aliquod est immundum, vel secundum rei naturam vel secundum significationem: puta si hoc nomen, stultus, secundum se sumatur, inquantum est vox quædam, sic non est immundum, sed bonum. Si vero secundum significationem, quia significat defectum sapientiæ, et sic habet immunditiam. Actus autem illius populi erant actus prophetici. Unde porcus secundum quod res quædam, non est immundus, sed secundum quod significat hominem voluptatibus se involventem. Sed nunc veritate veniente cessant, et utuntur cibis homines secundum suam naturam. Alia quæstio est quod (*Act.* 15.) Mandaverunt apostoli, quod abstinerent se a sanguine et suffocato: ergo videtur quod non sit licitum hoc comedere: non ergo omnia munda mundis. Respondeo: Aliqui credunt quod illud mandatum intelligatur ad litteram, et quod obligat usque modo, ut apud Græcos, et etiam aliquando apud Latinos. Aliqui autem dicunt, quod non intelligitur secundum litteram, sed secundum mysterium, ut per sanguinem intelligatur homicidium, et a suffocato, id est, oppressione pauperum. Et hoc bonum est, sed non est tota ratio præcepti: et ideo dico, quod ad litteram est præceptum, et tamen non obligamur. Quædam enim prohibentur quia mala sunt, et hæc simpliciter sunt vitanda. Aliqua vero, quæ non sunt mala simpliciter, sed pro tempore, et hæc sunt servanda existente causa. Et hæc Apostoli prohibuerunt, non quia mala secundum se, quia (*Matth.* 15.) dicit Dominus contrarium. Sed ratio erat, quia conversi erant quidam ex Judæis, quidam ex Gentibus: et ideo oportebat ad hoc quod unus populus ex eis fieret, quod uni condescenderet alius, ut Judæis, quibus abominabile erat comedere sanguinem et suffocatum,

condescenderetur. Et ideo ad servandam pacem, instituerunt apostoli hoc esse servandum pro tempore illo.

Deinde cum dicit : *Coinquinatis*, ostendit quomodo se habent ad malos: et circa hoc tria facit : quia primo ostendit hoc : secundo assignat causam, ibi : *Sed inquinatæ*. Tertio manifestat per signum, ibi : *Confitentur se nosse Deum*. Dicit ergo : Cibi isti mundi sunt mundis, sed immundi coinquinatis, id est his qui habent conscientiam coinquinatam. (*Eccl.* 13.) *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* — *Et infidelibus*, id est, qui habent malam fidem. (*Is.* 21.) *Qui incredulus est, infideliter agit.* Sed nunquid facit peccator et infidelis immundam eleemosynam? Dicendum est quod Apostolus non ponit affirmativam, sed negativam. Unde non dicit, omnia, sed nihil mundum eis, quod est verum : quia nihil eis perfecte mundum est, quia nihil est mundum in actibus, nisi in finem debitum ordinatum sit. Isti autem sunt extra finem. Sed nunquid aliquid est eis mundum? sic. Sed contra : quia omne quod non est ex fide, peccatum est. Dicendum est, quod malum nunquam corrumpit totum bonum. Impossibile enim est quod in peccatore quolibet sit aliquod bonum, sc. naturæ, etiam in dæmonibus : quando ergo peccator facit aliquod bonum secundum quod est peccator et infidelis, totum est peccatum ex radice. Sed si quid facit ex principio alicujus boni quod habet ut fidei informis, vel naturæ, non est immundum. Et ideo signanter dicit : Coinquinatis et infidelibus, id est, inquantum sunt hujusmodi. Comedebant enim contra conscientiam, et errabant in fide. Et ideo quod de natura sua est mundum, fecerunt sibi immundum. Cujus causa est, quia causa actuum eorum est immunda, sc. voluntas et intellectus, quæ sunt in eis depravata. Unde dicit : Sed inquinatæ sunt eorum mentes, sc. per infidelitatem, et conscientia, sc. per peccatum. (*Bar.* 3.) *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es, inveterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, etc.*

Deinde cum dicit : *Confitentur, etc.*, ostendit fidem per signum. Si enim aliquis dicat quod eorum dicta sunt vera, immo quod habent fidem unius Dei et confitentur eum, hoc excludit. Et primo ostendit bonum quod erat in eis, sc. quod *Confitentur*, sc. labiis exterioribus, *Se nosse Deum*. (*Is.* 29.) *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* (*Jer.* 12.) *Prope es tu ori eorum.* Secundo ostendit defectum interiorem : et primo quantum ad præsentia : secundo quantum ad futura, ibi : *Incredibiles*. Quo ad præsentia, quia *Negant eum factis*. Qui enim peccat inquantum est de se negat eum factis : quia qui confitetur Deum, confitetur et ejus potestatem, sc. quod est ei obediendum. Et ideo si non obedit peccando, negat factis, confitetur ore. Sed dicis, quicumque negat Deum, est infidelis : peccatores negant Deum factis, ergo peccatores sunt infideles. Respondeo: sicut habens scientiam in universali, potest errare in particulari : ita habens fidem in universali, in particulari tamen agibili corrumpitur, propter corruptionem affectus. (1 *Tim.* 5.) *Fidem negavit, et est infideli deterior.* Quomodo autem quo ad futura deficiunt? Certe, quia non solum negant, sed sunt indispositi ad redeundum ad Deum. Sunt enim tria per quæ homo redit ad Deum, sc. Dei gratia. (*Rom.* 5.) *Justificati gratia ipsius.* Secundum est fides. (*Act.* 15.) *Purificans fide corda eorum.* Tertium, exercitium boni operis.

(*Rom.* 2.) *Factores legis justificabuntur.* Hæc tria excludit ab ipsis : primo gratiam, ibi : *Cum sint abominati,* id est, non accepti ad gratiam. Secundo fidem, cum dicit : *Incredibiles,* id est, non apti ad credendum. (*Ezech.* 2.) *Increduli et subversores sunt tecum.* Tertio tertium, quia ad omne opus bonum reprobi, id est, reprobandi. (*Jer.* 6.) *Argentum reprobum vocate eos.*

CAPUT II.

Instruitur Titus, ut sanam doctrinam doceat, quibusque moribus senes, tum mares, tum feminas liberas imbuat.

1. *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam.*
2. *Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia.*
3. *Anus similiter, in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino servientes: bene docentes.*
4. *Ut prudentiam doceant adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant.*
5. *Prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, ut non blasphemetur verbum Dei.*
6. *Juvenes similiter hortare ut sobrii sint.*

Superius Apostolus instruxit Titum quales ministros instituat ad arcendum hæreticos, hic docet quid ipse circa eos faciat. Et primo proponit hoc in generali, secundo distinguit per partes, ibi : *Senes.* Dicit ergo : Ita dixi quod oportet episcopos constituere ; sed ne credas quod tu sis propter hoc alienus a cura, imo major debet esse tibi sollicitudo ad instruendum. Ideo : *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam,* sc. per quæ fides incorrupta ædificatur. (*Supra* 1.) *Ut sis potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt, arguere.*

Deinde ostendit idem per partes : et primo ponitur doctrina sana contra perversitatem vitæ : secundo contra hæreticos et errores, ibi : *Stultas autem quæstiones.* Circa primum duo facit : quia primo instruit singulas conditiones hominum. Secundo generaliter omnes, 3 cap., ibi : *Admone illos.* Iterum prima in duas, quia primo ostendit quomodo instruat liberos. Secundo quomodo instruat servos, ibi : *Servos.* Item primo ostendit quomodo instruat liberos verbo ; secundo exemplo, ibi : *In omnibus teipsum.* Circa primum duo facit quia primo ostendit quomodo instruat senes : secundo quomodo doceat juvenes, ibi : *Adolescentulas.* Item prima in duas, quia primo ostendit quomodo instruat senes mares, secundo quomodo anus feminas, ibi : *Anus.* Sciendum est autem, quod quædam bona sunt ad quæ senectus disponit, quæ primo ponit : secundo quædam bona quibus senectus contrariatur : et hæc secundo ponit, ibi : *Sani in fide.* Inter bona vero ad quæ senectus disponit. Unum est contemptus delectationum. Aliud est perfectio sapientiæ et prudentiæ. Disponit quidem senectus ad contemptum delectationum. Juvenum enim corpora fervent naturali calore, ex quo concitatur juventus ad delectationes

corporales, quæ præcipue consistunt in cibis et potibus, et venereis. Sed ad vitandum hæc disponit senectus. Senes enim sunt mortificati. (2 *Reg.* 19.) *Nunquid vigent sensus mei ad discernendum suave vel amare?* Et ideo dicit : *Ut sobrii sint*, quantum ad cibos et potus. *Et pudici*, quantum ad venerea. (*Gen.* 18.) Postquam consenui et Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Sed si senectus ad hoc disponit, quare hoc monet? Respondeo : aliquando contingit ex magna perversitate quod senex reducitur ad puerilia peccata. (*Is.* 65.) *Puer centum annorum morietur : et peccator centum annorum maledictus erit.* Et duplex est ratio quare hoc contingit. Aliter enim ad hoc movetur senex, aliter juvenis. Juvenis enim incitatur ad hæc ex instinctu passionis, sed senex ex electione, propter duo. Nullus enim vult esse sine delectationibus, et tanto plus appetit eas, quanto majores molestias sentit. Senex autem patitur multa incommoda et defectus naturæ. Et ideo quando non habet spirituales delectationes, quærit corporales. Secunda ratio est, quia juvenis quandoque refrenatur per pudorem : senes autem secundum Philosophum sunt inverecundi, quia sunt antiqui et multa experti. Juvenes autem vani et verecundabiles naturaliter : et ideo refrenantur, sed non senes. Item senectus disponit ad prudentiam propter experimentum longi temporis. (*Job.* 12.) *In antiquis est sapientia, et in multo tempore prudentia.* (*Eccl.* 25.) *Quam speciosa vetera sapientia, et gloriosus intellectus et consilium, corona senum multa peritia.* Unde subdit: *Prudentes.* Contingit tamen aliquando senem esse fatuum. (*Eccl.* 25.) *Senem fatuum et insensatum.* Et hoc est ex duobus quod senex est fatuus : prudentia enim acquiritur per exercitium : quando ergo in juventute se in bonis non occupant, sunt in senectute imprudentes. (*Eccl.* 25.) *Quæ in juventute tua non congregasti, quomodo invenies ea in senectute tua?* Item alia ratio est, quia in juventute quandoque affluunt voluptatibus, et maxime superfluitate ciborum : et ideo desiccatur eorum cerebrum. (*Prov.* 20.) *Luxuriosa res est vinum, et tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur, non erit sapiens.*

Deinde ponit ad quæ contrariatur senectus : et primum est fides : secundum dilectio : tertium patientia. Quantum ad primum dicit : *Sani in fide*, quia sine ea impossibile est placere Deo. (*Hebr.* 11.) Sed quod aliqui non sunt sani in fide, maxime in aliquo novo quod proponitur senibus credendum, contingit ex duobus. Primo quod senes non sunt firmi in aliquo novo propter præsumptionem sapientiæ : et ideo non credunt aliis. (*Job.* 12.) *Et senes sunt in nobis.* Item quia naturale vitium senum est, quod sint increduli : quia sunt experti se sæpius esse deceptos. Et ideo loquuntur semper dum, forte, vel fere, adverbiis temperativi modi, et dubitativi modi. Incredulitas autem repugnat fidei. (*Is.* 1.) *Qui incredulus est, infideliter agit.* Quantum ad secundum dicit : *In dilectione.* Et hoc ideo, quia plenitudo legis est dilectio. Et monet ad hoc propter duo. Primo quia in senibus parum est amicitiæ, quia amor nutritur per convictum. Nullus autem vult diu convivere cum tristibus. Senes autem sunt tristes, et ideo non est cum eis amicitia. Item quia senes diligent propter utilitatem tantum, sicut juvenes propter delectabile. Senex enim indiget sustentatione. Quantum ad tertium, dicit : *In patientia*, et monet

ad hoc propter tria. Primo quia senes multa mala sive incommoda circumveniunt : et ideo indigent patientia contra turbationes. Alia ratio est : Senes enim vivunt in memoria multorum : unde semper dicunt antiqua. Juvenes autem vivunt in spe magnorum : et ex hoc senes dupliciter ad impatientiam moventur, propter bona, sc. quæ habuerunt, et carent eis : unde Boetius : Summa miseria est, fuisse fœlicem. (*Thren.* 1.) *Recordata est Jerusalem dierum afflictionis suæ prævaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis.* Item quia vivunt in memoria, contingit quod aliqui, qui modo eos despiciunt, aliquando fuerunt pejores; et ideo turbantur. (*Job.* 30.) *Nunc autem derident me juniores tempore, quorum patres non dignabar ponere cum canibus meis.* Tertia ratio est, quia quanto senex appropinquat ad finem vitæ, tanto magis desiderat vivere. Unde videns se deficere, magis tristatur.

Deinde cum dicit : *Anus,* docet qualiter vetulæ instruantur. Et primo docet qualiter instruantur in vita : secundo in doctrina. Item primo qualiter in habitu : secundo qualiter in victu : tertio quomodo in verbo. Quantum ad primum, dicit : *In habitu sancto,* id est, carente lascivia et pompa. Et hoc convenit omni mulieri. (1 *Pet.* 3.) *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti, vestimentorumque cultus, etc.* (1 *Tim.* 2.) *Similiter et mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, etc.* Sed specialiter anus hoc servare debent : quia juvencularum est propter viros suos modeste se ornare : quod intelligitur simpliciter de omni motu corporis. (*Eccl.* 19.) *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo.* Quantum ad secundum dicit : *Non criminatrices.* Duo enim sunt in sene. Unum quod commune est senibus, sc. quod sunt suspiciosi, quia viderunt multa mala, quæ similiter præsumunt de aliis. Item in mulieribus quæ specialiter sunt zelotypæ, et utrumque contingit in vetula, quia ratione ætatis est suspiciosa : ratione sexus, est zelotypa. (*Eccl.* 26.) *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans.* Et ideo : *Non criminatrices.* Quantum ad convictum, dicit : *Non multo vino servientes.* Et de viris dixit: Ut sobrii sint. Et dicit, non multo, quia quandoque utuntur eo propter frigiditatem earum. Quantum ad doctrinam, dicit : *Bene docentes.* Contra (1 *Cor.* 14.) *Mulieres in ecclesiis taceant, non enim eis permittitur loqui, sed subditas esse.* (1 *Tim.* 2.) *Mulier in silentio discat cum omni subjectione: docere autem mulieri non permitto.* Respondeo: dicendum est quod doctrina publica, quæ fit in populo, interdicitur mulieri : sed privata, qua quis familiam docet, ei conceditur. (*Prov.* 31.) *Visio, qua erudivit eum mater sua, etc.* (*Prov.* 4.) *Nam et ego filius fui patris mei tenellus et unigenitus coram matre mea, et docebat me, atque dicebat, etc.* Et bene dicit : *Ut prudentiam doceant,* magis ad anus, quam ad viros : quia quandoque docent fabulas aniles, magis quam proficua, et etiam quia magis ipsæ conversantur cum pueris, et cum familia quam viri.

Deinde cum dicit : *Adolescentulas,* ostendit qualiter instruat juvenes, et primo ostendit qualiter instruat juvenes fœminas: secundo qualiter mares juvenes, ibi : *Juvenes similiter.* Item prima in tres : quia primo ostendit

qualiter se habeant ad personas conjunctas : secundo ad seipsas : tertio ad subjectos. Quantum ad primum dicit : *Ut viros suos ament.* Viro enim debetur amor. (*Prov.* 12.) *Mulier diligens corona est viro suo.* (*Eccl.* 25.) *In tribus beneplacitum est spiritui meo, etc.* Et infra : *Vir et mulier bene sibi consentientes.* Vel sic, ut prudentiam doceant adolescentulas et viros, etc. Sed prima expositio est melior. *Et filios diligant*, hoc est naturale. (*Is.* 49.) *Nunquid potest mulier oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* Et nota quod dicit : Ut viros ament, et filios diligant : quia ad viros est amor ferventior, sed ad filios naturalior. Sed quantum ad seipsas, tria dicit : Unum quo ad rationem, sc. *Prudentes.* (*Prov.* 19.) *Domus et divitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens.* Et hoc necessarium est, quia juventus earum et sexus contrariatur prudentiæ. Aliud est quantum ad concupiscibilem, sc. cum dicit : *Castas.* Tertium vero quantum ad irascibilem, cum dicit : *Sobrias.* (*Eccl.* 26.) *Gratia super gratiam mulier sancta et pudorata.* Sed quantum ad subjectos, primo ponit curam eorum: secundo modum : tertio rationem assignat. De primo dicit : *Domus curam habentes.* (*Prov.* 14.) *Sapiens mulier ædificat domum suam : insipiens vero instructam quoque destruet manibus.* In cura autem sunt duo observanda mulieri, sunt enim ut plurimum iracundæ. (*Eccl.* 23.) *Non est ira super iram mulierum.* Et ideo dicit : *Benignas*, quasi dicat. Cum mansuetudine regant. Aliud est, quia quando mulier potestatem habet, nititur in contrarium viro suo. (*Eccl.* 25.) *Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo*; ideo dicitur : *Subditas viris suis.* Unde dicitur (*Gen.* 3.) *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.* Et hoc ideo : *Ut non blasphemetur verbum Dei*, id est, non detis occasionem blasphemandi. Et hæc omnia notantur (*Tob.* 10.) ubi dicitur, quod Raguel et Sara, monuerunt filiam suam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, et seipsam irreprehensibilem exhibere.

Consequenter ostendit qualiter doceat mares juvenes, sc. *Ut sobrii sint*, quod repetit : quia ebrietas est principium vitiorum, (1 *Pet.* 5.) *Sobrii estote, etc.*

LECTIO 2.

Seipsum bonorum operum præbeat exemplum monet, ac, qua animi integritate, quave fide, servi, dominos prosequantur oporteat, docet.

7. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum : in doctrina, in integritate, in gravitate.*
8. *Verbum sanum, irreprehensibile : ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*
9. *Servos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes.*
10. *Non fraudantes : sed in omnibus fidem bonam ostendentes, ut doctrinam salvatoris nostri Dei ornent in omnibus.*

Supra Apostolus Titum docuit de quibus instruat subditos liberos. Et quia non tantum verba prosunt, sed etiam exempla : ideo docet ut se exem-

plum præbeat. Primo generaliter : secundo specialiter, ibi : *In doctrina.* Tertio rationem hujus assignat, ibi: *Ut is qui ex, etc.* Dicit ergo : Quia ætate juvenis es, *Præbe te in exemplum omnibus bonorum operum.* Prælatus enim debet esse quasi forma existens discipulis. (1 *Cor.* 11.) *Imitatores mei estote : sicut et ego Christi.* (*Joan.* 13.) *Exemplum dedi vobis, etc.*

Deinde cum dicit : *In doctrina,* ponit specialia, in quibus debet se præbere exemplum : primo ostendit quis debeat esse ejus actus, sc. in doctrina. Unde dicit : *In doctrina.* Hoc enim est proprium prælati. (*Jer.* 3.) *Dabo vobis pastores juxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina.* Et ei maxime convenit, ut qui habeat alios episcopos sub se, ut dicitur (*Supra* 1.) *Episcopos constituas, etc.* Ideo debet alios docendo, eis exemplum doctrinæ præbere. (1 *Tim.* 4.) *Attende tibi et doctrinæ.* Item monet eum quantum ad vitam : et primo declinare a malo. (*Is.* 1.) *Quiescite agere perverse.* Et ideo dicit : *In integritate,* per incorruptionem : sicut enim corpus perdit integritatem per corruptionem membrorum suorum, ita anima per corruptionem peccati. In prælato autem est integritas sensus per prudentiam, affectus per charitatem, corporis per castitatem. (1 *Thess. ult.*) *Integer spiritus vester, et anima, et corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Secundo quod sit gravis, quantum ad bona, quæ cum charitate fiunt. Grave autem duo habet, unum quia descendit, et secundum hoc vituperatur. (*Ps.* 4.) *Filii hominum usquequo gravi corde, etc.* Aliud est, quod est stabile et firmum. Et ideo illi dicuntur graves, qui non de facili moventur a bono : ita hic cum dicit : *In gravitate,* et hoc commendatur. (*Ps.* 34.) *In populo gravi laudabo te.*

Deinde ostendit qualis debet esse ejus doctrina et verbum. Et dicit, quod debet esse *Sanum*, id est, non corruptum falsitate. (2 *Tim.* 1.) *Formam habe sanorum verborum, quæ a me audisti in fide, etc.* (*Prov.* 14.) *Non decet principem labium mentiens.* Item quantum ad modum, cum dicit : *Irreprehensibile,* id est, ut proferatur tempore suo, et cum omni decentia et provocatione ad correctionem. (*Eccl.* 20.) *Ex ore fatui reprobatur parabola.* Non enim dicet illam in tempore suo. Finis autem doctrinæ est, *Ut is qui ex adverso est verealur, etc.* quasi dicat : Si omnes bene se habeant, sc. prælati et subditi, adversarii non possunt vobis nocere. (1 *Pet.* 2.) *Sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* (1 *Tim.* 5.) *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Deinde cum dicit : *Servos,* docet qualiter instruat servos : et primo facit hoc : secundo ejus rationem assignat, ibi : *Apparuit.* Circa primum tria facit : quia primo inducit servos ad subjectionem : secundo determinat modum ejus, ibi : *In omnibus.* Tertio ostendit necessitatem doctrinæ hujus, ibi : *Ut doctrinam.* Dicit ergo : Admone servos dominis suis *Subesse.* (1 *Pet.* 2.) *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis.* (*Col.* 3.) *Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, etc.* Idem dicit (*Ephes.* 6.) Et quare monet hoc tam frequenter Apostolus? Respondeo non sine causa. Hæresis enim incœpit apud Judæos, quod servi Dei non deberent servire hominibus, et ex hoc etiam derivatum est in populo

Christiano, quod dixerunt quod per Christum filii Dei facti, non deberent esse servi hominum. Sed Christus per fidem non venit tollere ordinem justitiæ, immo per fidem Christi justitia servatur. (*Rom.* 3.) Justitia autem facit alios aliis subdi. Sed servitus hujusmodi est quantum ad corpus. Nam per Christum nunc liberamur a servitute quantum ad animam, sed non a servitute, nec a corruptione corporis: sed in futuro liberamur etiam a corruptione et servitute corporali. (1 *Cor.* 15.) *Cum tradiderit regnum Deo et patri, etc.* Sed quod dicit: *In omnibus* potest referri primo ad hoc quod dicit: subditos, ut intelligatur in omnibus, sc. ad quæ se extendit jus dominativæ potestatis. Vel ad hoc quod dicit: *Placentes*; debet enim esse subjectio. Primo ut serviant sine offensione, non cum murmure et tarditate. (*Col.* 1.) *Per omnia placentes Deo.* (1 *Cor.* 10.) *Ego per omnia omnibus placeo.* Contra (*Gal.* 1.) *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Respondeo: placere homini propter ipsum est vituperabile, sed propter Deum est laudabile. Secundo ut sint sine repugnantia; ideo dicit: *Non contradicentes.* (*Eccl.* 4.) *Non contradicas verbo veritatis.* Tertio sine fraude. Unde dicit: *Non fraudantes.* Ubi unum removet, et alterum astruit. Removet fraudem. Servis enim committuntur bona dominorum. (*Luc.* 19.) *Tradidit eis bona sua.* Astruit in omnibus bonitatem. Et ideo dicit: *Sed in omnibus fidem bonam ostendentes.* Sed quo fine sunt hæc fienda? Non quidem propter terrenum favorem, sed propter gloriam Dei. Unde dicit: *Ut doctrinam salvatoris nostri Domini ornent, etc.* Gloss. Ornamentum doctoris est honesta vita discipuli, sicut sanitas infirmi est laus medici. Doctor curator est animarum. Si ergo nos ostendimus bona opera, laudatur doctrina Christi. (*Is.* 52.) *Jugiter tota die nomen meum blasphematur.* (*Matth.* 5.) *Ut videant opera vestra bona, etc.*

LECTIO 5.

Sanæ doctrinæ exemplar Christus proponitur, qui erudivit nos de vitandis, agendis et sperandis.

11. *Apparuit enim gratia Dei et salvatoris nostri omnibus hominibus.*
12. *Erudiens nos, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie, juste, et pie vivamus in hoc seculo.*
13. *Expectantes beatam spem et adventum gloriæ magni Dei et salvatoris nostri Jesu Christi.*
14. *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.*
15. *Hæc loquere, et exhortare: et argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.*

Supra Apostolus instruxit Titum qualiter doceret servos et liberos, et conclusit quasi rationem, ut sc. doctrina Christi ornaretur: hic assignans plenam rationem dictorum exponit quod dixit per bonam conversationem. Et primo præmittit gratiam et doctrinam Christi: secundo inducit eum ad gratiæ prædicationem, ibi: *Hæc loquere.* Item primo proponit gratiæ apparitionem: secundo ejus instruc-

tionem, ibi : *Erudiens nos*. Tertio ejus operationem, ibi : *Qui dedit*. Sciendum est autem quod gratia importat misericordiam, quia gratia est de eo quod gratis datur, et quod gratia datur, hoc misericorditer datur. Misericordia autem semper in Deo fuit, tamen olim circa homines latebat. (*Ps.* 35.) *Domine in cœlo misericordia tua*. Ante Christum enim omnes quantumcunque essent justi, erant sub damnatione, sed Christo filio Dei carnem assumente, *Apparuit gratia*. (1 *Tim.* 3.) *Et manifeste magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne*. (*Ps.* 79.) *Qui sedes super cherubin manifestare*. Sed quanto quis est potentior, tanto ejus gratia magis desideratur. Unde gratia Dei desideranda est. Et hoc est quod dicit: *Gratia Dei*. Et hoc ad salvandum. Unde dicit : *Et salvatoris nostri*. (*Is.* 51.) *Salus autem mea in sempiternum erit*. Hæc autem gratia non proponitur uni solummodo populo Judæorum, sicut olim, sed *Omnibus hominibus*. (*Is.* 40.) *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*. (*Is.* 52.) *Et videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*. (1 *Tim.* 2.) *Vult omnes homines salvos fieri*. Et potest dici quod in nativitate Christi apparuit hæc gratia dupliciter. Uno modo et primo, quia per maximam Dei gratiam datus est nobis. Unde ejus conceptio cum sit operatio totius trinitatis, attribuitur tamen specialiter Spiritui Sancto, qui est principium gratiarum. Et hæc gratia apparuit omnibus hominibus, et specialiter homini Christo. (*Joan.* 1.) *Plenum gratiæ et veritatis*. Ex hac gratia secundo est consecuta instructio humani generis : quia ante Christum fuit mundus in ignorantia et hæresi. (*Is.* 9.) *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*. Unde dicit : *Erudiens nos*, sc. sicut homo erudit filium. De duobus autem erudivit nos, quia duo necessaria sunt homini, sc. bonum opus et recta intentio. Primo ostendit quomodo Christus nos de primo erudivit : secundo de secundo, ibi : *Expectantes*. Dicit ergo : *Ut abnegantes impietatem, etc*. Notandum est quod dicit : impietatem et secularia desideria, quia omnia peccata vel consistunt in his, quæ sunt directe contra Deum, quæ dicuntur peccata impietatis. Pietas enim proprie est, secundum quam colimus parentes et patriam. Sed quia Deus est principalis pater noster, ideo pertinet ad cultum Dei pietas. (*Job.* 28.) Secundum aliam litteram, ubi nos habemus sic: *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*, habetur : *Ecce pietas ipsa est sapientia*. Et ideo peccata contra Deum dicuntur esse impietates. (*Rom.* 1.) *Revelatur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem*, et ibi loquitur de idololatria. Vel consistunt in abusu temporalium, et hæc sunt secularia desideria. Est autem seculum spatium mensurans periodum rerum. Unde per secularia intelliguntur res seculares, et omnia peccata, quæ in proximum committuntur vel in se, per earum abusum.

Deinde cum dicit : *Sobrie, etc*. ostendit quid boni faciamus : et dicit : *Sobrie*, quantum ad se : *Juste*, ad proximum, *Pie* ad Deum. Sobrie, ad se, quasi mensurate. Bria enim mensura est et hoc est si homo cum mensura rationis utatur exterioribus rebus et propriis passionibus. Unde sobrietas accipitur pro quolibet mensurato usu rerum exteriorum et extrinsecarum passionum. (*Sap.* 8.) *Sobrietatem enim et sapientiam docet et justitiam et virtutem, quibus nihil utilius est in vita hominibus*. Juste ad proximum.

(*Ps.* 10.) *Justus Dominus et justitiam dilexit.* Pie ad Deum. (1 *Tim.* 4.) *Exerce te ad pietatem.*

Deinde cum dicit : *Expectantes beatam spem*, instruit eum de fine, qui consistit in duobus, sc. in gloria animæ in morte. Alius in gloria corporis, in adventu Christi. (*Joan.* 5.) *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, etc.* Quantum ad primum dicit : *Expectantes beatam spem.* Contra illos qui ponunt finem hominis in actu virtutum in hac vita. Sed hoc non est verum, quia etsi sobrie et pie et juste vivamus, adhuc sumus expectantes. (*Job.* 7 *et* 14.) *Sicut mercenarii dies ejus.* (*Is.* 30.) *Beati omnes qui expectant eum.* Et ideo dicit: Expectantes beatam spem : quod potest intelligi dupliciter : vel quia est spes de beatitudine: vel quia expectatio facit ipsos beatos. Quantum ad secundum dicit : *Et adventum gloriæ magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi*, sc. per quem resurgent corpora nostra. Qui enim diligit amicum, cum desiderio expectat eum. (2 *Tim.* 4.) *Non solum autem mihi, sed et his qui diligunt adventum ejus.* (*Luc.* 12.) *Vos similes hominibus expectantibus dominum suum.* Et dicit : *Adventum gloriæ*, quia primus adventus fuit humilitatis. (*Phil.* 2.) *Humiliavit semetipsum, etc.* (*Matth.* 11.) *Discite a me quia mitis sum et humilis corde.* Et ille erit gloriæ, quia sua divinitas omnibus innotescet. (*Luc.* 21.) *Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum potestate magna et majestate.* Et dicit : *Magni Dei*, contra Arrium, qui dixit filium non æqualem patri. Et bene magnus, quia dicitur (*Rom.* 9.) *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.* (1 *Joan. ult.*) *Ut simus in vero filio ejus, etc.* Item est salvator. (1 *Tim.* 2.) *Hoc enim bonum est et acceptum coram salvatore nostro qui omnes homines vult salvos etc.* Quia ad hoc venit, et hoc imp nomen ejus. (*Matth.* 1.) *Ipse salvum faciet populum suum a pe eorum.* Et addit : *Christi*, sc. qu unctus, in quo intelligitur unio nitatis ad humanitatem. Aliqui dicuntur uniti : sed non ita quo habeant essentiam divinitatis ur sed quia participant ejus aliqui Christo est unita divinitas. (*Ps.* *Unxit te Deus Deus tuus, etc.*

Deinde cum dicit : *Qui dedit s ipsum*, ostenditur operatio grati primo ostendit beneficium gratia sionis ejus. Secundo passionis fru ibi : *Ut nos redimeret.* Dicit Dico quod est noster salvato quomodo? *Quia dedit semetipsu nobis.* (*Eph.* 5.) *Ambulate in tione, sicut et Christus dilexit tradidit semetipsum pro nobis ol nem et hostiam Deo.* Fructus dicitur liberatio et sanctificatio. ratio cum dicit : *Ut nos redime omni iniquitate.* (*Joan.* 8.) *Qu peccatum, servus est peccati.* P enim homo ex peccato suo re est in servitutem peccati, e servitute inclinabatur ad aliud tum : sed Christus satisfecit pe passionem : et ideo sumus re a servitute. (*Is.* 43.) *Noli t quia redemi te, etc.* Et non sol originali, sed ab omnibus, qua sua voluntate superaddidit. Sa catio in bono ponitur, cum di *mundaret sibi populum*, id e sanctificaret populum, sic sc. u mus populus ejus, id est, ei cratus. Qui aliquando non p ejus, nunc autem populus ejus. *et Rom.* 9.) *Acceptabilem*, sc. D rectam fidem et intentionem. (*Pr* *Acceptus est regi minister intel*

Vel acceptabilem, id est, peculiarem. (*Deut.* 7.) *Te elegit Dominus Deus tuus ut sis ei populus peculiaris.* Sed oportet etiam quod extra sint opera bona. Unde dicit : *Sectatorem bonorum operum.* (*Rom.* 13.) *Bonum fac et habebis laudem ex illo.* (*Gal.* 6.) *Bonum autem facientes, non deficiamus.*

Deinde cum dicit : *Hæc loquere, etc.* inducit eum ad prædicationem gratiæ, et circa hoc duo facit : quia primo hortatur eum ad prædicandum ; secundo instruit prædicandi modum, ibi: *Cum omni, etc.* Dicit ergo : *Loquere,* spectantia ad credenda, *Exhortare* ad agenda. (1 *Thess.* 2.) *Exhortatio nostra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo.* — *Argue* male agentes. (1 *Tim.* 5.) *Peccantes coram omnibus argue.* Et hoc: *Cum omni imperio,* id est, cum auctoritate, quia loquitur ut instrumentum, vel minister Dei. Et ideo cum fiducia divinæ auctoritatis. Est tamen loquendum in exhortando quandoque cum prece, considerando infirmitatem propriam. (*Prov.* 18.) *Cum obsecrationibus loquitur pauper.* Quandoque cum imperio, considerando auctoritatem commissam. (2 *Cor. ult.*) *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Vel cum mansuetudine ad bonos, cum auctoritate ad obstinatos : habet autem moneri, ut cum imperio arguat, quia naturaliter fuit mitis. (1 *Tim.* 4.) *Nemo adolescentiam tuam contemnat.*

CAPUT III.

Quomodo se habere debent erga superiores, quomodoque erga æquales docentur omnes, statumque eorum ante gratiam, eumdemque post gratiam ob oculos ponit.

1. *Admone illos principibus et potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse,*
2. *Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos : omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.*
3. *Eramus enim aliquando et nos insipientes, et increduli, errantes, servientes desideriis et voluptatibus variis, in malitia et invidia agentes, odibiles, odientes invicem.*
4. *Cum autem benignitas et humanitas apparuit salvatoris nostri Dei :*
5. *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti.*
6. *Quem effudit in nos abunde per Jesum Christum salvatorem nostrum.*
7. *Ut justificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.*
8. *Fidelis sermo est. Et de his volo te confirmare : ut curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona et utilia hominibus.*

Supra Apostolus posuit particulares admonitiones pertinentes ad singulos status : hic ponit generales ad omnes. Et primo ponit ipsas. Secundo rationem ipsarum, ibi : *Eramus.* Tertio inducit Titum ad utrorumque prædicationem, ibi : *Et de his volo te.* Circa primum duo facit, quia primo monet omnes qualiter se habeant ad superiores : secundo quomodo ad æquales, ibi : *Neminem blasphemare.* Item prima in duas, quia primo ostendit quod superioribus debent subditi reveren-

tiam subjectionis. Secundo obedientiam jussionis, ibi : *Dicto obedire.* Dicit ergo: dixi de quo moneas prædictos, sed *admone illos,* id est, omnes, *Principibus*, id est, majoribus, sc. regibus et hujusmodi. *Et potestatibus,* id est, aliis officialibus, *Subditos esse.* (1 *Pet.* 2.) *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* (*Rom.* 13.) *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et hæc monitio necessaria est, primo ad tollendum errorem circa Judæos, qui dicunt non esse obediendum mandatis hominum. Secundo ut nullam inquietudinem facerent in Ecclesia. Tertio quia tenentur ad obedientiam jussionis. (*Hebr. ult.*) *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis, etc.* Et dixit : *Dicto obedire*, id est, ad solum verbum præsidis. (1 *Reg.* 15.) *Melior est enim obedientia, quam victimæ.* (2 *Thess.* 3.) *Si quis non obedierit verbo nostro, per epistolam, hunc notate.* Non solum autem est necessaria promptitudo, seb discretio. Unde dicit: *Ad omne opus bonum,* alioquin non esset obediendum : tunc enim magis Deo obediendum est, quo major est. (*Act.* 4.) *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire, quam Deum, judicate.* Unde milites non tenentur obedire in bello injusto.

Deinde cum dicit : *Neminem,* ostendit qualiter se habeant erga æquales. Et primo quoad vitationem mali. Secundo quoad operationem boni, ibi : *Sed modestos.* Monet autem eos specialiter de verbis, quia in primitiva Ecclesia pauci peccabant factis. Verbis autem aliquis peccat, primo contra personam alterius si ei improperia inferat. Unde dicit : *Neminem blasphemare.* Sed contra : quia blasphemia est relatio criminis in Deum, non ergo est blasphemia in proximum. R deo: inquantum dilectio proxim tur in dilectionem Dei, et honor mi in honorem Dei, sic ejus perium est in Deum. Sumitur e blasphemare, pro qualibet malec occulta, vel manifesta. (2 *P Sectas non metuunt introducer phemantes.* Secundo quis peccat proximum propter res exterio ideo dicit : *Non litigiosos esse.* sciendum, quod tria sunt gener num : quidam eorum sunt vi et duo vitiosi : quidam enim o verbis auditis in nullo contris et hi sunt adulatores. Et quidar verbo resistunt, et hi litigios Contra hos loquitur hic. Ideo d (2 *Tim.* 2.) *Servum autem Dom oportet litigare, sed mansuet ad omnes.* (*Prov.* 20.) *Honor est qui se separat a contentionibu* medium tenens, ut quandoque tetur verbis, quandoque contri est virtuosus. (2 *Cor.* 2.) *Si tavi vos epistola, non me pœnitet*

Deinde cum dicit : *Sed mo* ostendit quomodo se habeant in tione boni, et primo in exter actibus, dicens : *Sed modest* autem modestia virtus per qu quis in omnibus exterioribus tenet, ut non offendat cujusqu pectum. (*Phil.* 4.) *Modestia nota sit omnibus hominibus.* (*Pr Finis modestiæ, timor Domini, gloria, et vita, etc.* Quanto ante est impetuosior in interioribus tibus, tanto refrenatur difficiliu in exterioribus. Talis autem e omnes affectus ira. Et ideo cont ponit mansuetudinem, quæ mo passiones iræ. Unde dicit : *mansuetudinem ostendentes ad homines.* (*Matth.* 11.) *Discite quia mitis sum et humilis corde.* (

In mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras.

Deinde cum dicit : *Eramus enim et nos, etc.* assignat rationem prædictorum, et maxime hujus ultimi, sc. quod sint mansueti. Possent enim dicere, quomodo erimus mansueti ad infideles, quomodo ad malos? Non enim hoc possumus. Respondet: Considera te qualis fueris. Et ideo contra iram optimum remedium est, recognitio fragilitatis propriæ. Et ideo primo ponit statum eorum præteritum. Secundo ostendit unde venerunt ad statum perfectionis, ibi : *Cum autem benignitas.* Item primo ponit defectus pertinentes ad intellectum : secundo ad affectum, ibi : *Servientes.* Intellectus autem potest dupliciter deficere : vel quia deficit a vera cognitione, sicut per ignorantiam negationis : vel quia incidit in opinionem falsi. Verum autem in rebus divinis dupliciter aliqui percipiunt. Quidam enim solum per fidem, quidam prægustando per lumen sapientiæ per apertam aliquam cognitionem. Unde quantum ad secundum dicit : *Eramus enim insipientes,* id est privati ista sapientia. (*Luc.* 21.) *Dabo vobis os et sapientiam, etc.* Quantum ad primum dicit : *Et increduli,* id est, infideles. (*Ezech.* 2.) *Increduli, et subversores sunt tecum.* Sed erramus incidentes in contrariam opinionem. Unde dicit : *Errantes,* id est, falsum pro vero tenentes. (*Is.* 19.) *Errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo.*

Deinde ponit ea quæ pertinent ad corruptionem affectus : et primo quantum ad se : secundo quantum ad alios, ibi : *In malitia, etc.* Affectus autem hominis tunc est erectus, quando servit rationi, et utitur licitis delectationibus secundum rationem. Quando ergo non sequitur rationem, sed sua desideria, tunc corrumpitur. Unde dicit : *Servientes desideriis et voluptatibus variis.* Voluptates respiciunt peccata delectationum carnalium, ut sunt luxuria et gula. Desideria vero quælibet alia vitia, ut sunt ambitio et avaritia, et hujusmodi. (*Eccl.* 18.) *Post concupiscentias tuas non eas, et a voluptate tua avertere.* (*Rom.* 6.) *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* (2 *Tim.* 3.) *Voluptatum amatores magis, quam Dei.*

Deinde cum dicit : *In malitia et invidia agentes,* ponit peccata in ordine ad alios : et primo malitiam, quæ est voluntas nocendi alteri : effectus enim denominatur a fine. Qui ergo intendit inferre malum, dicitur malitiosus. (*Jac.* 1.) *Propter quod abjicientes omnem immunditiam et abundantiam malitiæ.* Secundo ponit invidiam, quæ dolet de proximi bono, sicut malitia infert malum. (*Prov.* 14.) *Putredo ossium, invidia.* Tertio ponit odium. Unde dicit : *Odibiles,* sc. vel Deo, per hoc quod faciunt peccatum. (*Sap.* 14.) *Similiter odibiles sunt Deo impius et impietas ejus.* (*Rom.* 1.) *Detractores Deo odibiles.* Vel proximo quando faciunt illud unde proximus eos odio habere debeat. Et addit: *Odientes invicem,* quasi dicat : et nos etiam odiebamus alios. (1 *Joan.* 3.) *Qui odit fratrem suum, homicida est.*

Deinde cum dicit : *Cum autem benignitas,* ostendit statum salutis nostræ, cujus ordinem et processum, primo describit. Secundo confirmat dictum, ibi : *Fidelis sermo.* Circa primum quatuor facit, quia primo ostendit causam salutis : secundo rationem salvandi, ibi : *Non ex operibus justitiæ.* Tertio modum ejus, ibi : *Per lavacrum.* Quarto finem, ibi : *Ut justificati.* Causa

autem nostræ salutis est charitas Dei. (*Eph.* 2). *Deus autem, qui dives est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, etc.* Hanc charitatem describit, primo quantum ad affectum : secundo quantum ad effectum. Interior charitatis affectus designatur in benignitate, quæ dicitur bona igneitas. Ignis autem significat amorem. (*Cant.* 8.) *Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.* Benignitas ergo est amor interior, profundens bona ad exteriora. Hæc ab æterno fuit in Deo, quia amor ejus est causa omnium. (*Joel.* 2.) *Benignus et misericors est, etc.* Sed hoc quandoque non apparebat. (*Is.* 63.) *Ubi nunc zelus tuus et fortitudo tua multitudo viscerum tuorum et miserationum tuarum? super me continuerunt se.* Sed per effectum apparuit, quod designatur, cum dicit : *Humanitas*, quod dupliciter potest intelligi, vel secundum quod significat humanam naturam, quasi dicat : Apparuit benignitas et humanitas, quando Deus ex benignitate est homo factus. (*Phil.* 2.) *Habitu inventus ut homo.* (*Ps.* 64.) *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* Vel secundum quod designat virtutem, quæ consistit in exteriori subventione in defectibus aliorum. Unde humanum esse, est condescendere. (*Act. ult.*) *Barbari autem præstabant non modicam humanitatem nobis.* Sic Deus condescendit nostris defectibus. (*Ps.* 102.) *Ipse cognovit figmentum nostrum.* Et hoc, *Salvatoris*, quia ut dicitur (*Ps.* 36.) *Salus autem justorum a Domino.*

Deinde cum dicit : *Non ex operibus, etc.* ponit rationem salvandi : et primo excluditur ratio præsumpta : secundo ostenditur ratio vera. Ratio præsumpta est, quod propter merita nostra simus salvati, quod excludit, cum dicit : *Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos.* (*Rom.* 11.) *Reliquiæ secundum el nem gratiæ Dei salvæ factæ* (*Deut.* 9.) *Non propter justitia et æquitates cordis tui ingredie possideas terram eorum, etc.* Se ratio est sola misericordia Dei. dicit : *Sed secundum suam mise diam, etc.* (*Thren.* 3.) *Miseri Domini, quod non sumus cons* (*Luc.* 1.) *Et misericordia ejus genie in progenies.* Modus saluti piscendæ est per baptismum primo ponit : secundo effectum tertio causam. Dicit ergo : *Per lav* id est, salvati sumus per ablu spiritualem. (*Eph.* 5.) *Mundan lavacro aquæ in verbo vitæ.* (*Zac Erit fons patens domui David, e tantibus Jerusalem, in ablu peccatoris et menstruatæ.* Quant effectus ejus subdit : *Regener et renovationis.* Pro quo sciendt quod homo indigebat duobus i perditionis, quæ consecutus e Christum, sc. participatione naturæ, et depositione vetustati enim separatus a Deo. (*Is.* 59.) *tates vestræ diviserunt inter Deum vestrum, et peccata vestra derunt faciem ejus a vobis ne exa* Et erat inveteratus. (*Baruch* 3. *terasti in terra aliena.* Sed consequimur per Christum, participationem naturæ divi *Pet.* 2.) *Ut per hoc efficiamur c divinæ naturæ.* Sed nova natu acquiritur nisi per generatione tamen hæc natura ita datur, quo remanet nostra, et ita super Sic enim generatur particip filium Dei, quo non destruitu (*Joan.* 3.) *Oportet vos nasci de* ideo dicitur generatio. (*Jac.* 1.) *tarie genuit nos verbo verita* Homo etiam per Christum d vetustatem peccati renovatus

naturæ, et hoc vocatur reno-
ph. 4.) *Renovamini spiritu*
stræ. Sed quæ est causa hujus
ut cor abluat? Hæc virtus est
ıt individua trinitate. (*Matth.*
ıomine Patris,et Filii, et Spi-
ti, etc. Unde et Christobapti-
ɜr in voce, filius in carne,
Sanctus in columbæ specie
unt. Et ideo dicit: *Spiritus*
l est, quam Spiritus Sanctus
:. 103.) *Emitte spiritum tuum,*
ı est regeneratio per spiritum.
) *Misit Deus spiritum Filii sui*
vestra clamantem: Abba pater.
) *Non accepistis spiritum ser-*
'erum in timore, sed accepistis
adoptionis filiorum, in quo
ıs: Abba pater. Sed hunc spi-
at Deus pater, *Quem effudit*
:bunde, ut designet copiam
n baptismo; unde fit plena
um remissio. (*Joel.* 2.) *Effun-*
piritu meo super omnem car-
ɔ. Effundam spiritum meum
ɜmen tuum. Et propter diversa
atiarum. (*Jac.* 1.) *Qui dat*
affluenter et non improperat.
m datur *Per Christum Jesum.*
6.) *Paraclitus quem ego mittam*
c. In Christo enim duas natu-
ıimus, et ad utramque pertinet,
ıristus det Spiritum Sanctum.
n quidem ad divinam, quia
um, ex quo simul et a patre
ut amor. Amor autem in nobis
ex conceptione cordis, cujus
o est verbum. Quantum vero
ıanam, quia Christus accepit
n plenitudinem ejus, ita quod
ad omnes derivatur. (*Joan.* 1.)
gratiæ et veritatis. Et paulo
t de plenitudine ejus omnes nos
us gratiam pro gratia. Et
) *Non enim ad mensuram dat*
ıiritum, etc. Et ideo baptismus
et alia sacramenta non habent efficaciam nisi virtute humanitatis et passionis Christi.

Deinde cum dicit: *Ut justificati gratia ipsius*, ponitur finis salutis nostræ, quæ est participatio vitæ æternæ. Unde dicit: *Hæredes.* Idem autem est justificati, et quod prius dixerat regenerati. In justificatione impii sunt duo termini, sc. a quo, qui est remissio culpæ, et hæc est renovatio, et ad quem, qui est infusio gratiæ, et hoc ad regenerationem pertinet. Dicit ergo: Ideo verbum caro factum est, ut justificati, id est renovati per gratiam, quia justificatio non fit sine gratia. Sed nunquid Deus posset remittere culpam sine gratiæ infusione? Videtur quod sic, quia a principio poterat constituere hominem esse sine gratia et culpa. Respondeo: dicendum est, quod aliud est de homine, qui nunquam offendit, quia sic potest esse sine gratia et sine culpa, et aliud est de homine, qui jam peccavit, qui non potest esse quin odiatur, vel diligatur, et si a Deo diligitur oportet quod diligat, et si diligit oportet quod præstetur ei gratia: quia sine gratia non diligit, et quod etiam per hoc efficiantur hæredes. (1 *Pet.* 1.) *Hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcescibilem conservatum in cœlis in vobis, etc.* Et hoc: *Vitæ æternæ.* (*Ps.* 15.) *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi, etc.* Sed quomodo hæredes? *Secundum spem*, quia jam non est spes hujus vitæ. (*Rom.* 5.) *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.*

Deinde cum dicit: *Fidelis sermo est*, probat dicta de salute nostra et spe, quasi dicat: Hoc dictum est fidele. (*Apoc. ult.*) *Hæc verba fidelissima et vera sunt.*

Deinde cum dicit: *Et de his volo*,

mandat hoc prædicari. Et primo ponit præceptum. Secundo rationem assignat, ibi : *Hæc sunt.* Dicit ergo : *Et de his*, sc. quæ ad Dei beneficia, reprehensionem peccatorum, documenta fidei et morum, *Volo te confirmare*, sc. alios. (*Job.* 4.) *Vacillantes confirmaverunt sermones tui.* (*Act.* 15.) *Et confirmaverunt eos.* Et ratio hujus est, *Ut curent, etc.* Quod potest intelligi de prælatis, quasi dicat : Volo quod confirmes viatores, id est, prælatos, ut ipsi curent præesse his, qui credunt Deo, sc. fidelibus in bonis operibus. (1 *Pet.* 2.) *Ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.* (*Matth.* 5.) *Ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum.* Hæc verba *sunt bona* quia de bonitate Dei. (*Matth.* 12.) *Bonus homo, de bono thesauro profert bona, — Et utilia hominibus.* (*Is.* 48.) *Ego Dominus Deus tuus docens te utilia.*

LECTIO 2.

Hæreticos, utpote perditos, ac pernitiosos vitare docet, ac demum gratiam exorans, salutem sibi in Christo precatur.

9. *Stultas autem quæstiones et genealogias, et contentiones, et pugnas legis devita. Sunt enim inutiles et vanæ.*
10. *Hæreticum hominem post unam et secundam correctionem devita.*
11. *Sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.*
12. *Cum misero ad te Arthemam aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim. Ibi enim statui hiemare.*
13. *Zenam legisperitum et Apollosollicite præmitte, ut nihil illis desit.*
14. *Discant autem et vestri bonis operibus præesse ad usus necessarios : ut non sint infructuosi.*
15. *Salutant te qui mecum sunt omnes. Saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.*

Supra Apostolus docuit Titum qualia ad instructionem populi proponat, nunc ostendit, quæ vitet in doctrina. Et primo facit hoc. Secundo scribit quædam familiaria, ibi : *Cum misero.* Item prima in duas, quia primo ostendit quomodo vitet inutilia et aliena dogmata. Secundo quomodo vitet hæreticos, ibi : *Hæreticum.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit, quæ sunt vitanda in sua doctrina. Secundo rationem assignat, ibi : *Sunt enim.* Notandum est autem circa primum quod ad eum, qui profitetur doctrinam alicujus scientiæ, primo pertinet, ut satisfaciat quæstionibus quæ moventur in illa. Secundo ut per se aliqua tractet. Tertio ut disputet cum resistentibus. Et quarto quod doceat quid circa eam sit vitandum. In aliis autem scientiis nullus sapiens cuilibet quæstioni respondet, sed tantum ad eas, quæ pertinent ad suam scientiam. Ita doctor veritatis non debet cuilibet quæstioni respondere. Stultitia enim sapientiæ opponitur. Hæc autem doctrina est sapientiæ. (*Deut.* 4.) *Hæc enim sapientia vestra, et intellectus coram populis.* Ideo dicit : *Stultas quæstiones.* Quæstiones ergo adversantes intentionibus doctrinæ istius, stultæ sunt. Adversantur autem ei illa, quæ sunt indisciplinabilia. (*Job.* 34.) *Job autem stulte locutus est, et verba illius non sonant disciplinam.* Item quando manifestum proponitur, ut dubium, sc. quæcumque

aliquis per se tenere in scientia. ec sunt quæ spectant ad instruc- n fidei et eruditionem morum. Et ım sunt quæ debet vitare. Unde : *Genealogias.* Ponuntur enim logiæ in scripturis propter mys- et propter intellectum historia- In resistendo impugnantibus vitare *Contentiones et pugnas.* lo enim est disputatio ad inqui- ım veritatis est laudabile, sed o est contentio, ad ostendendum ıit tenendum, et quid vitandum, unt vitandæ. (*Prov.* 20.) *Honor nini, qui separat se a contentio-* (2 *Tim.* 2.) *Noli verbis conten-* Pugnæ legis sunt, quæ non ex isputantium, sed quæ oriuntur trarietate in scriptura, vel ra- ıs contrariis. Sed numquid hu- li semper sunt vitandæ? dicen- ıt, in scriptura sacra, secundum ıem nihil est contrarium. Sed uid apparet contrarium. Vel est, on intelligitur, vel quia corrupta vitio scriptorum, quod patet liter in numeris et genealogiis. o hæc, quia determinari non t, vult quod vitentur. Et hoc uia *Inutiles sunt.* Et doctor ad tendere debet, sc. ad utilitatem, veritatem. (*Prov.* 8.) *Veritatem bitur guttur meum, etc.* (*Is.* 48.) *minus Deus tuus docens te utilia.* st ergo intromittendum se de ous, et quæ non habent solidam em. Scire enim singularia, ut enealogiæ, non est ad perfectio- ntellectus nec ad instructionem ı, nec fidei. Et sunt *Vanæ,* on habent solidam veritatem.

ıde cum dicit : *Hæreticum,* os- qui sunt vitandi inter homines, ıo ostendit quod hæretici : se- ostendit rationem hujus, ibi : *quia.* Dicit ergo : *Hæreticum hominem.* Ubi notandum est, quid faciat esse hæreticum, et accipienda est prima ratio hujus nominis hæreticus. Non enim dicitur a divisione, sed ab electione, ut dicit Hieronymus; in Græco enim hæresis dicitur electio. Unde hæreticus, id est, electivus, quasi pertinaciter adhærens sectæ alicujus, quam elegit. Unde sciendum est, quod omnis hæreticus est errans, et non e converso, propter duo. Primo ex parte materiæ circa quam errat, puta si non est circa finem vitæ humanæ, vel circa id quod ad fidem pertinet et bonos mores. Talis enim sic errans non est hæreticus. Si vero erraret circa ea quæ sunt ad finem vitæ humanæ, semper est hæreticus. Et dico finem vitæ humanæ, quia apud antiquos erant sectæ, ponentes diversum finem, ut patet de Stoicis et Epicureis. Vel circa fidem : et sic si aliquis diceret Deum non esse trinum et unum ; et fornicationem non esse peccatum, est hæreticus. Secundo ex parte electionis, quia eligens si non est pertinax, sed est paratus corrigi secundum ecclesiæ determinationem, et sic non est ex malitia, sed ex ignorantia, non est hæreticus. *Hunc ergo devita,* propter periculum. (2 *Tim.* 2.) *Sermo eorum ut cancer serpit.* Item nec aliquis communicet peccatis eorum, ne videatur eis consentire. (2 *Joan. cap. unic.*) *Si quis venerit ad vos, et hanc doctrinam non affert, etc.* Item propter pœnam. (*Num.* 16.) *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, et nolite tangere quæ ad eos pertinent, etc.* Vult tamen quod moneatur, et si non dimittit, tunc est hæreticus et vitandus. Et dicit : *Post primam et secundam correptionem.* Sic enim fit in ecclesia in excommunicationibus. Et ratio est, quia numerus omnis rei habet principium, medium, et finem.

Ideo accipitur, ut sufficiens ad omnia. (2 *Cor. ult.*) *Ecce jam tertio hoc venio ad vos, etc.* Item propter perfectionem numeri ternarii. Ratio autem devitationis est, quia cum errante agendum a principio, ut corrigatur. (*Matth.* 9.) *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Et ideo non est dimittendum quousque videatur si curari poterit, sed si non potest sanari, tunc est dimittendus. (*Luc.* 19.) *Ex ore tuo te judico serve nequam.*

Deinde cum dicit : *Cum misero,* scribit quædam familiaria. Et primo quædam disponenda circa ipsum : secundo epistolam terminat in salute. Dicit ergo : *Cum misero, etc.* Hi duo discipuli erant Apostoli. Alios misit quia volebat, quod Titus iret ad eum, nec determinat ei tempus, sed locum : eo enim indiguit in adjutorium prædicationis, voluit tamen præmitti Arthemam, et ostendit quid de eis disponat : secundo objectioni respondet, ibi: *Discant autem et vestri.* Apollo iste, de quo (*Act.* 19.) erat episcopus Corinthiorum, propter quorum culpam dimisit eos, et ivit Cretam ad Titum, sed correctis Corinthiis Apostolus revocat eum. Vocat autem Zenam legisperitum, licet et Apollo esset valde doctus, quia in Judaismo habuit hanc dignitatem. Ratio autem quare istos vult præmitti et non Titum, est, quia Titus necessarius erat apud Cretam propter episcopatum, isti autem non habebant aliquam curam. Et dicit : *Ut nihil illis desit,* quasi dicat : Si non habes, provideant subditi tui. I subjungit: *Sic discant vestri,* s les providere, sicut faciunt Juc dicit vestri, sc. subditi, discant lere Judæos, et alios de Asia, q prædicatoribus et indigentibus dent. Et dicit : *Ad usus necessa* est, in casibus necessitatis. (1 *Ti Habentes alimenta, et quibus teg his contenti simus.* Ratio autem præsint, est *Ut non sint infru* (1 *Cor.* 9.) *Quis plantat vineam, fructu ejus non edit? etc.* Populu si est, ut vinea Domini, debet fructum, non solum spiritualem etiam temporalem, ut exinde cu sustententur, alias essent infruc (*Matth.* 7.) *Omnis arbor, quæ no fructum bonum, excidetur, etc.*

Deinde salutat eos primo ex aliorum : secundo rogat, quod sa alios : tertio ponit suam. Quantu primum dicit : *Salutant, etc.* ic salutem optant. Secundo dicit : eos qui nos amant in fide C existentes, quia non est con fidelis cum infideli. (2 *Par.* 19.) *præbes auxilium, et his qui od Dominum amicitia jungeris.* Ve nos amant in fide, id est, fideli af (*Eccl.* 6.) *Amico fideli nulla est paratio. Gratia Dei,* sc. quæ est cipium omnium bonorum. (*Rom Justificati gratis per gratiam i* Et dicit: *Vobis,* quia non scribi propter utilitatem ipsius tantum propter totam ecclesiam. Deo grat

DIVI THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD PHILÉMONEM.

PROLOGUS.

Servus si est tibi fidelis, sit tibi quasi anima tua, etc. (*Eccl.* 33.) Ostendit sapiens tria circa dominum et servum, sc. quid requiratur ex parte servi. Item qualis debet esse affectus domini ad servum. Item qualis usus servi. Ex parte servi requiritur fidelitas, in qua est bonum servi, quia et quod est et omnia sua debet dare domino. (*Matth.* 24.) *Fidelis servus et prudens, etc.* Et dicit si est fidelis : quia fidelitas apud paucos est. (*Prov.* 20.) *Virum fidelem quis inveniet?* talis ergo servus debet haberi a domino, sicut amicus in affectu. Unde dicit : Sit tibi sicut anima tua. Hoc enim est proprium amicorum, ut eorum anima una sit in nolendo et volendo. (*Act.* 4.) *Multitudinis credentium erat cor unum et anima una.* In quo datur intelligi, quod est quidam consensus inter dominum et servum, quia servus fidelis transit in amicum. Usus ejus est, ut tractetur, ut frater, nam frater est, et quantum ad generationem naturæ, quia eodem auctore. (*Job.* 31.) *Si contempsi subire judicium cum servo meo.* (*Mal.* 2.) *Nunquid non unus pater omnium nostrum? Nunquid non Deus unus?* Et quantum ad generationem gratiæ, quæ est eadem. (*Gal.* 3.) *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis, non est Judæus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, omnes enim vos unum estis in Christo Jesu.* (*Matth.* 23.) *Omnes vos fratres estis.* Hæc autem verba conveniunt materiæ hujus epistolæ. Sicut enim supra ostendit qualiter spirituales prælati habeant se ad subditos : sic hic qualiter temporales domini ad temporales servos, et quomodo servus fidelis quoad dominum ejus.

CAPUT 1.

Fidem, et charitatem Philemonis commendat, quam in sanctos ostendebat, propter quam item gratiam ei et pacem precatur.

1. *Paulus vinctus Christi Jesu et Timotheus frater, Philemoni dilecto adjutori nostro.*
2. *Et Appiæ sorori charissimæ, et Archippo commilitoni nostro, et ecclesiæ quæ in domo tua est.*
3. *Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo.*
4. *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis.*
5. *Audiens charitatem tuam, et fidem quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos.*
6. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis operis boni in Christo Jesu.*
7. *Gaudium enim magnum habui et consolationem in charitate tua, quia viscera sanctorum requieverunt per te frater.*
8. *Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet.*
9. *Propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex.*

Epistolæ occasio ex hoc est. Apud enim Colossenses quidam Christianus magnus habuit quendam servum, qui furtim fugiens Romam, ab Apost. est baptizatus, pro quo et scribit. Et primo ponitur salutatio, secundo epistolaris narratio. In salutatione primo ponit personas salutantes, secundo salutatas, tertio bona optata. Dicit ergo : *Paulus*, quod est nomen venerandum omnibus fidelibus, qui sunt docti ab eo. *Vinctus*. (2 *Tim*. 2.) *Laboro usque ad vincula*. Nam tunc vinctus erat Romæ. Sed *Jesu Christi*, ubi ostenditur causa vinculorum. Laudabile enim valde est vinctum esse propter Christum, in hoc enim est beatificandus. (*Matth*. 5.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, etc*. (1 *Pet*. 4.) *Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, si autem ut Christianus non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine*. (*Act*. 5.) *Ibant Apostoli, etc*. — *Et Timotheus frater*. Fratres sunt quantum ad perfectam fidem. (*Phil*. 2.) *Nemi-nem habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit*. Ipsi autem Timotheum adjungit, ut facilius impetret, quia impossibile est preces multorum non exaudiri.

Deinde ponit personas salutatas. Et primo ponitur persona principalis salutata : secundo adjuncta. Item primo ponit maritum et uxorem, qui dominium domus habent, quibus obligatur servus. Philem. dilecto nostro adjutori, et Appiæ sorori charissimæ : *Dilecto* dicit propter bona opera. (*Joan*. 15.) *Hoc est præceptum meum, ut diligati invicem*. — *Adjutori*, quia submini trabat sanctis. (*Prov*. 18.) '*Frater* juvatur *a fratre*, *quasi civitas fir* Secundo ponitur persona adjunc cum dicit : *Archippo commilitoni* tro, qui ita erat potens Colossis, omnes Christiani erant sub u ejus. Et ideo inducit totam eccl ibi, cujus erat episcopus, sic sc (*Col. ult*.) *Dicite Archippo, vide terium, quod accepisti, etc*. Archippo commilitoni, quia

ti sunt sicut spirituales milites iæ. (2 *Cor.* 10.) *Arma militiæ* ? *non sunt carnalia, etc.* Et addit: *lesiæ, etc.* Hos superinducit: ut int eum ad exaudiendum. Bona exponuntur, ut consuetum est. inde cum dicit: *Gratias ago,* ir epistolaris narratio. Et primo ir gratiarum actio: secundo), ibi: *Propter quod,* tertio con-, ibi: *Itaque fratres.* Item primo rum actio ponitur, secundo ma-ictionis gratiarum, ibi: *Audiens,* causa propter quam Deo gratias ibi: *Gaudium enim magnum.* ergo: *Gratias ago Deo meo.* . 3.) *Et grati estote.* (*Phil.* 4.) *gratiarum actione,* quasi dicat: o gratias de præteritis, ut orem pro futuris. Et ideo dicit: *r memoriam tui faciens, etc.* 4.) *Eo quod habeam vos in corde, inculis meis.* (*Is.* 49.) *Nunquid mulier oblivisci infantem suum,* nendo autem materiam gratia-ictionis, et orationis, ostendit ro eo petendo orat. Materia au-ujus erat necessaria et bona oni, sc. et charitas et fides: nim charitate nihil aliorum valet, eam omnia habentur. (1 *Cor.* 13.) *juis hominum loquar, etc.* Item ide nullus Deum amare potest, on cognoscit vere Deum. De spe mentionem non facit, quia media t in his intelligitur. Sed in quo fidem et charitatem? *In Domino* (1 *Cor. ult.*) *Si quis non amat um nostrum Jesum Christum, ma sit.* Et hoc est necessarium, x Christo dulcius dilecto, deri-dilectio ad membra: quia non caput, qui non diligit membra. n. 4.) *Qui non diligit fratrem quem videt, Deum quem non quomodo potest diligere?* — *Et in omnes sanctos,* fides innititur doctrinæ prout est manifestata per Christum, quia Deum nemo vidit unquam. (*Joan* 1 *et* 14.) *Creditis in Deum, et in me credite,* et ideo per fidem habemus Christum. Sed quo ad sanctos pertinet, potest intelligi dupliciter. Uno modo, quia ex fide quam habent ad Christum procedunt obsequia impensa sanctis. Vel fides consistit in divinitate principaliter prout est annuntiata per Christum, sed non solum per Christum, sed etiam per sanctos. (*Matth. ult.*) *Euntes ergo docete omnes gentes, etc.* Debemus ergo credere non solum dicta per Christum, sed etiam per sanctos. (*Hebr.* 2.) *Quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt in nos confirmata est.* — *Ut communicatio fidei,* hoc continuatur dupliciter. Uno enim modo, ut sit signum. Et est sensus, ut communicatio, etc. id est, tanta est charitas tua, ut communicatio fidei tuæ, etc. Vel aliter: *Gratias ago et memoriam, etc.* ut sc. ostendat quid pro eo petat orando. Et potest intelligi communicatio fidei dupliciter. Vel quia in fide communicabat cum omnibus sanctis, non habens aliam fidem novam, ut hæretici. (1 *Cor.* 1.) *Idipsum dicatis omnes, etc.* Vel communicatio, qua bona communicas sanctis, procedens ex fide. (1 *Tim. ult.*) *Divitibus hujus seculi præcipe non altum sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis, etc.* — *Evidens fiat,* id est, ut bonum latens in corde evidens fiat per bona opera. *In agnitione omnis boni,* sc. quod a te fit. Et hoc *In Jesu Christo,* id est, pro Jesu Christo. (*Jac.* 2.) *Ostende mihi fidem tuam sine operibus, et ego tibi ostendam ex operibus fidem meam.* Vel aliter: Multa sunt opera in mundo, quæ sunt bona hominibus, et tamen

Deo non sunt bona, quia non recte fiunt. (*Prov.* 14.) *Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* (*Eccl.* 8.) *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent in loco sancto erant, et laudabantur in civitate quasi justorum operum.* Sed hoc manifestatur per fidem rectam, quando consequitur præmium a Deo, qui non remunerat nisi recta. Et ideo dicit : In agnitione, id est, ut hoc evidens fiat, quod cognoscas omne bonum. Vel quod cognoscatur in te omne bonum, quod est fruitio divinitatis. (*Exod.* 33.) *Ostendam tibi omne bonum.* (*Sap.* 7.) *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Causa autem propter quam gratias agit, est gaudium. Et ideo dicit : *Gaudium enim magnum habui.* (3 *Joan. cap. unic.*) *Majorem horum gratiam non habeo, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Hoc enim gaudium alleviabat pressuras. Unde addit : *Et consolationem.* (*Ps.* 93.) *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Cujus rationem assignat, dicens : *Quia viscera sanctorum requieverunt per te frater.* (*Col.* 3.) *Induite vos ergo sicut electi Dei sancti et dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, etc.* (3 *Joan. cap. unic.*) *Charissime, fideliter agis quicquid operaris in fratres, et hoc in peregrinos, etc.*

Deinde cum dicit : *Propter quod, etc.* ponitur petitio, et primo fiducia petendi, secundo ipsa petitio, ibi : *Obsecro,* tertio ejus ratio, ibi : *tan.* Dicit ergo : propter quod, quia : sic abundas charitate. *M fiduciam habeo in Christo Jesu,* dicat : Non ex me, sed ex auct Jesu Christi, in cujus fide te Et ideo possum tibi imperare, ı ter, sed quod *Ad rem,* sc. tuam *net,* vel communem, alias prælat habet potestatem imperandi sibi quam, nisi quod vel est ad ejus tatem, vel ecclesiæ, vel bonoru rum Christianæ religionis. *Propter charitatem magis o* (*Prov.* 18.) *Cum obsecrationib quitur pauper.* Et quare? Cert sis talis, etc. Sunt duo propte quis debet obsecrari, sc. ætas se tis. (1 *Tim.* 4.) *Seniorem ne in veris, sed obsecra ut patrem, etc* honestas virtutis, ubi enim n linquimus, pares sumus. (*Ecc Rectorem te posuerunt, noli extoı to in illis quasi unus ex ipsis.* ergo: *Cum sis talis, ut Paulus* quasi dicat : Si esses puer præci tibi hoc, sed tu es senex. Item si sed talis es vitæ, quod es mi milis. Non quod talis et tantus si pliciter, sed aliquo modo si quod dicit ex sua humilitate. 12.) *Honore invicem prævent* Origenes, Paulus diu vixit in fide versus enim fuit adolescens, nu cit, ut senex. Origenes. Raro doctor invenitur in ecclesia qu longævus. Exemplum de Pet Paulo.

LECTIO 2.

Pro Onesimo orat, quem in vinculis Christo genuerat, dicens, se maxime erga eum charitate affectum. Demum vult sibi hospitium parari, ac more suo epistolam signat.

9. *Nunc autem et vinctus Jesu Christi.*

10. *Obsecro te pro meo filio quem genui in vinculis, Onesimo.*

11. *Qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi et tibi utilis.*

12. *Quem remisi tibi. Tu autem, illum, ut mea viscera, suscipe.*

13. *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis evangelii.*

14. *Sine consilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium.*

15. *Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut in æternum illum reciperes.*

16. *Jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi, et in carne, et in Domino.*

17. *Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me.*

18. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa.*

19. *Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod et teipsum mihi debes.*

20. *Ita frater, ego te fruar in Domino, refice viscera mea in Christo.*

21. *Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super illud quod dico, facies.*

22. *Simul et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.*

23. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu.*

24. *Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adjutores mei.*

25. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, cum spiritu vestro. Amen.*

Posita fiducia Apostoli de bonitate Philemonis ponit hic suam petitionem. Et primo ostendit personam pro qua petit; secundo ex hoc petitionem concludit, ibi : *Tu autem illum*. Circa primum duo facit, quia primo describendo personam ostendit eam sibi acceptam ex spirituali generatione : secundo ex morum mutatione. Dicit ergo : vere sum exaudiendus, quia petitio continet honestatem et pietatem pro meo filio Onesimo, de quo est præsens mea sollicitudo. Et acquirens filium tempore defectus magis eum diligit, ut senex filios in senectute genitos. (*Gen.* 37.) *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios suos, eo quod in senectute genuisset eum*. Hunc autem genuit in vinculis. Secundo est mutatio in moribus. Si enim in peccato perseverasset, non fuisset dignus venia. Et nota quod minus dicit, et plus significat. Docet enim Tullius, quod quis factum suum debet attenuare quantum potest. Sic Apostolus leviter de culpa hujus loquitur, dicens : *Inutilis*, id est, nocivus in subtrahendo res tuas, nunc autem conversus a malo ad statum virtutis utilis est ad servitium Dei et hominum. (2 *Tim.* 2.) *Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* (*Prov.* 25.)

Aufer rubiginem de argento, et egredietur vas purissimum.

Deinde cum dicit : *Tu autem illum*, ponit petitionem suam. Et primo ponitur petitio. Secundo respondet quæstioni, ibi : *Quem ego*. Dicit ergo : *Tu ergo illum, ut mea viscera suscipe*. Et hoc ideo, quia vidi eum emendatum, cujus signum est, quia eum remisi tibi. Contra (*Deut.* 23.) *Non trades servum Domino, qui ad te confugerit, etc.* Respondeo : verum est quando Dominus quærit eum ad mortem, et ideo dicit : *Tu autem, etc.* (*Phil.* 1.) *Eo quod habeam vos in corde, et in vinculis meis et in defensione, etc.* Et respondet quæstioni, quia posset dicere : Si est utilis tibi, quare non retines eum usque ad mortem? ideo dicit, quæ est causa mittendi eum. Primo autem ostendit propositum retinendi eum. Secundo quare destitit a proposito, ibi : *Sine consilio autem tuo*. Dicit ergo Philemoni, qui licet esset magnus, tamen Apostolo solitus erat ministrare. (*Matth.* 20.) *Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.* Unde ex hac fiducia proposuit eum tenere, ut loco ejus sibi ministraret. Unde dicit : *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te, etc.* Quod erat maxime necessarium, quando erat in vinculis propter Christum. Est enim providendum quando quis patitur pro domino suo. Ratio autem quare destitit est, quia noluit uti re aliena ignorante domino. Unde dicit : *Sine consilio, etc.* quasi dicat : si retinuissem eum, jam placeret tibi non valenti resistere, et esset quædam coactio. Sed sic nolui, imo magis volui, quod voluntarie fieret. (*Exod.* 25.) *Ab omni homine qui offert ultroneus, accipietis eas*, sc. primitias. (2 *Cor.* 9.) *Non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit*

Deinde cum dicit : *Forsitan* ponit rationem quare debet eum pere benigne. Et primo ex part secundo ex parte ipsius Apostol *Si ergo habes*. Tertio ex parte Philemonis, ibi : *Confidens*. Ex Dei, quia sæpe Dei provide quod videtur malum permittit ut exinde sequatur bonum, u de Joseph vendito, ut liberaret tum et familiam patris. (*Gen* *Pro salute enim vestra misit m ante vos*. Et dicit : *Forsitan* q comprehensibilia sunt Dei j (*Rom.* 11.) Et dicit : *pro servo*, loco servi. (*Matth.* 25.) *Omnes vos fratres estis*. Et non solu sed mihi in comparatione ad licet sit filius ministerio. *Quan gis tibi, et in carne et in Do* quod dupliciter potest exponi modo, quod referatur ad prima ginem divinæ creationis, et sic ter. (*Deut.* 32.) *Nonne est ips tuus, qui possedit et fecit, et te?* (*Malach.* 2.) *Nunquid non unus omnium nostrum, nunqu Deus unus creavit nos?* Item per fidem, vel magis erat in Philemoni, quia affinis ejus sec carnem, quia secundum eam er vus ejus, quia hoc totum quod carnaliter erat suum. Unde ratione quis movetur ex charit ex amore, secundum carnis ori et ex amore spirituali. Ex parte Apost. primo allegat suam ami sub cujus obtentu vult eum s Secundo fidejubet pro eo de Tertio ostendit receptionis of Secundum, ibi : *Si autem*. Te ibi : *Itaque frater*. Dicit ergo : *habes me socium, suscipe ill* Joan. 1.) *Si autem in luce ambu sicut et ipse est in luce, societat*

benus ad invicem. Et dicit : *Sicut et me,* quiajunctus est mihi. (*Matth.* 10.) *Qui vos recipit, me recipit.* Secundo autem obligat se pro eo satisfacturum pro damno. Dicitergo : *Si aliquid nocuit*, sc. dimittens servitium tuum, *Hoc mihi imputa,* quasi dicat : Ego satisfaciam. (*Gal. ult.*) *Alter alterius onera portate.* Et plus, quia primo promittit se soluturum. Secundo ostendit eum esse debitorem ad hoc non necessitatis , sed voluntatis. Dicit ergo : *Ego Paulus,* quasi dicat : ut certus sis de restitutione. *Scripsi manu.* Et hoc non est necessitas, quia tu debes mihi teipsum, quem erui a morte æterna. Et talis debetse liberatori. (*Tob.* 9.) *Si meipsum tradam tibi servum, non ero condignus providentiæ tuæ.* Et subjungit dicens : *Itaque frater ego te fruar,* quasi dicat : Si vis me habere socium, suscipe eum, et ego ita fruar te, frater, id est, si feceris, implebis voluntatem meam gaudiis. Nam frui est uti fructu, et sicut est uti ad utile, sic frui ad fructum. Importat autem fructus dulcedinem. (*Cant.* 2.) *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Item finem, quia ultimum de arbore est fructus. Et ideo proprie est habere aliquid ut delectabile et finale. Et inde est quod dicit August. Fruimur cognitis, in quibus voluntas delectatur propter dulcedinem. Item frui est alicui inhærere propter se. Aliquando ergo accipiuntur frui et uti communiter prout important delectationem absque contrario. (*Eccl.* 8.) *Fruere magnatis sine querela.* Dicit ergo : Sic fruar, quia in nullo mihi contrarius es. Etsi in hoc mihi satisfacies, nihil erit in corde meo de te, quod contristet me, et sic delectabis me. Si autem accipitur frui prout finale quid est sic non est fruendum homine, sed solo Deo. Contra quod est illud (*Sap.* 2.) *Fruamur bonis, quæ sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter, etc.* Unde iste addit : *In Domino,* id est, fruar te in delectatione Dei , gaudens de bono divino in te, quia ejus actus est dilectio, et fruitio effectus , sc. charitatis. Ideo additur : *In hoc refice viscera mea.* Reficitur enim homo spiritualiter , quando satisfit desideriis animæ suæ. Ac si dicat :Imple desideria intima cordis mei, et non in malis , sed *in Christo,* et ideo bona est impletio desiderii.

Deinde cum dicit : *Confidens,* sumitur ratio ex parte Philemonis , et commendatio obedientiæ ejus. Et primo ostendit quomodo confidit de obedientia ejus. Secundo injungit ei aliud simile. Dicit ergo : *Confidens, etc.* (2 *Cor.* 7.) *Gaudeo, quod in omnibus confido in vobis.* (1 *Reg.* 15.) *Melior est obedientia quam victimæ.* Sed plus caute scribit, quia homo magis exaudit aliquem, quando sperat iterum ipsum visurum, quam si desperat. Et ideo dicit : *Simul et para mihi hospitium.* Solitus enim erat cum esset Colossis hospitari in domo sua. Chrysostomus : Jucundum verbum, ut homo pauper diviti mandet ultra tot terrarum spatia per epistolam præparationem hospitii. Quid enim pro eo parandum erat, qui pane et vili pulmento contentus erat ? Dicendum ergo , quod non propter hospitii præparationem , sed ad insinuandum familiaritatem et dilectionem hoc dicit : et magis per hoc provocat eum ad obediendum. Hæc ille. Non ergo hoc Apostolus dixit propter apparatum exteriorem, sed ad devotionem ejus. *Nam spero per orationes vestras, etc.* Contra , nunquam fuit eis redditus, sed Romæ est mortuus, ergo spes ejus defecit. Respon-

deo : Duplex est spes justi, sc. principalis ad proprium bonum. Et in hoc nunquam deficit pro se. Alia est secundaria, sc. probatio aliorum, et in hoc quandoque deficit, quia merita illorum contrariantur, sicut justi quandoque non exaudiuntur pro aliis. Sed nunquid fuit deceptus de sua fiducia ? Dicendum est, quod futura scire est solius Dei, non autem in cognitione humana nisi prophetica. Et nullus prophetarum scivit omnia futura de seipso, nisi solus Christus, qui non habuit Spiritum Sanctum ad mensuram. Sic Isaac magnus propheta fuit deceptus in Jacob. Unde non est mirum de Apostolo si nesciret. Tunc terminat epistolam in salutationem : et primo ex parte aliorum : secundo ex parte sua. Dicit ergo : *Salutant, etc.* De his omnibus habetur (*Col.* 4.) Sed dubitatur de hoc, quod dicit : *Demas.* Quomodo potest hoc esse, quia dicitur (2 *Tim. ult.*) Demas dereliquit me, dilig seculum. Quomodo ergo uti mine ejus ? Dicendum est, q redierat ad Deum. Sed nec hc tur, quia hæc epistola prä secundam epistolam ad Tim quia hic dicitur : Spero, etc. nuntiat mortem suam, dic tempus meæ resolutionis ii ideo dicendum est, quod Pa Romæ fere novem annis, epistola fuit facta in princi cunda vero ad Timoth. in 1 suæ, et tunc Demas attæd longis vinculis, dimisit eum. tolæ Pauli non ordinantur s tempus, quia epistolæ ad fuerunt ante epistolam ad hæc fuit ante ultimam ad Et præmittitur illa propter n quia de digniori. Salutatio st est cum secunda ad Timoth. tias. Amen.

›IVI THOMÆ AQUINATIS

EXPOSITIO

SUPER EPISTOLAM

S. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

PROLOGUS.

st similis tui in diis, Domine, t secundum opera tua. (*Ps.* 85). s istis exprimitur Christi ex- . quantum ad duo. Et primo n ad comparationem ad alios um dicit : Non est similis tui Domine. Secundo per compa- n ad effectus, cum dicit : et ; secundum opera tua. Circa ı sciendum est, quod licet sit unus Deus naturaliter, ut di- *Deut.* 6.) *Dominus Deus tuus, ıus est* : tamen participative et , et in terra sunt dii multi. 8.) *Sunt quidem dii multi et multi.* Nam dii, quandoque ır ipsi Angeli, ut patet (*Job.* 1 *um venissent filii Dei, ut assis- coram Domino.* Et quandoque tæ, ut dicitur de Moyse. (*Exod.* *ınstitui te Deum Pharaonis.* ı sacerdotibus dicitur (*Exod.* 22.) *Diis*, id est, sacerdotibus, *non detrahes.* Item ibi : Si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos. Sed angeli dicuntur dii, propter abundantissimam refulgentiam divinæ claritatis. (*Job.* 25.) *Super quem non fulget lumen illius.* Angeli vero non sunt similes Christo in diis, qui est splendor paternæ gloriæ, ut dicitur (*infra* 1 *Ephes.*) *Constituens eum ad dexteram in cœlestibus supra omnem principatum, etc.* Prophetæ vero dicuntur dii, quia ad ipsos sermo Dei factus est. (*Joan.* 10.) Illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, ergo multo excellentius est Deus Christus, qui est substantialiter ipsum verbum Dei. (*Joan.* 1.) Sacerdotes vero dicuntur dii, quia Dei ministri. (*Is.* 61) *Vos sacerdotes Domini vocabimini ministri Dei.* Sed Christus multo fortius, qui non est minister, sed Dominus uni-

versorum. (*Esth.* 4.) Item (*Apoc.* 19.) *Dominus dominantium.* Et (*Infra.* 3.) *Tanquam dominus in omni domo sua.* Christus ergo Deus magnus super omnes deos, quia splendor, quia verbum, quia Dominus est. Secundo manifestatur hæc excellentia per effectus, cum dicitur: Et non est secundum opera tua, ubi sciendum est quod triplex est opus excellens Christi. Unum quod se extendit ad totam creaturam. sc. opus creationis. (*Joan.* 1.) *Omnia per ipsum facta sunt.* Aliud quidem tantum ad creaturam rationalem, quæ per Christum illuminatur, quod est illuminationis. (*Joan.* 1.) *Erat lux vera, etc.* Tertium est justificationis, quod pertinet tantum ad sanctos, qui per ipsum per gratiam vivificantem, vivificantur et justificantur. (*Joan.* 1.) *Et vita erat lux hominum.* His enim tribus modis non possunt operari dii prædicti. Angeli enim non sunt creatores, sed creaturæ. (*Ps.* 103.) *Qui facis angelos tuos Spiritus, etc.* Prophetæ etiam sunt illuminati non illuminantes. (*Joan.* 1.) *Non erat ille lux, etc.* Sacerdotes etiam non justificabant. (*Infra* 10.) *Impossibile est enim sanguine hircorum et taurorum auferri peccata.* Ergo manifeste in verbis istis demonstratur Christi excellentia, et hæc est materia hujus epistolæ ad Hebræos, quæ ab aliis distinguitur, quia in quibusdam epistolis agitur de gratia novi testamenti quantum ad totum corpus mysticum Ecclesiæ, et hoc in omnibus epistolis quas mittit Ecclesiis, in ea, sc. quæ est ad Roman., ad Corinth., ad Galatas, et usque ad primam ad Timotheum. In quibusdam vero quantum ad membra principalia, sicut in his quas mittit singularibus personis, sc. ad Timotheum, ad Titum, et ad Philemonem. In ista vero commendat ipsam gratiam quantum ad caput, sc. Christum: in corpore enim Ecclesiæ ista tria reperiuntur sicut et in corpore naturali, sc. ipsum corpus mysticum, membra principalia, sc. prælati et majores, et caput, a quo vita fluit in totum corpus, sc. Christus.

Sed antequam accedamus ad divisionem, sciendum est quod ante synodum Nicænam, quidam dubitaverunt an ista epistola esset Pauli. Et quod non, probant duobus argumentis. Unum est, quia non tenet hunc modum quem in aliis epistolis. Non enim præmittit hic salutationem, nec nomen suum. Aliud est, quia non sapit stylum aliarum, imo habet eleganti orem, nec est aliqua scriptura quæ sic ordinate procedat in ordine verborum, et sententiis, sicut ista. Unde dicebant ipsam esse vel Lucæ evangelistæ vel Barnabæ, vel Clementis papæ. Ipse enim scripsit Atheniensibus quasi per omnia secundum stylum istum. Sed antiqui doctores, præcipue Dionysius, et aliqui alii accipiunt verba hujus epistolæ pro testimoniis Pauli. Et Hieronymus illam inter epistolas Pauli recipit. *Ad* primum ergo dicendum est, quod triplex ratio fuit quare non posuit nomen suum. Una est, quia non erat Apostolus Judæorum, sed Gentium. (*Gal.* 2.) *Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes, etc.* Et ideo non fecit mentionem de apostolatu suo in principio hujus epistolæ, quia nolebat officium sui apostolatus insinuare, nisi ipsis gentibus. Secunda, quia nomen suum Judæis erat odiosum cum diceret legalia non debere servari, ut patet (*Act.* 22.) Et ipsum tacuit, ne saluberrima doctrina hujus epistolæ abjiceretur Tertia, quia Judæus erat: Hebræi sunt, et ego. (2 *Cor.* 11.) Et domestici non bene sustinent excellentiam suorum. Non est

propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua. (*Matth.* 13.) Ad argumentum secundum, dicendum est, quod ideo est elegantior in stylo, quia etsi sciebat omnem linguam, (1 *Cor.* 14.) *Omnium vestrum lingua loquor*, tamen melius sciebat Hebræam tanquam sibi magis connaturalem, in qua scripsit epistolam istam. Et ideo magis ornate potuit loqui, in idiomate suo, quam in aliquo alio. Unde dicit: Etsi imperitus sermone, sed non scientia. (2 *Cor.* 11.) Lucas autem qui fuit optimus prolocutor, istum ornatum transtulit de Hebræo in Græcum.

CAPUT I.

Per originis proprietatem. per dominii magnitudinem et per virtutis operationem commendatur Dei filius Jesus Christus.

1. *Multipharie multisque modis olim Deus loquens patribus in prophetis,*
2. *Novissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit et secula.*

Scripsit autem epistolam istam contra errores quorumdam, qui ex Judaismo ad fidem Christi conversi, volebant servare legalia cum evangelio, quasi non sufficeret gratia Christi ad salutem. Unde et dividitur in duas partes. Primo enim multipliciter commendat excellentiam Christi, ut per hoc præferat novum testamentum veteri: secundo agit de his per quæ membra junguntur capiti, sc. de fide (*infra* 11 *cap.*) ibi: *Est autem fides.* Intendit autem ostendere excellentiam novi ad vetus testamentum, per excellentiam Christi, quantum ad tres personas solemnes in ipso veteri testamento contentas, sc. angelos, per quos lex tradita est: (*Gal.* 3.) *Ordinata per angelos in manu mediatoris, etc.* Quantum ad Moysen, a quo vel per quem data est. (*Joan.* 1.) *Lex per Moysen data est.* Et (*Deut. ult.*) *Non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses cui locutus est Dominus facie ad faciem, etc.* Quantum ad sacerdotium per quod ministrabatur, (*Infra* 9.) In priori tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, etc. Unde primo præfert Christum angelis, secundo Moysi 3 cap. ibi: *Unde fratres.* Sed tertio sacerdotio veteris testamenti, 5 cap. ibi: *Omnis namque pontifex.* Circa primum duo facit, quia primo præfert Christum angelis in isto cap. Secundo concludit qualis reverentia exhibenda sit novæ legi, 2 cap. ibi: *Propter hoc abundantius.* Adhuc circa primum duo facit, quia primo excellentiam Christi ostendit; secundo probat, quod hoc verum sit de Christo, et sic angelos deficere ab illa excellentia, ibi: *Tanto melior.* Hoc autem est in hac epistola singulare quod singula verba habent singulas sententias, et servant ordinem suum. Excellentiam vero Christi denotat, quantum ad quatuor. Primo quantum ad proprietatem originis vocando eum verum Dei filium naturalem, cum dicit: *Locutus est nobis in filio.* Secundo quantum ad magnitudinem dominationis, ibi: *Quem constituit hæredem universorum.* Tertio quantum ad virtutem operationis, ibi: *Per quem fecit et secula.* Quarto quan-

tum ad sublimitatem dignitatis, ibi : *Qui cum sit splendor gloriæ.* Quia vero intendit commendare Christum, ut hoc redundet in novum testamentum, per hoc præfert novum testamentum veteri.

Circa autem vetus testamentum quinque ponit : primo modum tradendi, qui multifarie multisque modis, etc. Secundo tempus, cum dicit : *Olim.* Tertio auctorem, sive datorem, quia Deus : quarto quibus sit traditum, quia patribus nostris : quinto quibus ministris, quia in prophetis. Dicit ergo: *Multifarie*, et hoc quantum ad divisionem, quæ attenditur quantum ad tria. Primo quantum ad diversas personas, quia non uni personæ, sed pluribus, sc. Abrahæ, Noe, et sic de aliis. Secundo quantum ad diversa tempora, et hoc totum ad ejus certitudinem. Unde (*Matth.* 20.) *Exiit primo mane, et circa horam tertiam, etc.* Item quantum ad ea, quæ ibi ostensa sunt, quia divina. (*Exod.* 3.) *Ego sum, qui sum, etc.* Item eventus futuri. (*Sap.* 8.) *Signa et monstra scit antequam fiant, etc.* Item promissiones futurorum bonorum, saltem in figura. (*Eccl.* 5.) *Plurima super sensum hominum monstrata sunt tibi.* Item multifarie quantum ad diversas figuras, quia modo in figura leonis, modo in figura lapidis, sicut (*Dan.* 2.) *Abscissus est lapis de monte sine manibus.* (*Job.* 11.) Et quod multiplex sit lex oris ejus. Sequitur : *Multisque modis,* quod refertur ad tria diversa genera visionum, sc. ad visionem corporalem, sicut (*Dan.* 5.) *Apparuerunt digiti quasi manus scribentis in pariete, etc.* Aliquando aliquibus per visionem imaginariam. (*Is.* 6.) *Vibi dominum sedentem, etc.* Aliquibus vero apparebat per visionem intellectualem, sicut [illegible]d. (*Ps.* 118.) *Super senes intellexi.* Unde de istis dicitur (*Oseæ* 12.) *Ego visionem multiplicavi eis.* Refertur etiam ad diversos modos loquendi, quia aliquando plane loquebatur, aliquando vero obscure, nec est aliquis modus loquendi, quo scriptura veteris testamenti non loquatur. (*Prov.* 22.) *Ecce descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus et scientia, etc.* Tertio, quia arguendo malos, alliciendo justos, instruendo ignorantes. (2 *Tim.* 3.) *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, etc.* Secundo tangit tempus traditionis hujus doctrinæ, quod est tempus præteritum, quia *Olim,* id est, non subito, quia tam magna erant quæ de Christo dicebantur, quod non poterant credi, nisi cum incremento temporum prius didicissent. Unde dicit beatus Gregorius, per successiones temporum crevit divinæ cognitionis augmentum. (*Is.* 48.) *Priora ex tunc annuntiavi, et ex ore meo exierunt, et audita feci ea, etc.* Tertio tangit auctorem, quia *Deus,* qui loquitur. (*Ps.* 84.) *Audiam quid loquatur in me Dominus.* Hic est autem, qui non mentitur. (*Num.* 23.) *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Ex his autem tribus commendat vetus testamentum, sc. ab auctoritate quia est a Deo. A subtilitate et a sublimitate, quia *Multifarie multisque modis.* A firmitate, quia olim. Quarto ostendit quibus traditum sit, quia *Patribus.* Et ideo est nobis familiare, et acceptum. (*Act.* 13.) *Annuntiamus vobis eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est, etc.* Sed 5. ostendit quibus ministris, quia non joculatoribus, sed *In prophetis,* id est per prophetas. (*Rom.* 1.) *Quod ante promiserat per prophetas.* — (*Act.* 10.) *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent.*

Deinde cum dicit : *Novissime*, describit doctrinam novi testamenti, et ponit quinque, quorum quatuor sunt diversa a quatuor præmissis : unum autem est idem utrobique. Quod enim dixerat, multifarie multisque modis, etc. ostendit quia omnis multitudo ordinata, ad unum debet referri. Ideo dicit, quod licet sit modus multiplex, tamen totum ordinatum est ad istud novissimum. (*Prov.* 23.) *In timore Domini esto tota die, et habebis spem in novissimo.* — (*Is.* 10.) *Consummatio abbreviata inundabit justitiam. Consummationem enim et abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Item illud olim in tempore expectationis et tenebrarum, sed istud, *In diebus istis*, id est, tempore gratiæ. (*Rom.* 13.) *Nox præcessit, dies autem appropinquavit, etc.*

Ubi notandum est, quod ibi dicit loquens, hic autem dicit: locutus est, ut designet locutionem novi testamenti perfectiorem illa, quæ fuit in veteri. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod tria requiruntur ad locutionem nostram. Primo, verbi conceptio, qua sc. præconcipiatur in mente id quod ore loquendum est. Secundo ipsius verbi concepti expressio, qua insinuetur quod conceptum est. Tertio ipsius rei expressæ manifestatio, qua res expressa evidens fiat. Deus ergo loquendo primo concepit, cujus conceptio una fuit, et ab æterno. (*Job.* 32.) Semel loquitur Deus, et hæc æterna fuit filii generatio, de qua in (*Ps.* 2.) *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Secundo, hujusmodi conceptum expressit, et hoc tripliciter. Primo in creaturarum editione, cum sc. verbum conceptum similitudo patris existens, sic etiam similitudo ad quam omnes creaturæ factæ sunt. (*Gen.* 1.) *Dixit Deus, fiat lux, etc.* Secundo per quasdam notiones, puta in mentibus Angelorum, in quibus species omnium rerum, quæ in verbo latebant indidit, et in mentibus hominum sanctorum, et hoc per revelationes sensibiles, vel intellectuales, vel imaginarias. Et ideo omnis talis manifestatio procedens a verbo æterno, locutio nuncupatur. (*Jer.* 1.) *Factum est verbum Domini, etc.* Tertio per carnis assumptionem, de qua dicitur (*Joan.* 1.) *Verbum caro factum est, et vidimus gloriam ejus, etc.* Et ideo dicit Aug. quod hoc modo se habet verbum incarnatum, ad verbum increatum, sicut verbum vocis, ad verbum cordis. Prima autem expressio, sc. in creatione, non ordinatur ad manifestationem. Manifestum est, quod illa expressio non potest dici locutio, et ideo nunquam dicitur, quod Deus loquatur creando creaturas, sed quod cognoscatur. (*Rom.* 1.) *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Secunda vero expressio, quæ est edictio specierum in mente angelica, vel humana, ordinatur tantum ad cognitionem sapientiæ divinæ, et ideo potest dici locutio. Tertia vero, quæ per assumptionem carnis, ordinatur ad esse, et ad cognitionem, et ad expressam manifestationem, quia per assumptionem carnis, et verbum factus est homo, et nos in cognitionem Dei perfectam. (*Joan.* 18.) *Ad hoc natus sum, ut testimonium perhibeam veritati*; et se nobis expresse manifestavit. (*Bar.* 4.) *Post hæc in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Sic ergo, licet Deus loquatur in novo et veteri testamento, perfectius tamen nobis loquitur, quia ibi per revelationes in mentibus hominum, hic per

omnis potestas, etc. Et hoc quantum ad totam creaturam in qua accepit dominationem. Item non tantum quo ad unum genus hominum, sed *Universorum*, sc. tam Judæorum, quam Gentium. (*Ps.* 2.) *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, etc.—Quem constituit hæredem universorum.* Ostensa excellentia Christi quantum ad proprietatem originis, hic ostendit excellentiam ejus, quantum ad majestatem dominii, et quidem congrue conjungit, locutus est in filio, et constitutus est hæres, quia si filii, et hæredes. (*Rom.* 8.) Sciendum est autem, quod in Christo sunt duæ naturæ, divina sc. et humana, sed secundum divinam naturam, sicut non est constitutus filius, cum sit filius naturalis ab æterno, ita nec est constitutus hæres, sed ab æterno est hæres naturalis. Secundum vero naturam humanam, sicut est factus filius Dei : (*Rom.* 1.) *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*, ita et factus est hæres universorum. Et quantum ad hoc dicit: *Quem constituit hæredem*, id est, dominum universorum. (*Matth.* 21.) *Hic est hæres, venite et occidamus eum.* (*Mich.* 1.) *Adhuc hæredem adducam tibi, qui habitas in Maresa, usque ad Odollam, veniet gloria Israel.* Et quidem secundum divinam naturam competit Christo, quod sit hæres genitus, et Dominus. Et primo quidem, quia ipse est Dei virtus, et Dei sapientia. (1 *Cor.* 1.) *Per quem pater omnia fecit.* Et ideo si pater dicitur Dominus omnium, ratione creationis, similiter et filius, per quem omnia producuntur in esse, Dominus est. (*Prov.* 8.) *Cum eo eram cuncta componens.* Secundo quia filius est patris sapientia, qua omnia gubernat. (*Sap.* 8 dicitur de sapientia : *Attingit a fine usque ad finem, etc.* Si ergo pater dicitur Dominus ratione gubernationis : (*Sap.* 8.) *Tu autem pater gubernas omnia, etc.* Et filio competit dominium. Item pater est Dominus, inquantum ad ipsum omnia ordinantur, sicut ad primum principium, et finem omnium, similiter et filius, qui est Dei sapientia, præcedens omnia, Dominus est. (*Eccl.* 1.) *Sapientiam Dei præcedentem omnia, quis investigabit?* (*Sap.* 16.) *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Secundum humanam vero naturam competit etiam Christo, quod sit constitutus hæres, et Dominus universorum. Primo quidem ratione unionis, ex hoc sc. ipso, quod assumptus est homo ille in persona filii Dei. (*Act.* 3.) *Hunc Deus Dominum salvatorem constituit.* (*Eph.* 1.) *Constituit eum super omnem principatum, et potestatem, etc.* Secundo ratione potestatis, quia omnia ei obediunt, et serviunt. (*Matth. ult.*) *Data est mihi omnis potestas in cælo, etc.* Tertio ratione subjectionis. (*Ph.* 2.) *In nomine Jesu omne genu flectatur, etc.* Sed dicit universorum, quod refertur ad totius naturæ universitatem, in qua accepit dominium, secundum illud (*Ps.* 8.) *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Item refertur ad omne genus hominum, ut sit sensus. Universorum, id est, tam Judæorum, quam etiam omnium aliorum hominum, secundum illud (*Ps.* 2.) *Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, etc.* Et de hoc dicitur (*Esth.* 13.) *Dominus omnium tu es.*

Consequenter cum dicit : *Per quem fecit et secula*, ostendit virtutem operationis Christi, quare sit constitutus hæres universorum, non quod ipse sit factus in tempore, et hoc meruerit merito bonæ vitæ, sicut dicit Fotinus, sed quod æque omnia facta sunt per ipsum, sicut et per patrem. Per ipsum enim fecit pater secula. Sed sciendum

ıod ista præpositio, per, denotat ı actus. Sed hoc est dupliciter. ıodo, quia est causa factionis ex facientis, ut cum sc. causale cui itur, est causa actionis secun- ıod exit ab agente. Semper enim est medium inter faciens et ı. Potest ergo denotare circa causam finalem, ut artifex ope- per lucrum. Aliquando causam em, ut ignis calefacit per calorem. ndo vero causam efficientem ut ; operatur per regem. Nullo isto- ıodorum est filius causa patris, per illum operetur, sicut nec ıb ipso sit. Aliquando vero cau- t causa actionis, secundum quod atur ad factum, ut artifex ope- per martellum. Martellus enim t causa artificis, quod agat, sed ısa artificiato, quod ab artifice ıat, ut ferro, quod recipiat ope- ım ab artifice, et sic filius est acti, et pater operatur per filium. ınquid filius est minor patre? ıtur quod sic, quia illud quod est causa facti, ut fiat videtur habere rationem instrumenti. Sed ad hoc dicendum est, quod si non esset eadem virtus numero in filio et patre, et eadem operatio, teneret objectio. Nunc ergo eadem est virtus et operatio patris et filii, sicut et eadem natura et esse, et dicitur pater per eum facere secula, quia genuit eum operantem secula. (*Joan* 6.) *Quæcumque pater facit, et filius facit.* Seculum dicitur spatium rei temporalis. Secula ergo sunt successiones temporum : non ergo fecit tantum tempora sempiterna, secundum quod philosophi aliqui dixerunt Deum tantum fecisse sempiternum, et angelos creasse temporalia, sed etiam fecit temporalia, quæ vocat hic secula. (*Infra* 11.) *Fide intelligimus aptata esse secula.* (*Joan.* 1.) *Omnia per ipsum facta sunt.* In hoc ergo removet errorem Manichæi dupliciter. Primo in hoc quod dicit eum actorem veteris testamenti, secundo quod dicit ipsum fecisse temporalia.

LECTIO 2.

itur Christi excellentia ex altitudine gloriæ, quæ est ad dexteram Patris in excelsis sedere.

cum sit splendor gloriæ, et figura tantiæ ejus, portansque omnia o virtutis suæ, purgationem pec- um faciens, sedet ad dexteram statis in excelsis.

erius ostendit Apostolus Christi ntiam quantum ad originis pro- em, quantum ad dominii majes- et quantum ad operationis vir- : hic autem ostendit ejus excel- ı quantum ad gloriæ et dignita- limitatem. Et pars ista dividitur ;. Primo enim ostendit Christum esse idoneum ad dignitatem istam. Secundo ponit ipsam dignitatem, ibi, *Sedet ad dexteram.* Idoneitatem vero ostendit ex duobus, quæ reddunt aliquem idoneum ad aliquid magnum; unum est facilitas administrandi, aliud est industria et strenuitas exequendi. Primo ergo ostendit ejus facilitatem, secundo ejus strenuitatem, ibi : *Purgationem peccatorum faciens.* Circa primum sciendum est, quod tria requiruntur, quæ faciunt facilitatem ad dignitatem aliquam ministrandam. Pri-

mum quidem sapientia, ne erret gubernando. (*Eccl.* 10.) *Est et malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie principis positum stultum in dignitate sublimi.* (*Prov.* 8.) *Per me reges regnant.* Secundum est generis prosapia, ne contemnatur præcipiendo. (*Prov. ult.*) *Nobilis in portis vir ejus, cum sederit cum senatoribus terræ.* Tertium virtutis potentia in exequendo. (*Eccl.* 7.) *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et quantum ad ista tria Apostolus ostendit in Christo facilitatem ad dignitatem prædictam. Primo quia non solum est sapiens, sed etiam ipsa sapientia. Unde dicit : *Cum sit splendor gloriæ.* Secundo quia non solum est nobilis, sed est ipsa nobilitas, quia est *Figura substantiæ ejus.* Tertio quia non solum est potens, sed est ipsa potentia. *Portans omnia verbo, etc.* Tria autem sunt ut supra dictum est, quæ faciunt hominem idoneum ut magnam dignitatem assequatur. Primum est sapientiæ claritas. (*Prov.* 3.) *Gloriam sapientes possidebunt.* Et ideo ostendit Christi sapientiam, dicens : *Qui cum sit splendor gloriæ.* Ubi est considerandum, quod secundum Ambrosium, gloria est clara cum laude notitia, quasi quædam manifesta notitia, quæ de bonitate alicujus habetur. Sed sicut dicitur (*Matth.* 19.) *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et etiam (*Luc.* 18.) Unde ipse est bonitas antonomastice et per essentiam. Alia vero bona sunt per participationem, et ita soli Deo convenit gloria antonomastice. (*Is.* 42.) *Gloriam meam alteri non dabo.* (1 *Tim.* 1.) *Regi autem seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria.* Cognitio ergo divinæ bonitatis, excellenter et antonomastice dicitur gloria, id est, clara cum laude notitia bonitatis divinæ. Ista aliqualiter habetur ab homine : quia nunc cognosco ex parte. (1 *Cor.* 13.) Sed habetur excellentius ab angelis, sed a solo Deo perfecte. Deum enim nemo vidit unquam. (*Joan.* 1.) Verum est nec angeli comprehensive, sed ipse solus seipsum comprehendit. Ergo sola cognitio Dei de seipso perfecte dicitur gloria, quia perfectam notitiam habet, et clarissimam de seipso. Quoniam autem splendor est illud quod a fulgente primo emittitur. Sapientia vero est quiddam fulgens. (*Eccl.* 8.) *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Inde est quod prima conceptio sapientiæ est quasi quidam splendor. Verbum ergo patris, quod est quidam conceptus intellectus ejus, est splendor sapientiæ, qua se cognoscit. Et ideo Apostolus filium vocat splenderem gloriæ, id est, divinæ claræ notitiæ. In quo ostendit ipsum non solum sapientem, sed sapientiam genitam. (*Is.* 62.) *Donec egrediatur, ut splendor justus ejus, etc.* Secundum, quod facit hominem idoneum ad magnam dignitatem, est generis nobilitas. Et hoc ostendit esse in Christo, quia dicit, quod est *Figuræ substantiæ ejus.* Decet enim cum sapientia esse nobilitatem in principe. (*Deut.* 1.) *Tulique de tribubus vestris sapientes et nobiles, et constitui eos principes, etc.* Figura hic ponitur pro charactere, vel imagine, quasi dicat: imago substantiæ. Sciendum tamen, quod licet imago dicat similitudinem, non tamen quælibet similitudo est imago. Albedo enim in pariete non est imago albedinis meæ, sed imago et similitudo in specie.

Illud ergo proprie dicitur esse imago alicujus, quod habet similitudinem speciei ejus, vel expressum signum speciei. Inter accidentia vero, nihil ita est expressum signum, sicut speciei est figura. Unde qui describit

figuram animalis, describit imaginem ejus. Filius ergo, qui est imago invisibilis Dei : *Ad Coloss.* 1 proprie dicitur figura. Sed cujus? *Substantiæ ejus.* Imago enim alicujus est multiplex. Aliquando enim est signum repræsentans speciem in nullo cum ipsa conveniens, sicut imago hominis in pariete, quæ in nullo habet veram speciem hominis. Aliquando vero assimilatur ei in specie, non tantum in representando, sed etiam in essendo, sicut filius est imago vera patris. (*Gen.* 5.) *Adam genuit filium ad imaginem suam,* id est, in natura speciei, et ideo addit substantiæ ejus, quia secundum Augustinum, Filius dicitur imago patris, quia est ejusdem naturæ cum ipso. Dicit ergo, quod est figura substantiæ. Sed quare non dicit quod est figura naturæ? Quia possibile est, quod natura speciei multiplicetur ad multitudinem individuorum in compositis ex materia et forma. Unde filius Sortis non habet eandem naturam numero cum patre suo. Substantia vero nunquam multiplicatur. Non enim alia est substantia patris, alia filii. Nec enim dividitur secundum diversa individua. Quia ergo una et eadem est numero natura in patre et filio Dei : ideo non dicit naturæ, quæ dividitur, sed substantiæ indivisibilis. (*Joan.* 10.) *Ego et pater unum sumus.* Et 14. *Ego in patre, et pater in me est.* Tertium quod facit hominem idoneum, est virtus et potestas. Unde (*Eccl.* 7.) *Noli quærere esse judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et ideo ostendit virtutem cum dicit: *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Proprium autem principum et potentum est portare. (*Job.* 9.) *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Ipse ergo portat : sed videndum est quid portat, et quo, vel per quid. Quantum ad primum sciendum est, quod id quod de se nec stare, nec ambulare potest, indiget portari. Omnis autem creatura, de se nec subsistere, nec operari potest : primum patet, quia remota causa removetur effectus. Deus autem est causa omnis substantiæ, quia non minus est causa substantiæ rei quantum ad fieri, quam domificator est causa fieri domus, inde sicut ad absentiam domificatoris cessat fieri domus : et ad absentiam solis cessat fieri, et esse luminis, in aere : Ita ad subtractionem virtutis divinæ cessat et esse, et fieri, et subsistere omnis creaturæ. Portat ergo omnia quantum ad suum esse. Portat etiam omnia quantum ad operari : quia subtracta influentia ejus, cessat omnis motio causarum secundarum, cum ipse sit causa prima : et causa prima plus influit, quam secunda. (*Job.* 38.) *Super quo bases illius solidatæ sunt.* Sic ergo patet, quod omnia portat. Sed per quid portat? Verbo virtutis suæ. Quia enim Apostolus loquens de creatione rerum dixit, quod Deus omnia fecit per filium : quia sc. dixerat per quem fecit et secula. Ille autem per quem aliquis operatur, non videtur virtute sua operari, sed virtute ejus, qui per eum operatur, sicut balivus per quem rex operatur, non operatur virtute propria. Ergo per hoc videtur, quod filius non operetur virtute propria. Ideo dicit Apostolus quod portat *Verbo virtutis suæ,* quia cum idem sit causa essendi, et conservandi, cum dicit, quod filius virtute sua est causa conservationis, ostendit quod etiam est causa essendi. Sed nunquid non virtute patris? utique, et ejus virtute, quia eadem est virtus utriusque : Operatur ergo et virtute propria, et virtute patris, quia virtutem suam habet a patre : nec tamen

dicit Apostolus virtute sua, sed verbo virtutis suæ : ad ostendendum quod sicut pater omnia per verbum produxit: (*Ps.* 32.) *Ipse dixit et facta sunt, etc.* In quo ostenditur maxima virtus patris, ita filius eodem verbo, quod est ipse, omnia fecit. Et in hoc ostendit Apostolus potentiam virtutis suæ, quia eamdem habet cum patre, quia eadem operatur, et per idem quo ille. Sed tunc est dubium : quia pater cum dicit, producit verbum. Ergo filius cum dicit, produceret verbum, et sic verbum patris esset verbum filii. Et ad hoc dicunt Græci, quod sicut filius est imago patris, ita Spiritus Sanctus est imago filii. Et sic exponit Basilius. Portans verbo virtutis suæ, id est, Spiritu Sancto. Nam sicut filius est verbum patris, ita ut dicunt, Spiritus Sanctus est verbum filii. Et ideo per ipsum facit filius, sicut per filium pater. Verumtamen proprie loquendo, verbum non dicitur nisi quod procedit ut conceptus ab intellectu, ad quod sequitur procedere in similitudinem speciei. Spiritus autem Sanctus et si sit similis, non tamen habet hoc ex modo suæ processionis : quia non procedit, ut conceptus ab intellectu, sed ut amor a voluntate. Aliter autem exponit Gloss. *Verbo virtutis suæ,* id est, imperio suo. Sed hic adhuc est dubium de isto verbo quid sit, quia imperium hominis, vel est exterius per vocem prolatum, et hoc non potest dici in divinis, quia nihil est extrinsecum a natura divina, procedens a filio, per quod omnia portentur; vel illud imperium est interius in corde conceptum, sed nec etiam hoc potest stare, quia nihil in mente Dei concipitur, nisi verbum æternum. Ergo istud imperium sic conceptum in mente filii esset verbum æternum, et si[illegible] duo verba æterna, quod nefas est dicere. Ideo ad argumentum est dicendum, sicut exponit Augustinus illud (*Joan.* 12.) *Sermo quem locutus sum, ille jubicabit eum,* id est, ipse ego, qui sum verbum patris judicabo eum. Et similiter in proposito, verbum virtutis suæ, id est, seipso, qui est verbum virtuosum.

Per ista ergo tria, ostendit tria de Christo. Per hoc enim quod est splendor, ostendit ejus coæternitatem cum patre. In creaturis enim splendor est coævus, sed ille est coæternus. Et hoc est contra Arrium. Sed cum dicit imago substantiæ, ostendit ejus consubstantialitatem. Quia enim splendor non est ejusdem naturæ cum resplendente, ne forte aliquis credat, quod non sit similis in natura, dicit quod est imago, vel figura substantiæ. Sed quia filius et si sit ejusdem naturæ cum patre, si tamen sit infirmus, deficit a virtute patris. Ideo subdit : Portans omnia verbo virtutis suæ. Apostolus ergo in his tribus commendat Christum a tribus, sc. a coæternitate, a consubstantialitate, et ab æqualitate potestatis.

Deinde cum dicit : *Purgationem peccatorum faciens*, ostendit secundum, quod facit ad idoneitatem dignitatis ejus, sc. strenuitas, et industria, quam habuit in operando. Fuit enim hoc magnæ industriæ, ut quod ei competebat ex natura qua Deus est, ipse meruerit per passionem in natura assumpta. Unde (*Phil.* 2.) *Factus est obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum.* Purgare ergo peccata etsi conveniat ei ex natura divina, tamen convenit ei etiam ex merito passionis. Unde (*Eccl.* 47.) *Christus purgavit peccata ejus, et exaltavit in æternum cornu ejus, etc.* (*Matth.* 1.) *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.*

Convenit etiam Christo purgare,

ɔ divinæ naturæ, et ratione pro-
.is filii : ratione divinæ naturæ,
ulpa seu peccatum, proprie est
ı rationalis creaturæ, hoc autem
ı, sive peccatum non potest re-
nisi per Deum. Nam peccatum
ıntate consistit, voluntatem au-
ɔlus Deus potest movere. (*Jer.*
ravum est cor hominis et inscru-
quis cognoscet illud? Ego Do-
, etc. Et hujusmodi ratio est,
uod est immediatius fini, non
tur ad ipsum finem, nisi a primo
agente. Voluntas autem est ul-
nis, quia, sc. ad fruendum Deo,
ɔ a Deo tantum movetur, et re-
r. Cum ergo Christus sit verus
manifestum est, quod purga-
ı peccatorum facere potest. (*Is.*
Ego sum qui deleo iniquitates
s propter me, etc. (*Matth.* 9.)
otest peccata dimittere, nisi solus
Ratione vero proprietatis compe-
ım Christo. Ad cujus evidentiam
ium est, quod in peccato, primo
n est transgressio legis æternæ,
is divini, cum omne peccatum
quitas, quæ est transgressio le-
s. 24.) *Mutaverunt jus, dissipave-*
œdus sempiternum. Cum ergo lex
a, et jus divinum sita verbo æter-
ıanifestum est quod ad Christum
ɔtit purgatio peccatorum, inquan-
ɔt verbum. (*Ps.* 106.) *Misit ver-*
uum, et sanavit eos. Secundo est
cato amissio luminis rationis, et
ınsequens sapientiæ Dei in ho-
cum hujusmodi lumen sit parti-
ɔ quædam divinæ sapientiæ.
ch 4.) *Et quia non habuerunt*
ıtiam, ideo perierunt. (*Prov.* 14.)
omnes qui operantur malum,
undum philosophum, omnis ma-
t ignorans. Rectificatio autem ad
ım sapientiam, competit ei, qui
vina sapientia. Hic autem est
Christus. (1 *Cor.* 1.) *Prædicamus*
Christum, Dei virtutem, et Dei sapien-
tiam. (*Sap.* 9) *Nam per sapientiam*
sanati sunt, quicumque placuerunt tibi
Domine a principio. Tertio in peccato
est deformatio similitudinis Dei in
homine. (*Prov.* 2.) *Cor stultorum dis-*
simule erit. Unde dicitur (*Luc.* 14.) de
filio prodigo, quod abiit in regionem
longinquam. Et ideo competit hujus-
modi deformationi rectificari per filium
qui est imago patris. (1 *Cor.* 14.) *Si-*
cut portavimus imaginem terreni, por-
temus imaginem cœlestis. Quarto amis-
sio æternæ hæreditatis, in cujus si-
gnum, homo post peccatum exclusus
est a paradiso. (*Gen.* 3.) Reparatio
autem ad hoc proprie convenit filio,
qui est hæres. (*Rom.* 8.) *Si filii, et*
hæredes. (*Gal.* 4.) *Misit Deus filium*
suum, natum ex muliere, factum sub
lege, ut eos, qui sub lege erant, redi-
meret, et adoptionem filiorum Dei re-
ciperemus. Sic ergo patet, quod Chris-
to competit purgare peccata, et ratione
humanæ naturæ, et ratione divinæ.
Sed quomodo fecit purgationem pec-
catorum? Ex hoc patet. In peccato
enim primo est perversitas voluntatis,
qua homo recedit a bono incommuta-
bili, et ad hanc rectificandam, exhi-
buit Christus gratiam justificantem.
(*Rom.* 3.) *Justificati gratis per gra-*
tiam ipsius. Secundo est macula relicta
in anima ex perversitate voluntatis,
et ad hanc lavandam præbuit sangui-
nem suum. (*Apoc.* 1.) *Dilexit nos, et*
lavit nos a peccatis, etc. Tertio est
reatus pœnæ cui homo addicitur ex
culpa, et ad satisfaciendum per hanc
obtulit semetipsum Deo hostiam in
ara crucis. (*Eph.* 4.) *Christus dilexit*
Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro
ea, ut illam sanctificaret. Quarto ser-
vitus diaboli, cui homo efficitur obno-
xius peccando, quia qui facit peccatum

servus est peccati, et ad eripiendum nos ab hac, redemit nos. (*Ps.* 30.) *Redemisti me Domine Deus veritatis.*

Consequenter cum dicit: *Sedet ad dexteram,* subjungit ipsam dignitatem quasi dicat: Non videtur indecens si sedet, etc. Quia ipse est splendor et figura, et portat omnia, etc. In verbo autem sessionis tria solent importari. Unum est sedentis auctoritas. (*Job.* 29.) *Cumque sederem quasi rex circumstante exercitu, etc.* In divina autem curia multi assistunt, quia (*Dan.* 7.) *Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant ei.* Sed nullus legitur ibi sedere. Quia omnes sunt ibi servi et ministrii, nfra eodem. Omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi. Sed solus iste habet regiam dignitatem. (*Dan.* 7.) *Et usque ad antiquum dierum venit.* Et postea sequitur: *Et dedit ei potestatem, et honorem, et regnum, etc.* (*Matth.* 25.) *Cum venerit filius hominis in majestate sua, et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ.* Et post sequitur: *Tunc dicet rex his, etc.* Secundum, est sedentis stabilitas. (*Luc. ult.*) *Sedete in civitate, etc.* (*Dan.* 7.) *Potestas ejus potestas æterna, etc.* (*Infra* 13.) *Christus Jesus heri et hodie, ipse in secula.* Item aliquando sedere importat humilitatem, quia sedens inferior est stantibus. (*Ps.* 138.) *Tu cognovisti sessionem meam.* Et sic non accipitur hic, sed primis duobus modis: sed contra (*Act.* 7.) *Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem, etc.* Et dicendum est, quod sedere et stare, et hujusmodi dispositiones de Deo dicuntur, secundum similitudinem. Et ideo secundum diversa, dicitur et sedens, et stans. Sedens quidem propter immobilitatem, sed stans propter utilitatem ad fortiter resistendum. Unde stabat quasi paratus juvare Stephe agone constitutum. Sed addit lus, quod *Sedet ad dexteram*: referatur ad divinam naturam sus, ad dexteram, id est ad æqu patris. Si vero ad humanam, sus, ad dexteram, id est in pc bonis patris. (*Marc. ult.*) *dextris Dei.* (*Ps.* 109 *et Ma Dixit Dominus Domino meo, dextris meis.* Sed inter eos qui assessores, quidam sunt sip majores, ut rex vel imperator, vero non simpliciter major secundum quid, ut præpositi, vi. Sed Christus non sedet ad ram alicujus inferiorum judicu alicujus præpositi, ut balivi, s pliciter majoris, quia ad d majestatis. (*Is.* 6.) *Plena era terra majestate ejus.* (*Prov.* 2 *scrutator est majestatis, oppri gloria.* Christus autem etsi si ad dexteram majestatis, habe et ipse majestatem, quia habet cum patre. (*Matth.* 25.) *Cum filius hominis in majestate sua.* (*Hunc filius hominis erubescet c nerit in majestate sua et Patri* etiam non solum majestatis, se *In excelsis,* id est, super omne turam. (*Eccl.* 24.) *Ego in al habito.* Sic ergo sedet in excelsi elevatus est super omnem crea (*Ps.* 8.) *Quoniam elevata est m centia tua super cœlos.* Et secu quod dicit Chrysostomus, Ap in loco isto tenet modum volent truere parvulum, qui non stati ponit ei summa, sed paulatim p eum: modo loquendo ardua, proponendo infima, ita etiam proponit divina, cum dicit, ii modo humana, cum dicit: Que stituit hæredem, etc. Et sic d ut patet in Glossa.

LECTIO 3.

Ex dominio, et filiatione, excelsior angelis Christus ostenditur, quia Christus filius dicitur, angeli vero nuncupantur ministri.

4. *Tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hæreditavit.*

5. *Cui enim dixit aliquando angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem: et ipse erit mihi in filium?*

6. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei.*

7. *Et ad angelos quidem dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos, flammam ignis.*

Sicut supra dictum est, Apostolus in toto capitulo intendit præferre Christum angelis quantum ad excellentiam, unde posuit quatuor pertinentia ad excellentiam Christi, sc. quantum ad originem, quia *Filius*, quantum ad dominationem, quia *Hæres*, quantum ad operationem, quia *Ipse fecit secula*, quantum ad honorem, quia *Sedet ad dexteram majestatis*. Modo Apostolus in parte ista ostendit, quod Christus quantum ad ista quatuor excedit angelos, et primo quantum ad filiationem, secundo quantum ad dominationem, ibi: *Et cum iterum introducit*. Tertio, quantum ad operationem creationis, ibi: *Et tu in principio, Domine, terram fundasti*. Quarto quantum ad patris confessionem, ibi: *Ad quem autem angelorum*. Circa primum duo facit: quia primo præmittit intentum: secundo propositum probat, ibi: *Cui enim dixit*. Dicit ergo: *Tanto melior angelis*, id est sanctior, et ideo propinquior, in quo proponit excellentiam Christi ad angelos. (*Eph.* 1.) *Constituens eum ad dexteram suam in cœlestibus super omnem principatum et potestatem*. Sed tunc oritur quæstio quomodo Apostolus hoc intelligit, utrum secundum divinam naturam, vel humanam, quia secundum divinam non videtur verum, quia secundum illam genitus est, non factus: secundum vero humanam non est melior angelis, ut (*infra* 2. *cap.*) *Eum autem, qui modico quam angeli, etc.* Sed dicendum est, quod Christus secundum humanam naturam duo habuit in vita ista, sc. infirmitatem carnis, et sic fuit minoratus ab angelis. (*Infra* 2. *cap.*) *Eum qui modico, etc.* Item habuit gratiæ plenitudinem, et sic etiam in humanitate major fuit angelis in gratia et gloria. (*Joan* 1.) *Vidimus eum quasi unigenitum a patre, plenum gratiæ et veritatis*. Sed hic non est intellectus. Apostolus enim non intelligit, quod melior fuerit quantum ad gratiam sed propter unionem humanæ naturæ ad divinam: et sic dicitur factus inquantum per illius unionis factionem pervenit ad hoc, quod esset melior angelis, et diceretur, et esset filius Dei. Et ideo subdit: *Quanto differentius præ illis nomen hæreditavit*. Et quantum ad hoc nomen, ostendit differentiam, quantum ad tria, sc. quantum ad nominis significationem, quia proprium nomen angelorum est, quod dicuntur angeli, quod est nomen ministri. Angelus enim idem est quod nuntius. Nomen autem proprium Christi est, quod dicitur filius Dei: et hoc nomen est valde differentius ab illo, quia quantumcumque differentiam ponis,

adhuc est majorem dare, cum distent in infinitum. (*Prov.* 30.) *Quod nomen ejus? Et quod nomen filii ejus si nosti?* Est enim nomen filii ejus sicut et patris incomprehensibile. (*Phil.* 2.) *Et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.* Sed forte dices, quod etiam angeli dicuntur filii Dei. (*Job.* 1 *et* 2.) *Cum assisterent filii Dei coram Domino, etc.* Dicendum est, quod si dicuntur filii Dei, hoc non est essentialiter et per naturam, sed per quandam participationem. Ipse autem est essentialiter filius Dei, et ideo habet nomen differentius præ illis, et hoc est secundum : quia differunt quantum ad modum. (*Ps.* 88.) *Quis est similis Deo in filiis Dei?* Quasi dicat : Nullus per naturam. Quantum ad tertium dicit, quod illud nomen hæreditavit. Hæreditas enim consequitur originem. Unde Christus, quod filius sit, habet ex origine, et per naturam, angeli autem ex dono gratiæ. (*Matth.* 21.) *Hic est hæres.* Unde ipse nomen hæreditavi', non autem angeli, et hæc est tertia differentia.

Deinde cum dicit : *Cui enim dixit aliquando angelorum*, probat quod dixit, et primo agit de nomine secundum quod convenit Christo secundum divinitatem ; secundo secundum humanitatem, ibi : *Et rursum, Ego ero, etc.* Quantum ad primum inducit auctoritatem. (*Ps.* 2.) *Dominus dixit ad me, etc.* Et hoc est, Cui enim angelorum, etc. quasi dicat : Nulli angelorum dicta sunt hæc verba, sed tantum Christo. Ubi tria possunt notari. Primo modus originis in verbo, *Dixit*, secundo singularitas filiationis, ibi : *Filius meus es tu.* Tertio ejus auctoritas, ibi : *Ego hodie.* Modus iste non est carnalis, sed spiritualis et intellectualis. Deus enim spiritus est. (*Joan.* 4.) Et ideo non generat carnaliter, sed spiritualiter et intellectualiter. Intellect tem dicendo, generat verbum est conceptus ejus, et ideo sig dixit, quod Dominus dixit ad ı est, pater dixit filio. Dicere ergo lectus patris, nihil aliud est, q corde verbum concipere. (*Ps.* *Eructavit cor meum verbum* (*Job.* 33.) Semel loquitur, et s idipsum non repetit. (*Eccl.* 2 *ex ore altissimi prodii.* Sed qu ad secundum, generatio ista est laris, quia dicit : *Filius meus* quasi dicat: Etsi multi alii filii dic tamen esse filium naturalem e proprium : alii autem dicunt Dei, quia sunt participes verl (*Joan.* 10.) Illos dixit Deos ac sermo Dei factus est, sed Chris ipsum verbum. (*Matth.* 17.) *I filius meus dilectus.* Sed quan tertium, ista generatio non est t ralis, sed æterna, quia hodie ge Differt autem tempus ab æter quia tempus variatur sicut cujus mensura est in variati successione. Et ideo nominati successionem præteriti et Æternitas autem est mensu immobilis, et ideo non est ibi v per successionem, sed semp præsens : et ideo notatur per ı bum præsentis temporis, sc. id est, in æternitate. Verum qu quod fit, quia nondum est, inc tum per consequens est : quod factum est, completum est, et il fectum. Ideo non dicit genero genui, quia perfectus est. Sed ne putetur esse generatio ejus præteritione, et per consequ defectione, addit hodie, et co præsenti præteritum, sc. ho genui, ut scias ipsam general semper esse, et perfectam esse, in hodie permanentia, in genu

perfectio designatur : ut sit sensus, perfectus es fili, et tamen generatio tua æterna est, et semper a me generaris : sicut lumen in aere perfectum est, et tamen semper procedit a sole. (*Mich.* 5.) *Egressus ejus a principio a diebus æternitatis.* (*Ps.* 109.) *Ex utero ante luciferum genui te.* Posset etiam hoc exponi de generatione temporali, ut dicat hodie, id est, in tempore genui te.

Consequenter cum dicit : *Et rursum ego ero illi in patrem, etc.* propositum ostendit, secundum quod convenit Christo secundum humanitatem, et hoc per aliam auctoritatem, secundum Gloss. istud dicitur in (*Is.*) *Ego ero illi in patrem.* Sed tamen non invenitur aliquid huic simile in Is., nisi illud, et filius datus est nobis. Sed (2 *Reg.* 7 *et* 1. *Par.* 28.) Habentur ista eadem verba Domini dicentis ad David de Salomone, per quem figurabatur Christus. Sciendum est autem, quod in veteri testamento quædam dicuntur de eo, quod est figura, non inquantum quædam res, sed inquantum est figura, et tunc non exponitur de illo, nisi inquantum refertur ad figuratum. Verbi gratia in (*Ps.* 71) quædam dicuntur de David, vel de Salomone, inquantum figurabant Christum tantum : quædam vero etiam secundum quod sunt homines quidam, et istorum dicta de ipsis possunt exponi et de Christo : sicut illud, Deus judicium tuum regi da : quia illud potest convenire Salomoni. Illa vero quæ dicuntur de ipsis inquantum sunt figura, nunquam de ipsis possunt exponi, sicut illud : Et dominabitur a mari usque ad mare, etc. Quia nullo modo verificari potest de Salomone. Sic et in proposito, licet ista dicta sint de Salomone, tamen possunt exponi de Christo, qui præfigurabatur per illum. Dicit ergo : Ero, quod est futuri temporis, ad denotandum, quod incarnatio filii futura erat in tempore. (*Gal.* 4.) *At ubi venit plenitudo temporis, etc.* Supra vero cum loquebatur de æterna generatione, dixit : *Es tu*, quasi sine motu, hic autem cum loquitur de temporali, dicit : In filium, quod denotat terminum alicujus motionis. Assumptio enim importat motum in filiationem. Et quia omnis motio fit per operationem alicujus terminatam ad aliquem effectum, ideo primo ponit operationem facientis, quia non virtute humanitatis facta est assumptio, sed divinitatis, cum dicit : Ego ero illi in patrem, id est, assumam eum ad unionem personæ filii. Et subjungit effectum consecutum, quia sc. est susceptus in unitatem personalem filii, erit mihi in filium. De primo dicitur (*Luc.* 1.) *Virtus altissimi*, sc. facientis assumptionem, *obumbrabit tibi.* De secundo (*Rom.* 1.) *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Iterum : ego ero illi, id est, ad honorem et utilitatem suam clarificabo ipsum. (*Joan.* 14.) *Clarifica me pater.* Et ipse erit mihi, id est, ad honorem meum, manifestando nomen meum hominibus. (*Joan.* 14.) *Manifestavi nomen tuum, etc.*

Deinde cum dicit : *Et cum iterum, etc.* agit de dominatione Christi, qua est hæres universorum. Ubi tria facit, quia primo ostendit dominium ejus, et præcipue super angelos : secundo ponit rationem dominii illius ex parte angelorum, ibi : *Et ad angelos.* Tertio ex parte Christi, ibi : *Ad filium autem.* Quantum ad primum inducit auctoritatem (*Ps.* 96.), cum dicit : *Adorate eum omnes angeli ejus*, hoc habetur in (*Ps.* 96.) *Dominus regnavit, exultavit, etc.* Adoratio enim non fit nisi

Domino, ergo si angeli eum adorant, Dominus illorum est. Volens Apostolus inducere hanc auctoritatem. Primo tangit intentionem Psalmistæ cum dicit: *Et cum iterum introducit, etc.* Ut Psalmista loquatur de adventu Christi in mundum. Et ideo dicit: Et cum scriptura introducit, id est, introducendum dicit primogenitum, etc., quasi dicat: Jam dictum est, quod Christus est filius præ angelis, ergo est principaliter a patre genitus. Est ergo dicendus primogenitus. (*Rom.* 8.) *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Hic autem primogenitus debebat introduci in orbem, etc. Et vide quam ordinate loquatur Apostolus. Primo enim dicit ipsum esse a patre, ibi: *Ego ero illi in patrem.* Secundo assumptum in unitate personæ, ibi: *Et ipse erit mihi in filium.* Sed modo proponit eum in notitiam hominum. Vocat autem incarnationem introductionem in mundum. Sed contra: Ipse Christus vocat eam exitum. (*Joan.* 16.) *Exivi a patre, et veni in mundum.* Et dicendum est, quod exitus est etiam introductio, sicut si aliquis reconciliandus sit principi, primo exit ad eum mediator, et post introducit eum. Simile habetur (1 *Reg.* 20.) de David ad Jonatham. Sic Christus mediator Dei et hominum, primo exiit ad homines, et postea introduxit eos reconciliatos. (*Infra.* 2.) *Qui multos filios adduxerat in gloriam, etc.* Vel, *Introducit,* id est, inducit eum usque in corda hominum, quia scriptura loquens de adventu Christi, dicit eum suscipiendum intra corda hominum. Ista autem receptio fit per fidem. (*Ephes.* 3.) *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* — (*Ps.* 95.) *Annuntiate inter gentes gloriam ejus.* Quando enim scriptura dicit, quod gentes debent credere, dicit quod Christus intraturus est in corde ipsorum. Hoc autem quod dicit: *Iterum,* multipliciter exponitur. Dicit enim Chrysost. quod de incarnatione verbi, quæ dicitur introductio, non loquitur scriptura a semel, sed iterum atque iterum. Vel aliter, quia ipse primo erat in mundo per potentiam divinitatis invisibiliter, sed iterum introducit eum in mundum secundum præsentiam humanitatis visibiliter. Vel aliter quia supra dixerat: ero illi in patrem, id est, assumam in unitatem personalem mei. Et cum iterum introducit eum, sc. istum primogenitum et assumptum ad unitatem personæ, quia non sufficeret dicere, quod introducitur, nisi dicatur qualiter introducatur, quia non quasi unus de mundo, nec sicut angeli, sed super omnes. Ideo dicit: Adorent eum omnes angeli. (*Neh.* 9.) *Exercitus cœli te adorat.* — (*Apoc.* 7.) *Omnes angeli stabant in circuitu throni, et ceciderunt et adoraverunt, etc.*

Deinde cum dicit: *Et ad angelos, etc.* ponitur ratio ex parte angelorum, quare eum adorant, quasi dicat: Justum est, quod adorent, quia sunt ministri. Unde dicit: Qui facit angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Deus enim aliquando operatur illuminando intellectum. (*Joan.* 1.) *Illuminat omnem hominem, etc.* Aliquando vero movet ad opus. (*Is.* 26.) *Omnia opera nostra operatus es in nobis.* Et primum facit Deus in nobis mediantibus angelis. (*Ps.* 75.) *Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis.* Secundum etiam facit in nobis ipsis mediantibus, sicut dic Dionys. 4. cap. cælestis hierarchi Inquantum ergo illuminat per ips dicuntur nuntii. Nuntii enim est nu tiare ea, quæ sunt in corde Dom sui. Inquantum vero sunt mediat

divinorum, dicuntur minis-
. 102.) *Ministri ejus, qui voluntatem ejus.* Sunt ergo et
it ministri, sed quales sint,
t eos per duas res corpora-
ime ad hoc idoneas. Una est
us proprietas multum convenit
Ministro autem proprietas
er enim est receptibilis lumi-
apressionis. Item optime red-
ta. Item habet velocem mo-
c autem debet habere bonus
, ut sc. bene recipiat dicta,
ferat recepta, et utrunque
facìat. Ista bene conveniunt
Optime enim recipiunt divinas
iones. Sunt enim angeli spe-
ida secundum Dionys. (*Matth.*
angeli eorum in cœlis, etc.
ime reddunt, quod significa-
(*Apoc.* 1.) *Significavit Deus,*
tet fieri cito :loquens per ange-
n servo suo Joanni, etc. Item
ces. (*Is.* 18.) *Ite angeli velo-*
Isti autem dicuntur spiritus,
quia omnis substantia invisibilis dicitur spiritus. Unde et aer dicitur spiritus. Item sunt ignis inquantum ministri. Ignis autem inter omnia elementa est maxime activus, et efficax ad agendum. Unde in (*Ps.* 103.) de angelis ubi dicuntur ministri ejus, ibi additur : Et ministros tuos ignem urentem. Item ignis calorem causat, per quod designatur charitas. (*Can.* 8.) *Lampades ignis atque flammarum.* Unde describuntur in igne, et dicuntur Seraphin. (*Is.* 6.) Item ignis semper movetur sursum, ita angeli et boni ministri, omnia quæ agunt semper referunt in gloriam Dei, sicut patet de angelo. (*Tob.* 12.) *Benedicite Deum cœli, etc.* Non dicit : benedicite me, sed Deum cæli. Non sic de malo angelo, qui dicit (*Matth.* 4.) *Si cadens adoraveris me.* Sed angelus bonus tanquam bonus minister dicit (*Apoc. ult.*) *Vide ne feceris*, et sequitur : *Deum adora.*

LECTIO 4.

ıristi commendatur dignitas, ex auctoritate, æquitate, ac bonitate regendi, qui quia idoneus, ideo ad eam fungendam inunctus.

um autem. Thronus tuus Deus
lum seculi : virga æquitatis
regni tui.

eti justitiam, et odisti iniqui-
: propterea unxit te Deus,
ıus, oleo exultationis præpar-
is tuis.

probavit Apostolus per auc-
angelos esse ministros,
t hoc per rationem sumptam
ipsius Christi. Unde intendit
re regiam dignitatem Christi,
ìcit. Primo enim commen-
m dignitatem ipsius Christi.
ejus ad illam dignitatem ostendit idoneitatem, ibi : *Propterea unxit te Deus.* Circa primum tria facit : primo commendat Christi regiam auctoritatem. Secundo ejus regiminis æquitatem, ibi: *Virga æquitatis.* Tertio regiminis bonitatem, ibi : *Dilexisti justitiam.* Dicit ergo :*Ad filium autem,* dicit : *Thronus tuus, etc.* Et sunt verba Dei patris loquentis per linguam prophetæ, sicut per calamum scribæ. Dicit ergo : O Deus fili, thronus tuus, etc. In quo denotatur regia majestas. Est enim thronus regis sedes, sed cathedra magistri, tribunal autem sedes judicis, quæ omnia conveniunt Christo, quia ipse est rex noster.

(*Luc.* 1.) *Regnabit in domo Jacob*, et ideo convenit ei thronus. — (*Ps.* 88.) *Thronus ejus sicut sol.* Ipse est magister. (*Joan.* 3.) *Scimus, quia a Deo venisti magister*, ideo competit ei cathedra. Ipse judex noster. (*Is.* 33.) *Dominus judex noster*, *Dominus legifer noster:* et ideo congruit sibi tribunal. (2 *Cor.* 5.) *Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, etc.* Competit autem thronus Christo secundum naturam divinam inquantum est Deus. (*Ps.* 46.) *Rex omnis terræ Deus* : sed secundum quod homo convenit sibi ex merito passionis, victoriæ, et resurrectionis. (*Apoc.* 3.) *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut ego vici et sedi in throno patris mei cum eo.* Hic thronus est perpetuus. (*Luc.* 1.) *Et regni ejus non erit finis.* — (*Dan.* 7.) *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur.* Patet autem quod regnum illud est æternum, et inquantum sibi convenit ex natura, quia est Deus. (*Ps.* 144.) *Regnum tuum regnum omnium seculorum.* Item, inquantum sibi convenit, ut homo, et hoc duplici ratione. Una, quia regnum illud non ordinatur ad temporalia, sed ad æterna. (*Joan.* 18.) *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ad hoc enim regnat, ut homines dirigat ad vitam æternam. Non autem sic est de regno hominum, unde regnum illorum finitur cum vita præsenti. Alia ratio est, quia ecclesia, quæ est regnum ejus, durat usque ad finem mundi, et tunc tradet Christus regnum Deo et patri consummandum, et perficiendum.

Consequenter commendat regnum ejus ab æquitate, cum dicit : *Virga æquitatis*, *etc.* Convenienter autem describitur regnum per virgam. Differt enim regimen tyrannicum a regimine regis, quia regimen tyrannicum est ad utilitatem suam cum gravamine subditorum: regimen autem regis principaliter ordinatur ad utilitatem subditorum. Et ideo rex est pater, et pastor. Pastor enim non corrigit cum gladio, sed cum virga. (*Ps.* 88.) *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Item pastor utitur virga in directione gregis. (*Mich.* 7.) *Pasce populum tuum in virga tua.* Virga etiam sustentat infirmos. (*Ps.* 22.) *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Item virga conturbat hostes. (*Num.* 24.) *Consurget virga de Israel, et percutiet duces Moab.* Sed est hæc virga æquitatis. (*Is.* 11.) *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Sed sciendum est, quod aliquando aliquis regit in rigore juris, sicut quando servat ea, quæ justa sunt secundum se. Contingit autem, quod aliquid de se justum est, quod tamen comparatur ad aliquid inducit detrimentum si servetur : et ideo oportet, quod jus commune ad hoc applicetur, et si hoc fiat, tunc est regimen æquitatis. Regnum veteris testamenti erat secundum rigorem justitiæ. (*Act.* 15.) *Onus quod nec nos, nec patres nostri portare potuimus.* Sed regnum Christi est regnum æquitatis et justitiæ, quia in ipso non imponitur nisi suavis observantia. (*Matth.* 11.) *Jugum enim meum suave est et onus meum leve, et* (*Ps.* 95.) *Judicabit orbem terræ in æquitate.*

Consequenter cum dicit : *Dilexisti*, *etc.* bonitatem regentis commendat. Quidam enim servant æquitatem, non tamen propter amorem justitiæ, sed magis propter timorem vel gloriam, vel metum, et tale regimen non durat. Sed iste servat æquitatem propter amorem justitiæ. Dicit ergo : *Dilexisti justitiam*, quasi dicat : Hoc quod virga est æqua et directa, hoc est, quia

dilexisti justitiam. (*Sap.* 1.) *Diligite justitiam, qui judicatis terram.* Non autem est justus, qui non amat justitiam. (*Matth.* 5.) *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam.* Sed aliqui quidem diligunt justitiam, sed sunt remissi in correctione iniquitatis, sed Christus odit, id est, reprobat iniquitatem. (*Ps.* 118.) *Iniquos odio habui.* (*Sap.* 14.) *Similiter odio sunt Deo, impius et impietas ejus.* (*Eccl.* 12.) *Altissimus odio habet peccatores, et misertus est pœnitentibus,* et ideo dicit : et odisti iniquitatem.

Deinde cum dicit : *Propterea unxit te Deus,* ostendit Christi idoneitatem ad exequendum et gubernandum, ubi dubitatio est de hoc, quod dicit, propterea, etc. In verbis istis agitur de spirituali unctione, quia Christus est repletus Spiritu Sancto. Numquid enim ideo repletus est, quia dilexit justitiam? Ergo meruit gratiam, quod est contra illud (*Rom.* 11.) *Si ex operibus jam non ex gratia,* et hæc est ratio communis. Sed specialiter ad propositum, quia Christus in ipsa conceptione fuit plenus Spiritu Sancto. (*Joan.* 1.) *Plenum gratia et veritate.* Non ergo meruit. Respondeo : hic est cavendus error Origenis. Voluit enim, quod omnes spirituales creaturæ etiam anima Christi a principio creatæ fuerunt, et secundum, quod plus, vel minus adhæserunt Deo, vel diverterunt ab ipso per libertatem arbitrii sui, facta est distinctio inter angelos et etiam animas. Unde in Periarchon dicit, quod anima Christi quia vehementius adhæsit Deo, diligendo justitiam, et odiendo iniquitatem, quod meruit majorem plenitudinem gratiæ præ cunctis substantiis spiritualibus. Sed hoc est hæreticum dicere, quod sc. quæcumque anima, vel etiam anima Christi creata fuerit ante corpus, quod etiam specialem rationem in Christo habet, quia in primo instanti simul creata fuit anima et formatum corpus, et totum est assumptum a filio Dei. Quid ergo dicit : propterea? Una Gloss. videtur sentire cum Origene. Sed si volumus eam salvare, dicemus quod in scriptura dicitur aliquid fieri quando innotescit, sicut cum dicitur (*Phil.* 2.) *Factus est obediens, etc. Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, etc.* Numquid Christus merito passionis meruit esse Deus? Absit: Hic enim est error Fotini.

Dicendum est ergo, quod Christum esse Deum, excedit omne meritum, sed per passionem meruit, quod manifestetur ubique esse Deum, et quod Deus dederat illi tale nomen, etc. Ita hoc quod dicit hic: propterea unxit te Deus, etc. Ut sit sensus. Ex hoc quod tu dilexisti justitiam, meruisti quod hoc innotescat. Vel aliter et melius, ita quod, *ly* propterea, non dicat causam meritoriam, sed finalem, quasi dicat : Ad hoc, quod illa haberes, sc. thronum perpetuum, virgam æquitatis, etc. Quæ dicta sunt, propterea unxit te Deus oleo sc. sanctificationis, quod Dominus mandavit fieri. (*Exod.* 30.) Quo ungebantur vasa et sacerdotes. (*Lev.* 8 *et* 9.) Et reges, ut patet de David. (1 *Reg.* 16.) Et Salomone. (3 *Reg.* 1.) Item Prophetæ, ut patet de Helisæo. (3 *Reg.* 19.) Sed quare fiebat ista sanctificatio per unctionem? Ratio est litteralis. Homines enim orientales pro celebritate ungebantur, ne consumerentur, eo quod sunt in regione multum calida. Pauperes etiam ungebantur ad festivitatem. (4 *Reg.* 4.) *Non habeo ancilla tua nisi parum olei quo ungar.* In scriptura autem divina traduntur nobis per modum quo homines solent uti. Quia ergo tunc un-

gebantur homines, vel propter celebritatem Christi, vel propter celebritatem personæ, ideo ad ostendendum excellentiam Christi, dicit eum unctum *Oleo exultationis*. Ipse enim est rex. (*Is.* 32.) *Ecce in justitia regnabit rex*. Et 35. *Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse veniet et salvabit nos*. Est etiam sacerdos. (*Ps.* 109.) *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*. Fuit etiam propheta. (*Deut.* 18.) *Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus*. Et convenit sibi ungi oleo sanctificationis et exultationis. Ab ipso autem sunt sacramenta, quæ sunt vasa gratiæ. (*Is.* 22.) *Suspendam super eum omnem gloriam domus patris ejus vasorum diversa genera, etc.* Convenit etiam ista unctio Christianis. Sunt enim reges et sacerdotes. (1 *Pet.* 2.) *Vos estis genus electum, regale sacerdotium*. (*Apoc.* 5.) *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes*. Item habet Spiritum Sanctum, qui est prophetiæ spiritus. (*Joel.* 2.) *Effundam de spiritu meo super omnem carnem, etc.* Et ideo omnes uncti sunt invisibili unctione. (2 *Cor.* 1.) *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, et qui unxit nos Deus, et qui signavit nos, et dedit, etc.* — (1 *Joan.* 2.) *Vos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia*. Sed quæ comparatio est inter Christum unctum, et Christianos unctos? Ista sc. quia ipse habet eam principaliter et primo, nos autem et alii ab ipso effusam. (*Ps.* 127.) *Sicut unguentum in capite, etc.* Et i cit: *Præ participibus tuis.* (*Jo De plenitudine ejus omnes acce* Unde alii dicuntur sancti, ips sanctus sanctorum. Ipse enim dix omnis sanctitatis. Dicit oleo lætitiæ, vel exultationis, q ista unctione procedit spiritua titia. (*Rom.* 14.) *Non est regn esca et potus, sed justitia et gaudium in Spiritu Sancto.* (G *Fructus autem spiritus, est ch pax, gaudium.* (*Ps.* 103.) *Ut ex faciem in oleo.* (*Is.* 61.) *Oleum pro luctu, etc.* Illud autem, qu dicit: *Deus Deus*, dupliciter e tur. Uno modo, quod repetat minativus casus, ut sit sensus. te Deus per seipsum Deum, n tem per te mediatorem Dei, et num hominem Christum. (2 *P Per quem magna et pretiosa promissa donavit.* Alio modo, q cundum August. in Gloss. alter nominativi casus, alterum vo ut sit sensus. O Christe, qui es filius, Deus pater unxit te, quod debeat sic exponi magis p Græco. Sed cum Christus n unctus secundum quod Deus sic non convenit sibi recipere tum Sanctum, sed magis aliis secunda expositio non videtu vera. Respondeo: dicendum est idem est in persona et Deus et tamen unctus est inquantum Et cum dicitur: o Deus, etc. gens est Deus et homo, et unc militer est Deus et homo et unu ipso in persona.

LECTIO 5.

Christus angelos in virtute excedere ostenditur, quia creator et immutabilis est, creaturæ vero mutabiles.

10. *Et tu in principio Domine terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.*
11. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis: et omnes ut vestimentum veterascent.*
12. *Et velut amictum mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es et anni tui non deficient.*

Supra præmiserat Apostolus quatuor, in quibus Christus excellit angelos, et probavit duo illorum, sc. et quod excedit eos, quia est filius, et quia est hæres: nunc probat tertium, sc. quod excedit eos in virtute operationis, quia per eum pater fecit et secula. Hoc autem probat Apostolus ex auctoritate ejusdem prophetiæ, et circa hoc duo facit. Primo ostendit virtutem operationis inquantum creator. Secundo quantum ad differentiam creatoris ad creaturam, ibi: *Ipsi peribunt.* Circa primum duo facit, quia primo ponit creationem terræ, secundo cælorum, ibi: *Et opera manuum.* Sciendum est autem circa primum, quod hoc potest dupliciter legi. Uno modo, ut sit sermo prophetæ directus ad patrem, ut sit sensus, *Tu Domine*, sc. Deus pater, *Fundasti terram in principio*, id est, in filio tuo, qui est principium. (*Joan.* 8.) *Ego principium, qui et loquor vobis.* Et hoc tantum valet ac si dixisset. Tu fundasti terram per filium. (*Ps.* 103.) *Omnia in sapientia fecisti.* Filius autem est sapientia genita, unde supra dixit eum splendorem gloriæ. Et hoc quod dicit hic, respondet huic quod supra dixit, per quem fecit et secula. Alio modo, quod sit sermo directus ad filium, sic: *Et tu Domine*, sc. fili, fundasti terram in principio, sc. temporis, ut excludat opinionem ponentium æternitatem mundi, vel in principio, sc. productionis rerum, ut excludat opinionem dicentium, corporalia non fuisse creata cum spiritualibus, sed post. (*Gen.* 1.) *In principio creavit Deus cœlum et terram.* (*Eccl.* 18.) *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.*

Sciendum est autem, quod tripliciter potest distingui terra a cælo. Uno modo et ad litteram quod per terram intelligatur elementum terræ: per cælum autem superiora corpora, ut sicut Moyses non facit mentionem de aere, quia est cum aqua: ita hic intelligit per cælum, ipsum cælum et alia duo elementa, sc. aerem et ignem, quæ magis accedunt ad naturam cæli, quod patet ex loco ipsorum. Sic etiam accipit Moyses (*Gen.* 1.) Et dicit: *Fundasti.* Ut ostendat tria ad terram pertinere, primo quidem terræ quietem, omnia enim alia participant motum, sola autem terra secundum totalitatem suam immobilis perseverat, ut sit sensus. *Fundasti*, id est, firmasti. (*Ps.* 103.) *Qui fundavit terram super stabilitatem suam.* Secundo, ut ostendat terræ perpetuitatem, nam fundamentum ædificii inter alias ejus partes stabilius est. Terra autem in æternum stat. (*Eccl.* 1.) Et secundum hoc dicit: *Fundasti terram*, id est, perpetuo solidasti. Tertio, ut ostendat terræ ordinem, quia sicut fundamentum, quod est prima pars ædificii est in imo, ita terra inter omnia

elementa tenet locum imu m. (*Is.* 48.) *Manus mea fundavit terram.* (*Ps.* 94). *Aridam fundaverunt manus ejus.* Non autem dicit : fecisti cælos, sed *Opera manuum tuarum sunt cæli*, quia illud quod aliquis facit manibus, magis diligenter videtur facere. Et ideo sic loquitur ad designandum nobilitatem et pulchritudinem ipsorum. (*Is.* 48.) *Dextera mea mensa est cælos.* Aliter vero quod per terram intelligat totam naturam corporalem. Et sic terram fundasti, quia materia est locus et fundamentum formarum : per cælos autem, spirituales substantias. (*Ps.* 148.) *Laudate eum cæli cælorum.* Et hi sunt opera manuum ejus, quia fecit eos ad imaginem et similitudinem suam. Vel per terram imperfecti in ecclesia, quia sunt fundamentum aliorum, quia nisi esset activa in ecclesia, contemplativa non subsisteret. Per cælos contemplativi. Et hæc facta in ecclesia in principio, id est per filium. (*Is.* 51.) *Posui verba mea in ore tuo, ut fundes terram*, id est, imperfectos, et plantes cælos, id est, perfectos.

Quantum autem ad cælos dicit : *Opera manuum tuarum sunt cæli.* Dicit autem, opera manuum tuarum, et non simpliciter, cælos fecisti, propter quatuor rationes. Primo, ut excludat errorem dicentium Deum esse animam cæli, et per consequens totum mundum et partes ejus debere coli, ut Deus, quod et idololatræ faciebant, et hoc excludit, cum dicit : *Opera manuum tuarum sunt cæli*, quasi dicat : non sunt proportionati tibi, ut corpus animæ, sed subjecti et proportionati virtuti, et voluntati tuæ. (*Deut.* 4.) *Ne forte oculis ad cælum elevatis, videas Solem et Lunam et omnia astra cæli, et errore deceptus, adores ea.* Secundo ut designet cælorum dignitatem et pulchritudinem, quia illud dicimus manibus facere, quod diligenter facimus, ut ergo ostendat cælos excellentiori modo quam alias creaturas corporales divina sapientia conditos esse dicit : Opera manuum tuarum sunt cæli, et hoc patet, quia diversitas in istis inferioribus potest reduci ad dispositionem materiæ, sed diversitas corporum cælestium nullo modo potest reduci nisi ad sapientiam divinam. Et inde est, quod quandocunque fit mentio de creatione cæli, additur ibi, prudenter, vel intellectus, vel aliquid hujusmodi, secundum illud (*Jer.* 4.) *Stabilivit cælos prudenter*, et secundum illud (*Ps.* 135). *Qui fecit cælos intellectu.* Tertio ut ostendat, quod in cælis magis refulget virtus divina creatoris secundum Gloss. nihil enim est in creaturis, in cujus conditione appareat tantum virtutis Dei, et hoc propter magnitudinem ipsorum et ordinem. (*Sap.* 13.) *A magnitudine enim speciei et creaturæ, cognoscibiliter poterit horum creator videri.* Quarto ad ostendendum, quod inter omnia corpora, corpus cæleste immediatius recipit influentiam a Deo, et per ista derivatur in ista inferiora. (*Job.* 38.) *Nunquid nosti ordinem cæli, et ponis rationem ejus in terra?* quasi dicat : Si bene consideras dispositionem cæli, non potes attribuere causam dispositionis ejus alicui rei terrenæ, sed Deo. Alio modo potest exponi, ut per terram accipiatur tota materia corporalis, per cælos vero spirituales substantiæ, et sic est sensus : in principio temporis terram, id est, materiam corporalem, fundasti, id est quasi fundamentum formarum stabilisti, et sic intelligitur illud (*Ps.* 148). *Laudate Dominum de terra, etc.* Se cæli, id est, substantiæ spirituales. (*Ps.* 148.) *Laudent illum cæli, etc.* sunt opera

manuum tuarum, quia sc. fecisti eos ad imaginem et similitudinem tuam. Tertio modo potest exponi, ut per terram intelligantur infimi in ecclesia, per cælos vero supremi, et sic est sensus. In principio, id est, per filium, terram fundasti, id est, activos et infimos in ecclesia, et dicuntur fundati, quia sunt quasi fundamentum aliorum, nam nisi essent activi in ecclesia, viri contemplativi non sustentarentur: sed cæli, id est contemplativi et perfectiores sunt opera manuum tuarum, id est, excellentiori præeminentia præditi. (*Ps.* 18.) *Cæli enarrant gloriam Dei*, et (*Is.* 1.) *Audite cæli*, id est, majores, *auribus percipe terra*, id est, minores.

Consequenter cum dicit : *Ipsi peribunt*, ostendit differentiam inter creatorem et creaturam, et hoc quantum ad duo, quæ sunt propria creatori, primum est æternitas : secundum est immutabilitas, de qua ibi : *Et omnes ut vestimentum veterascent, etc.* Circa primum duo facit, quia primo ponit terminationem creaturæ. Secundo interminationem Dei, ibi : *Tu autem permanebis.* Dicit ergo primo : *Ipsi* sc. cæli *Peribunt.* Sed contra (*Eccl.* 1.) *Terra in æternum stat*, ergo videtur, quod multo plus cæli. Respondeo : dicendum est, quod secundum August. et Philosophum, in qualibet mutatione est generatio et corruptio. Unde quicquid mutatur, perit a statu in quo erat. Ergo quod dicit, quod cæli peribunt, non intelligitur quantum ad substantiam, de qua (*Job.* 37.) *Qui solidissimi quasi ære fusi sunt*, sed quantum ad statum quem nunc habent. (*Apoc.* 21.) *Vidi cælum novum et terram novam.* (1 *Cor.* 7.) *Præterit figura mundi hujus.* Sed quomodo mutabunt statum ? Diversimodè, quia cæli superiores moventur quidem secundum locum, sed non alterantur. Inferiores vero, sc. ignis et aer, et moventur et alterantur et corruptioni sunt subjecti. Sic ergo status omnium cælorum est mutabilis, sed tunc motus cessabit in superioribus, et corruptio in inferioribus, quia aer igne conflagrationis purgabitur. (2 *Pet.* 3.) *Cæli qui nunc sunt et terra eodem verbo repositi, sunt igni reservati in die judicii, etc.* Omnes peribunt a statu in quo nunc sunt, et sic quodammodo peribunt, sed tu Domine permanebis. (*Ps.* 101.) *Tu autem Domine in æternum permanebis.* Hic ostendit permanentiam creatoris, quasi dicat : in te nulla est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio, ut (*Jac.* 1.) dicitur. (*Ps.* 101.) *Tu autem Domine in æternum permanebis, solium tuum in generatione et generationem*, quod potest etiam intelligi de Christo homine. (*Infra ult.*) *Jesus Christus heri et hodie ipse et in secula.*

Deinde cum dicit : *Et omnes, etc.* ostendit differentiam Dei ad creaturam quantum ad immutabilitatem. Et circa hoc duo facit. Primo enim ponit mutabilitatem creaturæ. Secundo immutabilitatem Dei, ibi : Tu autem idem. Et adhuc circa primum duo facit, quia primo describit rationem mutabilitatis creaturæ. Secundo subdit illam mutabilitatem, ibi : *Et velut amictum.* Circa primum autem sciendum est, quod vetus et novum consequuntur tempus. Unde veterascere non potest, nisi quod aliqualiter mensuratur tempore. Motus autem cælorum mensuratur tempore, sed ipsum mobile mensuratur ipso nunc temporis : ergo in cælo possunt inveniri novitas et vetustas : unde non veterascent cæli quasi substantia eorum minuatur, vel corrumpatur in aliquo, sed tantum quantum ad diuturnita-

tem temporis, quo amplius non mensurabuntur, et ideo dicit : Sicut vestimentum, etc. Quia causa mutationis cælorum non erit propter defectum virtutis ipsorum, quæ in aliquo minuatur, quia si motus ipsorum cessaret propter defectum virtutis, jam cessatio haberet causam naturalem et posset deprehendi ratione naturali, cujus contrarium dicitur (*Matth.* 14.) *De die autem et hora illa nemo scit, neque angeli in cælo, etc.* Ergo erit propter necessitatem finis : quia omnes creaturæ corporales ordinantur ad spirituales, et totus motus deserviens generationi et corruptioni ordinatur ad generationem hominis. Cessante ergo generatione hominis, quod erit quando completus erit numerus electorum et prædestinatorum, cessabit motus ille. Et ideo dicitur vestimentum, quod sumitur ad usum, et cessante usu deponitur, sicut homo calidum vestimentum deponit, veniente æstate, et frigidum, veniente hieme. Sic ergo status mundi, qui nunc est commodatus isti fini, cum completus fuerit numerus ille electorum, jam amplius non erit accommodatus nec necessarius, et ideo sicut vestimentum deponetur. (*Luc.* 21.) *Cœlum et terram transibunt.*

Consequenter ponit ipsam mutabilitatem, cum dicit : *Et velut amictum mutabis eos*, sc. cælos, et bene dicit : **Mutabis tu Deus**, quia non propria **virtute**, nec per se, sed virtute Dei **mutabuntur** a motu, sicut amictum, **qui ad usum sumitur**, et post usum **deponitur** secundum congruentiam **temporis et finis**. Et dicit amictum, **quia per** amictum gloria hominis, et **manifestatur** et tegitur. Ita etiam Deus **per creaturas** et occultatur nobis et **manifestatur**. (*Rom.* 1.) *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* (*Sap.* 13.) *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri, etc.* Et dicit : mutabuntur, quia in perpetuum mutati permanebunt. Item quantum ad cælos spirituales, qui pereunt a vita præsenti per mortem corporis. (*Rom.* 14.) *Omnes morimur et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertentur.* (*Is.* 57.) *Justus perit, et nemo est, etc.* Item veterascent, quia ut dicitur (*Infra.* 8.) quod antiquatur et senescit, prope interitum est. *Et mutabis*, sc. secundum corpora, quando corporale hoc induet incorruptionem. (1 *Cor.* 15.) Et mutabuntur secundum mentem, quando a visione ænigmatica assumentur ad speciei visionem. (*Job.* 14.) *Cunctis diebus quibus nunc milito expecto donec veniat immutatio mea.*

Deinde subjungit immutabilitatem Dei, cum dicit : *Tu autem idem ipse es.* Ubi duo facit. Primo enim ponit intentum. Secundo ostendit hoc per signum, ibi : *Et anni tui.* Dicit ergo : Ipsi peribunt, *Tu autem*, sc. Dei filius, et hoc contra Arrianos. *Idem ipse es*, id est, idem perseveras, et nunquam mutaris. (*Mal.* 3.) *Ego Deus et non mutor.* (*Jac.* 1.) *Apud quem non est transmutatio, etc.* Et signum hujus immutabilitatis ponit, cum dicit : *Anni tui non deficient.* Ubi sciendum est, quod anni Dei dicuntur duratio ejus, sicut anni hominis duratio hominis : duratio autem hominis deficit dupliciter, sc. secundum partes, et secundum totum ; secundum partes quidem : quia cum sit temporalis, una pars succedit alteri, et una adveniente, deficit altera. Deficit etiam secundum totum, quia ex toto desinit esse. In duratione vero Dei neutrum horum est, quia non deficit secundum totum, quia est semper. (*Ps.* 91.)

Tu autem altissimus in æternum Domine. Item nec secundum partes, quia æternitas est tota simul, et quid stans. (*Job.* 36.) *Numerus annorum ejus inæstimabilis, etc.* Sed cum sit una et immutabilis, quare anni vocantur in plurali, et non annus in singulari? Ratio hujus est, quia intellectus noster accipit cognitionem intelligibilium per sensibilia, quia omnis nostra cognitio incipit a sensu. Unde et Deus, qui est omnino simplex, describitur sub similitudine corporalium. (*Is.* 16.) *Vidi Dominum sedentem, etc.* Ita etiam duratio ejus a nobis describitur per aliqua nobis nota, cum tamen sit uniformis et simplex. Unde aliquando dicitur annus, aliquando dies et mensis, quia omnes differentias temporis includit.

LECTIO 6.

Christus angelis excellentior demonstratur, quia ille ad dexteram sedet, isti vero tanquam ministri astant.

13. *Ad quem autem angelorum dixit aliquando, sede a dextris meis, quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*
14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis?*

subjectum Christo, angelis. Et duo facit. Primo ostendit quia orbis non est subjectus angelis. Secundo ostendit de quo orbe intendit, ibi : *De quo loquimur*. Orbis enim est subjectus angelis. (*Job*. 34.) *Quem constituit alium super terram, aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?* Sed contra. (*Dan*. 1) dicitur: *Angelus princeps regni Græcorum et Persarum*. Et (*Deut*. 32.) *Constituit fines populorum juxta numerum filiorum Dei*, secundum aliam litteram. Et dicendum est, quod non est eis subjectus vic Dominii, sed vice cujusdam ministerii. Tota enim creatura corporalis ministratur per angelos. (*Ps*. 102.) *Ministri ejus qui facitis, etc*. (*Supra*. 1.) Omnes administratorii dicuntur. Vel enim non subjecit orbem terræ angelis, orbem dico futurum, sc. mundum istum, qui dicitur futurus, quia in scriptura quandoque dicitur futurum non respectu nostri, sed respectu ejus cui comparatur, sicut idem Apostolus dicit (*Rom*. 5) de Adam respectu Christi, qui est forma futuri, Christus enim non est futurus respectu sui, sed respectu Adæ. Sic hic orbis futurus dicitur, non respectu nostri, sed respectu Christi, qui est ab æterno, cum orbis sit in tempore. Et quia Manichæi dicunt orbem subjectum malo Deo, non autem bono, ideo subdit : *De quo loquimur*, quia, non de alio, sed de isto. Vel (*Supra*. 1) dixerat, *Ipsi peribunt*, sc. cæli, *et mutabuntur*, quod sicut ibi dictum fuit, intelligitur quo ad statum, non quo ad substantiam, ita quod duplex est status mundi. Unus qui nunc est præsens. (2. *Pet*. 3.) *Cæli qui nunc sunt, etc. eodem verbo repositi, sunt reservati igni, etc*. Et alius est futurus. In orbe autem isto qui nunc est, nec omnia sunt ei subjecta, ut supra dictum est, et hoc per executionem potentiæ, licet subjecta sint per auctoritatem: sed tunc in illo statu futuro erit ei orbis subjectus. Et ideo subdit, de quo loquimur.

Consequenter probat per auctoritatem, cum dicit : *Testatus est autem quidam*. Ubi tria facit. Primo enim commendat auctoritatem testimonii inducendi. Secundo inducit testimonii veritatem, ibi : *Quid est homo quod memor es ejus?* Tertio explicat sensum testimonii, ibi : *In eo enim quod ei omnia*. Circa testimonium vero ponit primo, quod verba veteris testamenti sunt quædam testimonia Christi. (*Joan*. 5.) *Scrutamini scripturas, etc*. Et paulo post: *Et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Et ideo dicit: testatus est autem. Secundo, quia apud Judæos erant quædam scripturæ minus notæ, et quædam magis notæ, et ideo majores dignitatis sunt scripturæ psalmorum, quibus ipsi utebantur in omnibus sacrificiis suis. Et ideo dicit : *In quodam loco*, noto sc. et manifesto. Tertio ponit auctoritatem dicentis, sc. David, qui, sc. fuit maximæ auctoritatis. (2 *Reg*. 23.) *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psaltes Israel*.

Deinde inducit testimonium, cum dicit : *Quid est homo, etc*. Ubi tria facit. Primo enim ponit mysterium incarnationis. Secundo passionis, ibi : *Minuisti eum paulominus ab angelis*. Tertio mysterium exaltationis, ibi : *Gloria et honore*. Circa primum duo tangit, primo causam incarnationis, secundo ipsam incarnationem, ibi : Aut filius hominis. Causa autem incarnationis est memoria Dei de homine, et ideo dicit : Quid est homo, ut legatur despective, quasi dicat: Homo valde modicum, quid est respectu Dei. (*Is*. 40.) *Omnes gentes quasi*

non sint sic coram eo, et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei. Si enim aliquis diligit aliquem et dimittit eum diu in miseriis nec subvenit, videtur ejus oblivisci. Deus autem humanum genus dilexit, et quia ipsum fecit ad imaginem suam, et quia in medio paradisi ipsum posuit. Sed post peccatum, quia non statim ei subvenit, videtur ejus fuisse oblitus, sed tunc videtur ejus memor fuisse cum reparatorem misit. (*Ps.* 105.) *Memento nostri Domine in beneplacito tuo, etc.* Et ideo dicit : Quid est homo, etc. quasi dicat. Si consideremus vilitatem hominis, mirum est, quod memor es ejus, qui tam vilis et parvus est, vilis inquam et parvus in natura, maxime quantum ad vilem substantiam. (*Genes.* 1.) *Formavit Deus hominem de limo terræ.* (*Is.* 64.) *Et nunc Domine pater noster es tu, nos vero lutum, etc.* Vilis in culpa. Unde Augustinus super Joannem: Nihil fiunt homines cum peccant. (*Abd.*) *Ecce parvulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde, etc.* Vilis et infirmus in pœna. (*Job.* 14.) *Homo natus de muliere brevi vivens tempore.* (*Amos* 7.) *Quis suscitabit Jacob*, sc. prostratum, quia parvulus est? Secundo ponit ipsam incarnationem, cum dicit: *Filius hominis*, ubi sciendum est, quod in scriptura sacra Christus vocatur filius hominis, sicut patet (*Daniel.* 7.) Et in evangelio in multis locis, et hujus ratio est, quia alii sunt filii hominum. (*Ps.* 4.) *Filii hominum usquequo gravi corde?* Sed Christus tantum filius est hominis, sc. virginis beatæ. Et ipse a Deo visitatur. Aliquando visitatio in scriptura refertur ad beneficium, sicut dicitur (*Gen.* 21.) *Visitavit Dominus Saram, etc.* Quandoque autem ad pœnam. (*Ps.* 88.) *Visitabo in virga iniquitates eorum.* Hic autem refertur ad beneficium. *Visitas*, id est, excellentissimum beneficium ei confers, quia facis eum filium Dei, ex hoc sc. quod humanitas assumpta est a verbo in unitatem suppositi. Vel hoc dicit propter plenitudinem Christi. (*Joan.* 1.) *Plenum gratia et veritate, etc.* Vel referendum est utrumque ad Christum, ut sit sensus: Memor es ejus in incarnatione, in qua humanitas assumpta est a Christo, sed visitas in resurrectione. Vel referendum est utrumque ad humanum genus. Quilibet autem filius hominis est homo, non autem quilibet homo est filius hominis, Adam enim non fuit filius hominis. Dicitur ergo: Homo, qui gerit imaginem hominis terreni, Adæ sc. Et iste homo dicitur peccator, sed filius hominis dicitur, qui gerit imaginem hominis cælestis, sc. Christi, qui dicitur filius hominis. (1 *Cor.* 15.) *Sicut portavimus imaginem terreni, portemus et imaginem cælestis.* Homo ergo simpliciter dicitur peccator. Et quia iste longe est a Deo, quia longe a peccatoribus salus, dicitur Deus ejus esse memor, sicut homo memoratur ejus, quod longe est ab ipso. Sed cum de peccatore fit justus, sic filius hominis visitatur per gratiam. (*Job.* 10.) *Visitatio tua custodivit spiritum meum.*

Consequenter ponit mysterium passionis, cum dicit : *Minuisti eum paulominus ab angelis.* Ubi sciendum est, quod ordine naturæ, corruptibilia ac passibilia minora sunt incorruptibilibus et impassibilibus. Angeli autem secundum naturam sunt impassibiles et immortales. Unde quando Christus dignatus est passionem et mortem sustinere, minoratus est ab ipsis, non quod plenitudinem suam amiserit, vel in aliquo diminutus fuerit, sed parvitatem nostram sibi assumpsit. Et hoc significatum fuit (*Luc.* 22.) Ubi dici-

tur, quod apparuit illi angelus Domini confortans eum, non quod indigeret ipso, sed ut ostenderet se minoratum ab ipsis per passionem. Dicit autem: *Paulominus* propter duo. Primo quia omnis creatura corporea est modicum quid, per comparationem ad rationalem, quia corporea comprehenditur certis limitibus quantitatis, non autem rationalis, sed semper plus potest in magis intelligibile : Christus autem est minoratus ab angelis, non quantum ad divinitatem, nec quantum ad animam, sed solo corpore. Et sic dixit paulominus propter quantitatem. Secundo dicitur paulominus quantum ad durationem, quia modicum duravit. (*Is.* 54.) *In modico dereliqui te, etc.* Nec mirum est quod in passibilitate corporis est minoratus ab Angelis, cum etiam in hoc sit minoratus ab homine secundum illud (*Ps.* 21.) *Ego autem sum vermis et non homo*, et hoc propter turpitudinem mortis de qua (*Sap.* 2.) *Morte turpissima condemnemus eum.* Si autem quod dictum est : Quid est homo, etc. utrumque referatur ad hominem, sic homo dicitur minoratus ab Angelis tripliciter, primo quantum ad cognitionem, sed paulominus, quia non quantum ad cognitionis genus, quia et homo et angelus communicant in uno genere cognitionis, sed quantum ad modum, quia excellentiori modo cognoscunt angeli quam homines. Secundo vero quo ad corpus, quia licet angelus et anima sint unius naturæ, sc. intellectualis, anima tamen unitur corpori, sed etiam in hoc modicum, quia non tollitur dignitas animæ per hujusmodi unionem, sed aliquo modo aggravatur et impeditur ab altiori contemplatione. (*Sap.* 9.) *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Tertio quantum ad dona, et hoc paulominus, non quantum ad dona gratuita. (*Matth.* 22.) *Erunt sicut Angeli Dei in cœlis*, sed quantum ad naturalia.

Deinde cum dicit : *Gloria et honore, etc.*, ostendit mysterium exaltationis. Ubi tria facit. Primo ostendit ejus gloriam. Secundo honorem, ibi : *Et honore, etc.* Tertio potestatem, ibi : *Constituisti eum, etc.* (*Apoc.* 5.) *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem in omnem creaturam, etc.* Dicit ergo primo : *Coronasti eum gloria*, id est, claritate. Gloria enim claritatem importat. Christus autem duplici gloria coronatus est, sc. claritate corporis. (*Philip.* 3.) *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Ista claritas sibi promittitur (*Joan.* 12) *Et clarificavi* animam, sc. implendo splendoribus gratiæ, *et iterum clarificabo*, sc. corpus immortalitatis gloria. Alia claritas est in confessione omnium populorum. (*Philip.* 2.) *Et omnis lingua confiteatur.* (*Ps.* 20.) *Gloriam et magnum decorem impones super eum.*

Consequenter ostendit ejus honorem, cum dicit : *Et honore, etc.* Differt autem honor a gloria, sicut effectus a causa. Est enim honor reverentia exhibita in testimonium excellentiæ, unde est testificatio bonitatis ejus. Honor ille est, ut omnis creatura revereatur ipsum sicut et patrem. (*Joan.* 5.) *Ut omnes honorificent filium sicut et patrem.* Et dicit : *Coronasti*, sc. in signum victoriæ, quia corona datur vincenti. (1 *Cor.* 9.) *Illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, etc.* (2 *Tim.* 2.) *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit.* Christus autem per certamen passionis meruit hanc gloriam et honorem. (*Philip.* 2.) *Factus est obediens usque ad mortem*, et sequitur : *Propter quod et Deus exal-*

tavit illum, etc. Ista autem prout conveniunt Christo inquantum Deus est, non sunt præmium, sed magis illi naturalia, sed inquantum homo est, sunt præmium victoriæ passionis ejus. Sed potestatem ejus ostendit, primo quantum ad auctoritatem ejus. Secundo quantum ad effectum, ibi : *Omnia subjecisti, etc.* Quantum ad primum dicit : *Constituisti,* quod potest tripliciter intelligi. Uno modo quod constitutus est super omnia loca et hoc in ascensione. (*Eph. 4.*) *Ascendit super omnes cœlos,* ut adimpleret omnia Secnndo dignitate. (*Ephes. 1.*) *Constituens eum ad dexteram suam super omnem principatum et potestatem, etc.* Tertio potestate, quia super omnem creaturam. (*Matth. ult.*) *Data est mihi omnis potestas in cœlo, etc.* Sed Christus inquantum Deus non est constitutus, sed natus, sed constitutus est inquantum homo. (*Supra 1.*) *Quem constituit hæredem universorum, etc.* Effectus potestatis est, quia *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.* Utitur autem propheta præterito pro futuro propter majorem certitudinem. Jam enim factum est in æterna Dei prædestinatione Et dicit : Sub pedibus ejus, id est, humanitate, vel cum omnimoda subjectione. (*Ps. 109.*) *Donec ponam inimicos tuos, etc.* Vel *Sub pedibus ejus,* id est, sub humanitate ejus: sicut enim per caput Christi intelligitur Deus. (*1 Cor. 11.*) Ita etiam per pedes Christi intelligitur humanitas ejus. (*Ps. 131.*) *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Si vero exponatur hoc sic, homo dicitur coronatus gloria quantum ad cognitionem intellectualem, qua præeminet cæteris animalibus. (*1 Cor. 11.*) *Vir quidem gloria et imago Dei est, etc.* (*Job. 34.*) *Qui docet nos super jumenta terræ.* Item honore, inquantum ipse solus super omnia animalia est dominus suorum actuum, et non citur necessitati rerum muta quantum ad animam, cum sit arbitrii. Item potestate, quia tuisti eum super omnia oper modo, ut per *ly* omnia intelli omnes creaturæ, quæ sunt inf minem. (*Gen. 1.*) *Præsit piscib ris et volatilibus cœli, etc.* Alic ut *ly* omnia, supponat pro tota u sitate creaturæ, quia etiam c corpora et angeli deserviunt l (*Ps. 90.*) *Angelis suis Deus m de te, ut custodiant te, etc.*

Consequenter cum dicit : *In e etc.* exponit sensum testimon Apostolus duo facit. Primo en ponit quantum ad ejus sublim Secundo quantum ad minoration *Eum autem qui modico.* Circa p duo facit, quia primo ostendit c dictum prophetæ sit intellig Secundo ostendit illud nondu impletum, ibi : *Nunc autem.* Ct dicit : *In eo enim quod ei s* ostendit qualiter sit intellige quia enim scriptura dicit omn jecta esse Christo, *Nihil dimi subjectum ei.* Unde *ly* omnia, u distributio accommoda ad aliqu ra, sed absolute ad omnia, quia generaliter ei et universaliter ta sunt. Verum est præter e subjecit sibi omnia, ut dicitur 15.) sicut dicitur, Cœlum tegit Verum alia a se. Sed tunc ar Arrius. Pater omnia subjecit fil filius minor est ipso patre. Res dicendum est, quod verum e pater omnia subjecit filio se naturam humanam, in qua m patre. (*Joan. 14.*) *Pater major* sed secundum naturam divin Christus subjecit sibi omnia.

Consequenter cum dicit : *N tem necdum videmus omnia*

ei. Ostendit hoc nondum esse impletum, quia infideles peccatores et dæmones nondum sunt ei subjecti. (*Rom.* 10.) *Sed non omnes obediunt evangelio.* (*Exod.* 10.) *Usquequo non vis mihi subjici, etc.* Et sic peccatores non sunt subjecti Christo, per rebellionem voluntatis, sed per potentiam omnes subjiciuntur ei modo quantum ad auctoritatem, sed in futuro omnes quantum ad executionem. Unde hæc est expositio ejus quod supra dixit orbem terræ futurum.

LECTIO 3.

Ostenditur minoratio illa ab Angelis secundum passionem fuisse, quæ non repugnat excellentiæ Christi super Angelos.

9. *Eum autem qui modico quam angeli, minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum, ut gratia Dei, pro omnibus gustaret mortem.*

10. *Decebat enim eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummari.*

11. *Qui enim sanctificat et qui sanctificantur : ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens :*

12. *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te.*

13. *Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Deus.*

Supra Apostolus volens probare excellentiam Christi super angelos induxit auctoritatem prophetæ, in qua aliquid erat quod pertinet ad Christi dignitatem, sicut illud : Omnia subjecisti, etc. Et ipse illud exposuit. Aliquid autem quod pertinet ad ejus passionem, sc. minuisti eum, etc. Istud autem videtur repugnare suo principali intento, quo sc. intendit Christum præferre angelis. Et ideo hoc in parte ista diffuse exponit. Ubi duo facit, quia primo ostendit secundum quid sit ista minoratio intelligenda, quia sc. secundum passionem : secundo agit de convenientia passionis, ibi : *Decebat enim.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit illud, quod est dictum. Secundo describit ipsam passionem, ibi : *Ut gratia Dei.* Dicit ergo : Eum autem, etc. Continuetur sic, ita dictum est, quid est homo, etc. Gloria et honore, etc. Omnia subjecisti, etc. Minuisti eum, etc. Et hæc propheta de Christo prædixit, sed jam multa de istis videmus impleta. Pro certo ergo tenemus, quod quæ restant sunt implenda, sc. quod omnia subjicientur ei, etc. Greg. Præteritorum exhibitio, futurorum est certitudo. Et potest sic construi. *Nos eum qui modico quam angeli minoratus est, videmus esse Jesum :* nec solum hoc, sed *Gloria et honore coronatum, propter passionem mortis,* quæ fuit causa illius exaltationis. (*Phil.* 2.) *Propter quod et Deus exaltavit illum, etc.* Et dicit mortis, quia non qualemcumque passionem sustinuit, sed acerrimam et turpissimam. (*Sap.* 2.) *Morte turpissima condemnemus eum.* Vel aliter: *Nos videmus Jesum.* Et quasi quæreretur ab ipso quem diceret : ideo respondens dicit, sc. eum qui per passionem mortis modico minoratus est quam

angeli, cum gloria et honore coronatum, quasi dicat: Hæc minoratio non est intelligenda in Christo nisi propter passionem mortis. Nec est mirum, quia quantum ad hoc non solum angelis sed etiam hominibus est minor. (*Is.* 53.) *Desideravimus eum novissimum virorum, etc.* Dicit autem Gloss. et est Augustini contra Maximinum, quod Christus non est minoratus ab angelis propter conditionem naturæ humanæ, sed propter passionem. Natura enim mentis humanæ, quam Christus sine peccato assumpsit, nihil est majus quam sola trinitas. Minor ergo angelis corpore, quia passio est secundum corpus, quod videtur esse contra Dionys. qui dicit, 4. c. angelicæ hierarchiæ, quod angeli naturali participatione luminis majores sunt quam homines. Et dicendum est, quod de natura mentis humanæ et angelicæ dupliciter possumus loqui. Uno modo secundum naturalia sola, et sic natura angelorum excellentior est et nobilior, quam natura mentis humanæ, quia angelus accipit cognitionem divinæ veritatis in quadam excellentia et plenitudine intellectualis luminis, sed homo ex creaturis. Alio modo possumus accipere naturam utriusque sine peccato, in ordine ad beatitudinem obtinendam, et sic sunt æquales. (*Luc.* 20.) *Erunt sicut angeli in cœlo* : Christus tamen quantum ad excellentiam gratiæ, secundum mentem humanam major est angelis. Ista igitur minoratio non est secundum naturam divinitatis, nec absolute secundum naturam humanam, nisi inquantum passus est secundum illam. Possumus autem dicere quod Christus triplici gloria fuit coronatus, sc. gloria sanctificationis, quam habuit in primo instanti suæ conceptionis. Item gloria divinæ fruitionis, quia ab ipso instanti suæ conceptionis fuit comprehensor. Item gloria impassibilitatis, quam meruit post passionem.

Deinde cum dicit : *Ut gratia Dei*, describit ipsam passionem et describit eam tripliciter. Primo ex causa cum dicit : Ut gratia Dei. Secundo ex utilitate cum dicit : Pro omnibus. Tertio ex modo cum dicit : Gustaret. Causa enim fuit sola gratia Dei. Unde continuatur sic, videmus Jesum qui minoratus est, ex hoc, *Ut gratia Dei, etc.* Ex ipsa enim factum est, quod filium suum unigenitum dedit. (*Joan.* 3.) *Sic enim dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum daret.* (*Rom.* 5.) *Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quia cum adhuc peccatores, etc.* Vel secundum quod dicit Gloss. Augustini, ut gratia, id est, ipse Christus qui est gratia Dei. Et sic gratia est nominativi casus. Dicitur autem Christus gratia, quia auctor est gratiæ. (*Joan.* 1.) *Gratia et veritas per Jesum Christum facta est.* Vel quia est gratia datus. (*Is.* 6.) *Filius datus est nobis*, ut sit sensus, quod ipse minoratus est, ut ipse qui gratia Dei, etc. Utraque positio est secundum Gloss. *Pro omnibus*, ecce utilitas. Pro omnibus autem dupliciter potest intelligi. Vel ut sit distributio accommoda, sc. pro omnibus prædestinatis, pro istis etiam tantum habet efficaciam. Vel absolute pro omnibus quantum ad sufficientiam. Sufficiens enim quantum ad se omnibus est. (1 *Tim.* 4.) *Qui est salvator omnium, maxime autem fidelium.* Chrysostomus. Pro omnibus hominibus generaliter mortuus est, quia omnibus pretium sufficit. Et si omnes non credunt, ipse tamen quod suum est implevit. *Gustaret*, ecce modus. Gustat enim qui non multum comedit nec bibit. Quia ergo Christus non perseveravit in morte,

sed statim surrexit, ideo gustavit. (*Ps.* 109.) *De torrente in via bibit, etc.* Viator festinat. Item gustus est discretivus saporis. Unde qui gustat magis discernit, quam qui bibit, designat quod mortem et dolorem sensit, et sic mors non fuit phantastica, ut dicit Manichæus et Apollinaris, ideo dicit: gustavit. (*Thren.* 1.) *O vos omnes qui transitis per viam, etc.* Modus vero ponitur cum dicitur : *Gustaret.* Simile habetur (*Matth.* 26.) *Pater si possibile est transeat a me calix iste,* et hoc propter tres rationes, primo propter mortis amaritudinem exprimendam, cujus experientia est per gustum. (*Thren.* 1.) *O vos omnes qui transitis per viam.* (*Is.* 24.) *Amara erit potio bibentibus eam.* Secundo quia sicut gustare vel non gustare est in potestate gustantis, sic et passio Christi fuit voluntaria. (*Joan.* 10.) *Potestatem habeo ponendi animam meam.* Tertio quia gustare est parum sumere, Christus autem parum perseveravit in morte, secundum illud (*Ps.* 15.) *Non derelinques animam meam in inferno, etc.*

Deinde cum dicit : *Decebat enim eum, etc.*, ostendit convenientiam ex utilitate. Deus enim pater est qui fuit causa mortis. Ipse enim est, *Per quem omnia,* sicut per causam efficientem, et propter quem omnia, sicut per causam finalem. Propter ipsum enim sunt omnia, quia propter bonitatem suam communicandam. Et hæc fuit causa movens ad producendum res, et ita finaliter sunt omnia propter Deum. (*Prov.* 16.) Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Sunt etiam effective per ipsum. (*Ps.* 145.) *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.* Est ergo omnium principium, et finis. (*Apoc.* 1.) *Ego sum α et ω, principium et finis.* (*Rom.* 11.) *Ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia.* Decebat ergo ipsum, quia actor est omnium, omnibus providere. (*Sap.* 6.) *Æqualiter illi cura est de omnibus.* Secundo conveniens fuit ex parte causæ, quæ, ut dictum est, fuit gratia Dei, gratia vero ordinatur ad gloriam. (*Rom.* 6.) *Gratia Dei, vita æterna;* Deus autem ab æterno prædestinavit, quos debet adducere in gloriam. Et isti sunt omnes illi, qui sunt participes filiationis filii ejus, quia si filii, et hæredes. (*Rom.* 8.) Et ideo dicit: *Qui multos filios in gloriam adduxerat,* quasi dicat: Ipse habet unum filium perfectum naturaliter (*Marc.* 12.) Adhuc ergo habens filium unum charissimum, etc. Qui est naturaliter splendor gloriæ. (*Supra* 1.) Alii autem sunt adoptivi, et ideo adducendi sunt in gloriam. Unde dicit : *Qui adduxerat,* id est, adducendos præordinaverat. Et quid decebat eum? Hoc sc. quod ipse est actor salutis eorum, etc. Salus ista in duobus consistit, sc. quod fiant filii, et quod inducantur in hæreditatem. Quod autem sint filii habent per filium naturalem. *Quos præscivit et prædestinavit, conformes fieri imaginis filii sui.* (*Rom.* 8.) Gloriam autem et hæreditatem non consequuntur nisi per eum, cujus naturaliter est hæreditas qui est splendor gloriæ : quia ergo per filium consequimur ista duo, ideo ipse convenienter dicitur auctor salutis. (*Matth.* 1.) *Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* (*Infra* 12.) *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum.* Decebat ergo quod pater auctorem salutis mitteret, sc. filium, ut expositum est, qui multos filios adduxerat per ipsum in gloriam. Et sic patet convenientia ex parte causæ. *Per passionem consummari,* id est, per fidem. Ipse enim inquantum est filius naturalis, est totaliter perfectus, sed quia in passione minoratus

fuit, debuit per meritum passionis perfici. Ex ista ergo consummatione, patet convenientia modi, de quo dixerat quod gustavit. Tantum enim gustavit mortem, quia non accepit eam, nisi ut per meritum passionis consummaretur. Ipsa enim ejus consummatio est ejus glorificatio. (*Luc ult.*) *Oportuit Christum pati, et ita intrare in gloriam suam.* Gustavit etiam, quia cum ipse adduxerit filios in gloriam, sicut medicus gustat medicinam ne infirmus abhorreat, sed ut securius bibat, ita ipse gustavit mortem, ut quia sine morte ingrediente necessitate non est salus, nullus mortem refugiat.

Consequenter cum dicit : *Qui enim sanctificat*, probat quod dixerat. Ubi duo facit, quia primo probat propositum suum ex parte patris consummantis. Secundo ex parte Christi consummati, ibi : *Quia ergo pueri.* Adhuc circa primum duo facit, quia primo proponit intentum. Secundo probat per auctoritatem, ibi : *Propter quam causam.* Dicit ergo : *Qui enim sanctificat et qui sanctificantur, ex uno omnes.* Sciendum est autem quod supra Apostolus tria dixerat. Primo quod Christus est causa salutis, in quo ostendit nos dependere ab ipso, sicut a salvatore. Secundo ostendit, quod pater est consummator ipsius Christi per meritum passionis, et in hoc Christus dependet a patre. Tertio quod pater nos adducit in gloriam, in quo etiam nos dependere a Deo ostendit, et secundum hoc, Apostolus hic tria facit. Primo enim ostendit quod dependemus a Christo. Sanctificatus enim dependet a sanctificato, Christus autem est sanctificans. (*Infra* 13.) *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem, etc.* Bene ergo dictum est, quod quia est actor et sanctificator, dependemus ab ipso, ipse vero a patre, a quo habet quod sanctificet, quod est secundum. Sed omnes, ipse sc. qui sanctificat nos qui sanctificamur, ex uno, sc. ex patre, quod est tertium. (*Rom.* 8.) *Hæredes Dei, cohæredes autem Christi.*

Consequenter ista tria probat per tres auctoritates. Et primo quod Christus tanquam mediator et actor salutis ea, quæ Dei sunt in nos refert. Unde dicit : *Propter quam causam*, quia sc. nos et ipse ex patre dependemus et sumus ex uno Deo patre, *Non confunditur eos vocare fratres*, quia sc. ex eodem patre. (*Malac.* 2.) *Nunquid non pater unus omnium nostrum ?* (*Rom.* 8.) *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Ideo dicitur in (*Ps.* 21.) *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Et (*Joan.* 2.) *Vade ad fratres meos.* Sed nota quod dicit: Non confunditur, etc. Quia aliqui de vili plebe nati, si promoventur, confunduntur cognoscere consanguineos suos. (*Prov.* 19.) *Fratres hominis pauperis oderunt eum.* Non sic autem Christus, sed dicit : *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* (*Joan.* 17.) *Pater manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi.* (*Joan.* 1.) *Unigenitus qui est in sinu patris, etc.* Istius annuntiationis ostendit fructum, cum dicit : *In medio ecclesiæ laudabo te*, quasi dicat: per hoc congregatur tibi magna ecclesia, in cujus medio laudabo te. Et dicit in medio, quia sicut columna in medio domus ipsam sustentat, lucerna in medio domus illuminat, cor in medio corpus vivificat, ita Christus in medio ecclesiæ. Item in medio, quia non ad unum populum tantum, sicut Moyses missus fuit. (*Ps.* 75.) *Notus in Judæa Deus*, sed ad salutem totius mundi. (*Ps.* 73.) *Operatus es salutem in medio terræ*, et ideo dicitur (*Luc. ult.*) *Stetit Jesus in medio discipulorum.* Sciendum est circa hoc, quod ante legem consue-

tudo erat, quod omnes primogeniti erant sacerdotes et hoc pertinebat ad jus primogenituræ. Christus autem est frater sicut primogenitus, et ideo est sacerdos. Sacerdos autem populum sanctificans, medius est inter Deum et populum. (*Deut.* 5.) *Ego illo tempore sequester fui.* Et ideo pertinet ad ipsum nunciare, quæ Dei sunt ad populum, Secundo, quæ populi sunt referre in Deum, primum facit dicendo, et ideo dicit: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, id est, ducam eos in notitiam tui, et hoc est sanctificare eos. (*Joan.* 14.) *Sanctifica eos in veritate, etc.* Secundum faciendo, dum facit homines ex affectu in Deum prorumpere in laudem Dei, et ideo dicit: in medio ecclesiæ.

Deinde cum dicit: *Et iterum, etc.* ostendit quod ipse Christus dependet ex patre per hoc quod dicit: *Ego ero fidens in eum.* Hoc secundum Hieronymum habetur (*Is.* 8.) Ubi nos habemus: *Expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, etc.* Sed (*Is.* 12.) expresse habetur: *Fiducialiter agam, et non timebo.* Ego ero fidens in ipso pro gloria capitis et membrorum, quod supra dixit consummationem. (*Ps.* 30.) *In te Domine speravi.* Ostendit autem quam spem habet, quia non quamcumque, sed firmam, quæ dicitur fiducia. Spes enim et si non sit de impossibili, tamen habet timorem conjunctum quandoque et tunc proprie dicitur spes. Spes quandoque est firma et sine timore, et tunc proprie dicitur fiducia. Et istam habuit Christus. Dicit ergo: Fidens ero in eum, id est, habebo fiduciam in adjutorio ejus, sc. patris, pro gloria corporis quod resuscitabit, et membrorum et animæ. (*Ps.* 30.) *In te Domine speravi, etc.* (*Jer.* 24.) *Beatus vir qui confidit in Domino.* Sed contra, sancti dicunt, quod in Christo, nec fides, nec spes est, sed sola charitas. Respondeo: dicendum, quod aliud est spes, aliud fiducia, nam spes est expectatio futuræ beatitudinis, et hæc non fuit in Christo, quia ab instanti suæ conceptionis beatus fuit. Fiducia autem est expectatio cujuscumque auxilii, et secundum hoc fuit in Christo fiducia, inquantum secundum humanam naturam, expectabat a patre auxilium in passione. Unde cum ibi invenitur quod Christus dicatur habere spem, non est intelligendum ratione principalis objecti quod est beatitudo, sed ratione gloriæ resurrectionis, et gloriæ corpori collatæ.

Deinde cum dicit: *Et iterum, etc.* ostendit tertium, sc. quod refert nos in Deum, dicens: *Ecce ego.* Et habetur (*Is.* 8.) quasi dicat: Relatus sum in Deum, ego, inquam, qui sum fidens. *Et similiter pueri mei,* quos in Deum reduco, sc. discipuli mei. (*Joan. ult.*) *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* — *Quos dedit mihi Deus.* (*Joan.* 17.) *Tui erant, et mihi eos dedisti.* Isti dicuntur pueri propter puritatem. (1 *Reg.* 21.) *Si mundi sunt pueri et maxime a mulieribus,* et paulo post ibidem sequitur: *Fuerunt vasa puerorum sancta.* Item propter simplicitatem. (1 *Cor.* 14.) *Nolite pueri effici sensibus sed malitia parvuli estote.* Item propter humilitatem. (*Matth.* 18.) *Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, etc.* Item propter facilitatem ad bonum. *Sinite parvulos venire ad me,* et ostendit quod non solum ipse est a Deo, sed etiam pueri, unde subdit: *Quos dedit mihi Dominus,* et sic verum fit quod dixit: Qui sanctificat et qui sanctificantur ex uno omnes, quia (*Joan.* 6.) *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.*

LECTIO 4.

Convenientia passionis Christi ex ipsius morte ostenditur, per quam facti actor salutis omnium.

14. *Quia ergo pueri commun icaverunt carni et sanguini : et ipse similiter participavit eisdem; ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum.*
15. *Et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti.*
16. *Nusquam enim angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*
17. *Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.*
18. *In eo enim in quo passus est, ipse et tentatus : potens est et eis qui tentantur auxiliari.*

Supra ostendit Apostolus convenientiam mortis Christi ex parte patris mortem deponentis, hic ostendit idem ex parte ipsius Christi mortem patientis. De Christo vero dixit quod erat actor salutis fidelium, ideo hic intendere quomodo per passionem effectus est actor salutis eorum. Et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit conditionem naturæ, per quam mori potuit et pati. Secundo ostendit utilitatem quam per mortem attulit, ibi : *Ut per mortem.* Tertio probat quod proposuerat, ibi : *Nusquam enim angelos.* Dicit ergo primo : Ita dixi quod ipse et pueri sunt ex uno omnes, et quod vocavit eos fratres, ergo conveniens fuit quod esset eis similis, non tantum quia impartitur eis participationem naturæ divinæ, quod est ex dono gratiæ, sed etiam quia ipse naturam eorum assumpsit. Unde dicit : *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini,* et ipse similiter participavit eisdem. Ubi notandu quod nomine carnis et sanguir quando ipsa natura carnis et s nis intelligitur. (*Gen.* 2.) *H os ex ossibus meis et caro d mea,* ut sic per carnem in corpus secundum illud (*Job.* 20 *et carnibus vestisti me,* per san vero intelligas animam, no anima sit ipse sanguis, sed q conservatur in corpore sine sa Aliquando vero per carnem et s nem, intelliguntur vitia carnis guinis. (*Matth.* 19.) *Caro et s non revelavit tibi.* Aliquando v corruptibilitas carnis et san (1 *Cor.* 15.) *Caro et sanguis Dei non possidebunt, neque co incorruptionem.* Sed hic non in tur de vitiis : Christus enim ass naturam sine peccato, sed cum bilitate, quia assumpsit carnem s peccatrici. (*Rom.* 8.) *In similit carnis peccati.* Ipse ergo commu vel pueris, vel etiam carni et sa Et totum similiter, quia sc. no fantastice, ut dixit Manichæu accidentaliter, ut dixit Nestori veræ carni et sanguini, sicut et et in unitate personæ. Quod aut dicitur quod Christus commu carni et sanguini, non est intellig secundum quod dicunt vitia ca sanguinis, quia non assumpsit nec commisit, sed secundum dicunt ipsam substantiam carni matæ, quia carnem et animam as sit. Item est intelligendum de p litate carnis, quia assumpsit n nostram passibilem, ut sit s

Quia pueri, id est, fideles habuerunt naturam passibilem, et ipse sc. Christus participavit eisdem, vel pueris, sc. in natura carnis et sanguinis, vel eisdem, id est, carni et sanguini non quidem fantastice, ut delirat Manichæus, nec accidentaliter, ut fingit Nestorius, sed similiter, sc. nobis, id est, eo modo quo nos participamus, id est, secundum rei veritatem, sc. personaliter et substantialiter. Nos enim participamus eis in persona, et Christus etiam similiter assumpsit ea in unitatem personæ. (*Joan.* 1.) *Verbum caro factum est.* Potest etiam per carnem et sanguinem intelligi caro et sanguis Christi, secundum illud (*Joan.* 3.) *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem*, quibus pueri, sc. Apostoli communicaverunt in cœna: (*Matth.* 26.) et Christus similiter participavit eisdem sc. carni et sanguini, quia ipse similiter sumpsit, ut Chrysost. expresse dicit super (*Matth.* 26.) Ipse inquit Christus bibit sanguinem suum. Unde (*Luc.* 22.) *Desiderio desideravi, etc.*

Consequenter ostendit utilitatem quam per mortem attulit, cum dicit: Ut per mortem destrueret, etc. Et circa hoc facit duo. Primo enim ostendit utilitatem istam ex parte diaboli, qui tenebat. Secundo ex parte nostra, qui tenebamur, ibi: *Ut liberaret eos.* Dicit ergo: Ideo participavit carni et sanguini, id est, assumpsit naturam in qua posset pati et mori, quod non poterat in divina, *Ut per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium*, id est diabolum. Sed quomodo habet diabolus mortis dominium? Hoc enim est solius Dei. (1 *Reg.* 2.) *Dominus vivificat, et mortificat*, et (*Deut.* 32.) *Ego occidam, et ego vivere faciam.* Respondeo: Dicendum est quod aliter habet dominium mortis judex, quia sc. quasi mortem infligens, cum per mortem punit, aliter latro, quasi sc. mortem sibi ex demerito acquirens. Primo modo Deus habet mortis imperium. (*Gen.* 2.) *Quacumque die comederis ex eo morte morieris.* Secundo modo diabolus, qui suadendo homini peccatum, morti ipsum addixit. (*Sap.* 2.) *Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Dicit autem destrueret, non quantum ad substantiam quam habet incorruptibilem, non quantum ad malitiam, ut aliquando diabolus bonus fiat (ut dicit Origenes) sed quantum ad potestatis dominium. (*Joan.* 12.) *Nunc judicium est mundi, nunc princeps mundi hujus ejicietur foras.* (*Col.* 2.) *Expolians principatus et potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Et hoc factum est per mortem Christi triplici ratione. Una est ex parte Christi. Justitiæ enim est vera ratio, ut victor victum sibi subjiciat. (2 *Pet.* 2.) A quo enim quis superatus est, hujus et servus est. Christus enim vicit diabolum. (*Apoc.* 5.) *Vicit leo de tribu Juda.* Et ideo justum est diabolum sibi esse subjectum. (*Luc.* 11.) *Cum fortis armatus custodit atrium suum, etc.* Alia ratio est ex parte diaboli. Justitia enim exigit, quod qui male utitur potestate sibi concessa, amittat eam. Diabolo autem data est permissive in peccatores quos seduxit, sed non in bonos. Quia ergo hanc extendere præsumpsit, etiam in ipso Christo, qui peccatum non fecit. (*Joan.* 14.) *Venit princeps mundi hujus et in me non habet quicquam*, ideo meruit illam perdere. Tertia ratio est ex parte nostri, quia justum est, quod victus sit servus victoris, ut dictum est. Homo autem per peccatum servus erat diaboli. (*Joan.* 8.) *Qui facit pec-*

catum servus est peccati, et ita subjectus diabolo, et obnoxius peccato. Christus autem solvit pretium pro peccato nostro. (*Ps.* 68). *Quæ non rapui tunc exolvebam.* Sublata ergo causa servitutis, sc. peccato, per Christum est homo liberatus. Sciendum est autem, quod nulla alia satisfactio fuit conveniens. Homo enim erat debitor, unus autem bene potest satisfacere pro alio ex charitate. Nullus autem pro tota humana natura, quia non habet potestatem super illam. Nec etiam ipsum humanum genus sufficienter poterat satisfacere, quia totum erat peccato obnoxium. Nec etiam angelus, quia ista satisfactio est ad gloriam, quæ excedit facultatem naturæ angeli. Oportuit ergo esse hominem qui deberet satisfacere, et Deum, qui solus habet potestatem super totum humanum genus, qui posset pro toto humano genere satisfacere. Per mortem ergo Dei et hominis destruxit eum qui habet mortis imperium.

Consequenter cum dicit : *Ut liberaret eos, etc.* ponitur alia utilitas ex parte nostra : circa quod sciendum est, quod homo intantum est servus peccati inquantum inducitur ad peccandum. Inter omnia vero duo sunt, quæ inducunt ad peccandum efficacissime, sc. præsentium bonorum amor male inflammans, præsentium etiam pœnarum timor, male humilians. De his (*Ps.* 79.) *Incensa igni*, quantum ad primum, *et suffossa*, quantum ad secundum. Hæc autem duo in idem reducuntur, quia quanto quis amat bonum aliquod, tanto timet malum sibi contrarium. Ista sunt quibus homo ligatur et detinetur in peccato, magis tamen per timorem movetur, quam per amorem. Unde videmus, quod sævæ bestiæ, pœnarum timore retrahuntur a maximis voluptatibus, et sic timor maxime ligat homines. omnes autem, timor mortis est i mus. Est enim finis terribilium. U homo timorem istum superat, su omnes ; et hoc superato, supe omnis amor mundi inordinatus. E Christus per mortem suam freg ligamen, quia abstulit timorem tis, et per consequens amorem præsentis. Quando enim cons homo, quod filius Dei Dominus n mori voluit, non timet mori. E est quod ante mortem Christi d ille in (*Eccl.* 41.) *O mors quam a est memoria tua.* Sed post m Christi clamat Apostolus. (*Ph Desiderium habens dissolvi et es Christo.* Unde (*Matth.* 10.) *No mere eos, qui occidunt corpus, e*

Dicit ergo : *Ut liberaret eo* timore mortis obnoxii erant ser sc. peccati, per totam vitam, nimis appetebant. Vel aliter : enim duplici servituti erat obn sc. legis et peccati. Unde (*Act.* 1 dicitur *jugum, quod nec nos, n tres nostri portare potuimus.* enim Moysi erant graves. (*Exo Gal.* 4.) *Ut eos qui sub lege era dimeret.* Erant enim obnoxii se peccati. Ab ista duplici servitute tus nos liberavit. Differentia inter novum et vetus testam est timor, et amor. In novo est (*Joan.* 14.) *Si diligitis me m mea servate.* Vetus autem fuit moris. (*Rom.* 8.) *Non enim acc spiritum servitutis iterum in* Et ideo dicit : Ut liberaret eos more mortis corporalis, quam i bat lex, per totam vitam obnoxi servituti legis. Sed quæritur c tim non liberavit a morte, sed more mortis ? Respondeo : dic est, quod statim liberavit nos a quantum ad causam, sed ab

morte nondum, quamvis liberaverit a timore mortis. Cujus ratio est, quia si liberasset a morte corporali, homines servirent Christo tantum propter bonum corporale, et sic periret meritum fidei et spei : similiter etiam ipsæ pœnæ sunt nobis meritoriæ ad vitam æternam. (*Act.* 14.) *Per multas tribulationes, etc.* Et notandum, quod liberavit nos a timore mortis, primo ostendendo futuram immortalitatem, et ex hoc homo parvipendit mortem temporalem. (1 *Cor.* 3.) *Christus resurgens primitiæ dormientium, etc.* Secundo prægustando voluntarie mortem, ex quo promptiores efficimur ad subeundum mortem pro Christo. (2 *Pet.* 3.) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, etc.* Tertio aperiendo aditum ad gloriam, qui ante mortem suam non patebat, et ex hoc non solum non timemus mortem, sed desideramus eam (2 *Cor.* 5.) *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, etc.*

Consequentur cum dicit : *Nusquam enim angelos apprehendit*, probat Apostolus utilitatem, quam mors Christi attulit. Et circa hoc tria facit. Primo enim ostendit, quod Christus per mortem nos liberavit, quod probat ex conditione naturæ passibilis quam assumpsit. Secundo concludit similitudinem, ibi : *Unde debuit.* Tertio ostendit similitudinis utilitatem, ibi : *Ut misericors fieret.* Dicit ergo : Ita dixi quod Christus per mortem suam liberavit nos a peccatis et morte. Nec est dubium, quod quantum ad conditionem naturæ angelus major est homine, sed quia angelus non fuit obnoxius servituti, nec dignus morte, ideo non assumpsit angelum. Quod si assumpsisset angelum, hoc utique fuisset propter dignitatem naturæ, sed nusquam legimus quod assumpsit eum, *Sed tantum semen Abrahæ*, id est, humanam naturam, non tamen idealem, sed in individuo et atomo, et ex semine Abrahæ. (*Matth.* 1.) *Fili Abraham, etc.* Et hoc addit, ut Judæi qui gloriantur se esse de genere Abrahæ magis venerentur Christum. Signanter vero dicit : *Apprehendit*, quia illud proprie dicitur apprehendi quod fugit. Non solum autem ipsa natura humana fugiebat a Deo, sed etiam ipsi filii Abrahæ. (*Zach.* 7) *Averterunt scapulam, etc.* Ista autem apprehensio naturæ humanæ in unitatem personæ filii Dei, naturam nostram supra modum exaltat : unde dicit Chrysost. Magnum revera et mirabile et stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere et adorari ab angelis et archangelis. Hoc ego sæpius in mente versans excessum patior, magna de genere humano imaginans.

Sed videtur quod magis debuerit naturam angelicam apprehendere quam humanam naturam : similitudo enim est ratio faciens ad congruitatem incarnationis divinæ personæ. In natura autem angelica invenitur expressior similitudo Dei quam in humana, quia ipsa est signaculum similitudinis. (*Ezech.* 28.) Magis ergo videtur quod debuerit apprehendere Angelum, quam semen Abrahæ. Præterea. In natura angelica invenitur peccatum sicut in humana. (*Job.* 4.) *In angelis suis reperit pravitatem.* Si ergo apprehendit naturam humanam ut liberaret eam a peccato, videtur quod multo magis apprehendere debuerit angelicam. Respondeo : dicendum, quod assumptibilis dicitur aliqua natura a filio Dei secundum congruentiam ad unitatem personæ. Ista autem congruentia attenditur quantum ad duo, sc. quantum ad dignitatem, ut illa natura sit

assumptibilis, quæ nata est attingere ipsum verbum per suam operationem amando et cognoscendo ipsum, et quantum ad necessitatem, ut sc. subjaceat peccato remediabili. Primum et secundum sunt in humana natura, quæ apta nata est Deum amare et cognoscere, et peccatum ipsius remediabile fuit, et ideo est assumptibilis. Naturæ autem angelicæ licet adsit primum, deest tamen secundum, nam peccatum est irremediabile, non quidem ex gravitate culpæ, sed ex conditione naturæ seu status. Quod est hominibus mors, est angelis casus, ut dicit Damascenus. Manifestum autem quod omnia peccata hominis, sive sint parva, sive sint magna, ante mortem sunt remissibilia, post mortem vero sunt irremissibilia et perpetuo manent, et ideo natura angelica inassumptibilis est. Et per hoc patet solutio ad objecta, quia licet in natura angelica sit congruentia dignitatis, deest tamen congruentia necessitatis.

Deinde cum dicit : *Unde debuit per omnia fratribus assimilari*, ex prædictis concludit similitudinem, quasi dicat : Quia ergo non apprehendit angelos, sed semen Abrahæ, ideo debuit per omnia assimilari fratribus. Per omnia, inquam, in quibus sunt fratres non in culpa, sed in pœna, et ideo debet habere passibilem naturam. Unde (*infra* 4.) Tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato, quantum sc. ad pœnam, non tentationem culpæ. Item sunt fratres quantum ad gratiam. (1 *Joan.* 3.) *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus pater, ut filii Dei nominemur et simus.* — (*Rom.* 8.) *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri, etc.*

Consequenter ponit utilitatem istius similitudinis, dum dicit *misericors fieret.* Ubi duo facit primo ponit eam, secundo ipsam, ibi : *In eo enim, etc* Christus secundum quod m est, duplex habet officium. quod præponitur toti humano sicut judex. (*Joan.* 5.) *Potestat dit ei judicium facere, etc.* Ali comparationem ad Deum, apu pro nobis quasi advocatus inte quia assistit vultui ejus pro (*infra* 9. *et* 1 *Joan.* 2.) *Adv habemus apud patrem Jesum tum, etc.* In judice autem max sideratur misericordia, et præ reis. In advocato desideratur fi In Christo autem insinuat Apo duo esse per passionem ejus. num enim genus in Christo i tum est judex desiderabat cordiam, inquantum Advocatu litatem. Et ista duo exhibuit C per passionem. Unde quant primum dicit quod per pas assimilatus est fratribus, ut cors fieret. Sed nunquid non f sericors ab æterno ? Videtur qu quia miserationes ejus super opera ejus. (*Ps.* 144.) Item ab habuit misericordiam. (*Job.* 3 *infantia crevit mecum miseratio* pondeo : dicendum est, quod ratio dicitur quasi miserun super aliena miseria, et hoc pliciter. Uno modo per solam hensionem, et sic Deus sine p nostram miseriam apprehendi enim cognovit figmentum no ut dicitur in (*Ps.* 102.) Alio per experientiam, et sic Christ tissime in passione expertus seriam nostram. Et sic dicit qui erat misericors per apprehe nem nostræ miseriæ, fieret cors per experientiam. (*Is.* 58.

mabo et dicam : esse adsum, quia misericors sum Dominus Deus tuus. Et inde est, quod misericordiam fecit, ut patet de muliere deprehensa in adulterio. Misericordiam docuit. (*Matth.* 5.) *Estote misericordes, etc.* Misericordiam mandavit. (*Matth.* 12.) *Discite quid est, misericordiam volo et non sacrificium, etc.* Item ipse est fidelis advocatus. Et ideo dicitur: *Fidelis pontifex.* (*Infra* 9.) *Christus assistens pontifex futurorum bonorum.* Et requiritur quod sit fidelis. (1 *Cor.* 4.) *Hic jam quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*, et hoc totum, *Ut repropitiaret delicta populi*, sc. pro quo mortem sustinere voluit. Ipsa enim passio allegatio est, et fidelium interpellatio.

Deinde cum dicit : *In eo enim, etc.* exponit istam utilitatem et continuatur sic, quasi dicat : Non loquor de Christo inquantum Deus, sed inquantum est homo. Et ideo *In eo*, id est, in illa natura quam assumpsit, ut experiretur in se nostram causam esse suam. Unde dicit : *Et tentatus et passus est*, ideo, *Potens est et eis qui tentantur auxiliari.* Vel aliter. Ideo factus est misericors et fidelis, quia in eo quod passus et tentatus est, habet quandam convenientiam ad hoc quod misereatur. Et dicit tentatus, non a carne, sed ab hoste. (*Matth.* 4.) *Ductus est Jesus in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo.* In ipso enim non fuit aliqua rebellio partis inferioris ad superiorem, sed passus est in carne pro nobis. (1 *Pet.* 2.) *Christus passus est pro nobis, etc.* Et 4. *Christo ergo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini.*

CAPUT III.

Præfertur Christus Moysi, et Aaron, quia ille filius, isti vero ministri nuncupantur, et servi.

1. *Unde fratres sancti vocationis cœlestis participes, considerate Apostolum et pontificem confessionis nostræ Jesum.*

2. *Qui fidelis est ei qui fecit illum, sicut et Moyses in omni domo ejus.*

3. *Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus habitus est, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.*

4. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo. Qui autem omnia creavit, Deus est.*

5. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo ejus, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant.*

6. *Christus vero tanquam filius in domo sua: quæ domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem, firmam retineamus.*

Sicut supra dictum fuit, lex vetus ex tribus habuit auctoritatem, sc. ex angelo, ex Moyse, et ex Aaron Pontifice. Apostolus autem supra prætulit Christum auctorem novi testamenti angelis, per quos lex data fuit, hic intendit ipsum præferre Moysi, qui fuit promulgator, et quasi legislator veteris testamenti. Et circa hoc facit duo. Primo enim præfert Christum Moysi. Secundo concludit ex hoc, quod sit efficacissime obediendum Christo, ibi : *Quapropter sicut.* Circa primum duo facit. Primo præmittit dignitatem Christi. Secundo ostendit quid sit commune Christo et Moysi, ibi : *Amplioris.*

Circa primum duo facit : quia primo ponit conditionem eorum ad quos loquitur, secundo ponit conditionem ejus de quo loquitur, ibi : *Considerate.* Illos autem ad quos loquitur describit tripliciter. Primo ex charitate, Unde dicit : *Fratres*, quasi diceret : quia ex semine Abrahæ fratres estis et Christi, et inter vos ad invicem. (*Matth.* 23.) *Omnes vos fratres estis, etc.* Item fratres Christi. (*Supra* 2.) *Non confunditur eos vocare fratres.* Hanc autem fraternitatem facit charitas. (*Ps.* 127.) *Ecce quam bonum et quam jucundum, etc.* Secundo etiam describit eos ex sanctitate, cum dicit : *Sancti.* Et hoc propter sacramentorum perceptionem qua sanctificamur a Christo. (1 *Cor.* 6.) *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, etc.* Tertio describit eos ex vocatione cum dicit : *Vocationis cœlestis participes.* Ista autem vocatio dupliciter potest intelligi cœlestis esse. Vel ratione finis, vel ratione principii. Ratione quidem finis, quia vocati sunt non ad terrena, sicut in veteri testamento, sed vocati sunt ad cœlestia regna. (1 *Thess.* 2.) *Vocavit nos ad suum regnum et gloriam.* (1 *Pet.* 2.) *Qui de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Ratione vero principii, quia non est ex meritis nostris, nec ex humana adinventione, sed sola cœlesti gratia. (*Gal.* 1.) *Vocavit per gratiam suam.* (*Rom.* 8.) *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit.* (*Is.* 41.) *Qui suscitavit ab oriente justum, vocavit eum, ut sequeretur se.* Dicit autem *Participes*, quia non solum Judæi vocati sunt ad gratiam fidei et novi testamenti, sed etiam gentes. (*Col.* 1.) *Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Quia ergo estis in charitate, et sancti, et vocati ad cœlestia, debetis libenter audire loqui de eo, per quem ista vobis proveniunt.

Consequenter describit illum de quo loquitur, cum dicit ; *Considerate.* (*Infra* 12.) *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, etc.* Sed quem ? *Apostolum*, inquit, *et pontificem confessionis nostræ Jesum.* Apostolus enim in sequentibus præfert Christum Moysi et Aaron, et ideo adscribit ei utriusque dignitatem, Moysi, sc. quia missus fuit a Deo. (*Ps.* 104.) *Misit Moysen servum suum.* Aaron vero qui pontifex fuit. (*Exod.* 28). *Applica quoque ad te Aaron, etc.* Christus autem excellentius missus fuit Apostolus, quam Moyses. (*Exod.* 4.) *Obsecro Domine, mitte quem missurus es*, quasi dicat : alium digniorem missurus es. Item ipse est pontifex et sacerdos. (*Ps.* 109.) *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Quasi ergo præmittit hic conditionem suam principalem, dicens ; Unde, id est, ergo fratres considerate Apostolum, quasi dicat : Prætermittatis considerare illum Apostolum, id est, missum Moysen et pontificem Aaron, et considerate Apostolum et pontificem confessionis nostræ, id est, illum quem nos confitemur. Hoc est enim necessarium ad salutem, ut confiteamur eum. (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, vel *confessionis*, id est, sacrificii spiritualis. Omnis enim sacerdos ordinatur ad sacrificia offerenda. Duplex autem est sacrificium, sc. corporale vel temporale. Et ad hoc institutus fuit Aaron. Aliud autem est sacrificium spirituale, quod est in fidei confessione. (*Ps.* 49.) *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et ad istud sacrificium institutus est Christus, non ad tauros. (*Is.* 1.) *Holocausta arietum et adipem pinguium et sanguinem vitulorum, et agnorum*

et hircorum nolui. Et paulo post ibidem sequitur: Ne offeratis ultra sacrificium frustra.

Deinde cum dicit: *Qui fidelis, etc.* comparat Christum Moysi. De Aaron infra facit mentionem specialem. Et ponit primo hic, ut dictum est, illud, in quo conveniunt: secundo, in quo Christus superat Moysen, ibi: *Amplioris enim gloriæ.* Commune Christo et Moysi est fidelitas ad Deum, et ideo dicit: qui fidelis est; ubi sciendum est, quod totum hoc, quod hic dicitur de Moyse, fundatur super illud quod habetur (*Num.* 12.) Ubi Dominus ostendit excellentiam Moysi, postquam jurgati sunt contra ipsum Aaron et Maria, ubi ponuntur hæc verba, quæ Apostolus hic allegat. Ibi enim dicitur sic. At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ubi si bene attendimus, magis commendatur Moyses, quam in aliquo loco Bibliæ. Et ideo Apostolus tanquam excellentissimum ad commendationem Moysi hoc accipit. Hoc autem potest convenire et Christo et Moysi. De Moyse enim patet ex ipsa historia allegata. De Christo etiam intelligitur, quia ipse secundum quod homo *Fidelis est ei qui fecit eum*, sc. Deo patri, qui fecit eum, sc. Apostolum et pontificem, non secundum divinam naturam, quia sic non est factus nec creatus, sed genitus, sed secundum humanam. (*Rom.* 1.) *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.* Fidelis autem fuit Deo patri. Primo non attribuens sibi quod habebat, sed patri. (*Joan.* 5.) *Mea doctrina non est mea*: secundo quia gloriam ejus quærebat, non suam. (*Joan.* 8.) *Ego gloriam meam non quæro.* Et 7. dicitur: *Qui quærit gloriam ejus, qui eum misit, hic verax est, et injustitia in illo non est.* Tertio, quia perfecte obedivit patri. (*Phil.* 2.) *Factus obediens usque ad mortem.* Fidelis ergo est Christus ei qui fecit eum. *Sicut et Moyses*, et hoc in omni domo ejus, quæ domus est universitas fidelium, de qua (*Ps.* 92.) *Domum tuam decet sanctitudo Domine.* Vel in omni domo ejus, id est, in toto mundo, non tantum in Judæa, sicut Moyses. (*Is.* 49.) *Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Deinde cum dicit: *Amplioris enim gloriæ*, præfert Christum Moysi, et hoc quantum ad duo. Primo quantum ad potestatem. Secundo quantum ad conditionem, ibi: *Et Moyses.* Commendando autem Christum, commendat ipsum habuisse honorem in omni domo sicut Moyses, sed quod Christus ipsum excellat ostendit. Ubi primo ponit rationem. Secundo manifestat, ibi: *Omnis namque.* Ratio autem Apostoli est, quod major gloria debetur illi qui fecit domum, quam illi qui eam inhabitat, Christus autem fabricavit domum. (*Ps.* 73.) *Tu fabricatus es auroram et solem.* (*Prov.* 9.) *Sapientia ædificavit sibi domum*, id est, Ecclesiam. Ipse enim Christus, per quem gratia et veritas facta est, tanquam legislator ædificavit Ecclesiam. Moyses autem tanquam legis pronuntiator, et ideo solum ut pronuntiatori debetur gloria Moysi. Unde et resplenduit facies ejus, de qua *Exod.* 34. *et* 2 *Cor.* 3.) Ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus ejus. Continuatur ergo sic littera: tu dicis quod Christus est fidelis sicut Moyses, quare ergo dimittemus ne consideremus? Certe quia *Amplioris gloriæ dignus est habitus præ Moyse, quanto ampliorem gloriam habet Dominus domus qui fabricavit illam*, quasi dicat: Etsi Moyses multum sit

honorabilis, tamen Christus honorabilior est, sicut fabricator domus, et sicut legislator principalis. (*Job.* 36.) *Ecce Deus excelsus in fortitudine sua, et nullus ei similis in legislatoribus.* Si ergo debetur gloria Moysi, ampliori dignus est Christus. (2 *Cor.* 3.) *Si ministratio damnationis in gloria est, multo magis ministerium justitiæ erit in gloria.*

Consequenter probat minorem suæ rationis, cum dicit : *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo.* Minor autem est, quod Christus fabricavit domum istam, et hoc probat primo, quia omnis domus indiget fabricatore: secundo, quia ista domus de qua loquitur, a Christo fabricata est, ibi : *Qui autem omnia.* Primo ergo probat quod ista domus sicut et quælibet alia indiget fabricatore, quia diversa non conjunguntur nisi ab aliquo uno, sicut patet de domo artificiali, in qua ligna et lapides ex quibus composita est uniuntur ab aliquo. Aggregatio autem fidelium, quæ est ecclesia et domus Dei, ex diversis collecta est, sc. Judæis et Gentibus, servis, et liberis. Et ideo ecclesia sicut et omnis domus ab aliquo uniente fabricatur. Hujus rationis ponit tantum conclusionem, supponens veritatem præmissarum ex facti evidentia. (1 *Pet.* 2.) *Ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domos spirituales, etc.* (*Ephes.* 2.) *Superædificati supra fundamentum Apostolorum et Prophetarum, etc.*

Deinde cum dicit : *Qui autem creavit omnia Deus*, probat quod Christus sit istius domus ædificator, ipse enim est Deus qui fecit omnia. Et sic hoc intelligitur de toto mundo, planum est. (*Ps.* 32.) *Ipse dixit et facta sunt, etc.* Est autem alia creatio spiritualis, quæ fit per spiritum. (*Ps.* 103.) *Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem, etc.* Et hæ Deo per Christum. (*Jac.* 1.) *V tarie genuit nos verbo veritati simus initium aliquod creaturæ* (*Eph.* 2.) *Ipsius factura sumus, in Christo Jesu in operibus* Deus ergo istam domum, sc. siam, ex nihilo, sc. de statu pe in statu gratiæ creavit. Ergo Ch per quem fecit omnia. (*Supr Per quem fecit et secula.* (*Joa Omnia per ipsum facta sunt, e ipso, etc.* est excellentior, utpot habet potestatem factoris, quam ses, qui solum fuit pronuntiator

Deinde cum dicit : *Et Moyses dem*, præfert Christum Moysi q tum ad conditionem, et circa hc facit. Primo enim ponit rati suam ; secundo manifestat eam *Quæ domus.* Ratio autem sua tali Constat quod amplioris grati Dominus et in domo propria, qua mulus et in domo Domini. Sed M est fidelis sicut servus et in Domini, Christus vero sicut Do et in domo sua, ergo, etc. Circa sciendum est quod Apostolus diligenter notat verba illa, scri Moyse, in quibus duo dicunt ipso : vocatur enim servus, v etiam fidelis non in domo propri in domo Dei nostri. Et quantu ista duo, præfert Christum Primo enim ostendit quid con Moysi. Secundo quid conveniat to, ibi : *Christus vero tanquam* Dicit ergo, *quod Moyses fideli tanquam servus*, id est, sicut dispensator. (*Matth.* 25.) *Euge bone et fidelis, quia in pauca fu delis, supra multa te const* Christus autem quodammodo est, sc. secundum carnem. (*Ph Formam servi accipiens*, sed fuit famulus Dei in verbis Dei

nendis filiis Israel. Ex quo patet, quod quia erat fidelis famulus, illa quæ dicebat ordinabantur ad alium, sc. ad Christum. Et hoc erat *In testimonium eorum, quæ dicenda erant.* (*Joan.* 5.) *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi, de me enim ille scripsit.* (*Act.* 10.) *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent.* Quia ergo erat famulus, ideo erat non in domo propria, sed in aliena. Et quia ea, quæ dicebat erant in testimonium eorum, quæ dicenda erant de Christo; ideo Moyses omniquaque minor fuit Christo.

Deinde cum dicit: *Christus vero,* ostendit quid conveniat Christo, quia sc. *Christus* non est sicut servus, sed tanquam filius in domo patris, et per consequens, *Sua,* quia hæres naturalis. (*Supra* 1.) *Quem constituit hæredem universorum, etc.* Ecclesia enim est domus Christi. (*Prov.* 14.) *Sapiens mulier ædificat domum.* (*Ps.* 2.) *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, etc.* (*Matth.* 3.) *Filius meus dilectus, etc.* Est ergo non servus, sed filius, et in domo sua: sed Moyses est servus, et in domo aliena. (*Joan.* 8.) *Filius manet in æternum.*

Deinde cum dicit: *Quæ domus sumus nos,* ostendit quæ sit ista domus. Ista domus sunt fideles, et sunt domus Christi, qui credunt in Christum. (1 *Tim.* 3.) *In domo Dei, quæ est ecclesia.* Et etiam quia Christus habitat in ipsis. (*Phil.* 3.) *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Hæc ergo domus nos fideles sumus. Ad hoc autem, quod simus domus Dei, quatuor oportet, quæ requiruntur circa domum, quæ non sunt in tabernaculo. Et ista tangit Apostolus. Primo, quod spes nostra et fides sit certa et permanens: tabernaculum autem, et si sit firmum, tamen cito moveri potest. Et significat illos qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt, sed illi sunt domus, qui verbum Dei retinent. Et ideo dicit: *Si retineamus fiduciam*; dictum est supra, quod fiducia est spes cum expectatione firma et sine timore. (2 *Cor.* 3.) *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum.* Secundo quod sit ordinate disposita. Et ideo dicit: *Spei gloriam,* id est, ad gloriam Dei ordinate, ita quod contemptis aliis, gloriemur in spe gloriæ. (*Jer.* 9.) *In hoc glorietur qui gloriatur, scire, et nosse me.* Tertio quod perseverans. Unde dicit: *Usque in finem.* (*Matth.* 10.) *Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.* Quarto quod sit firma, ut sc. nulla adversitate moveatur. Unde dicit: *Firmam.* (*Infra* 6.) *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam et firmam.*

LECTIO 2.

Si Christus Moyse excellentior est, ideo ei magis obediendum, et ponitur inobedientium pœna.

7. *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus, Hodie si vocem ejus audieritis:*
8. *Nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto:*
9. *Ubi tentaverunt me patres vestri: probaverunt, et viderunt opera mea.*
10. *quadraginta annis. Propter quod infensus fui generationi huic: et dixi, Semper hi errant corde. Ipsi autem non cognoverunt vias meas:*
11. *Quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Supra probavit Apostolus, quod Christus est majoris excellentiæ quam Moyses, hic concludit quod magis est obediendum Christo. Et hoc facit per auctoritatem prophetæ David in (*Ps.* 84) Ubi tria facit, quia primo proponit auctoritatem, quæ continet quandam exhortationem : secundo exponit eam, ibi : *Videte fratres.* Tertio ex auctoritate et expositione arguit 4 c. ibi : *Timeamus ergo.* Circa primum tria facit. Primo enim insinuat auctoritatem verborum sequentium. Secundo ponit exhortationem, quæ est in auctoritate, ibi : *Hodie si vocem.* Tertio ponit quandam similitudinem, ibi : *Sicut in exacerbatione, etc.* Auctoritas verborum est ex hoc, quod non sunt prolata humana adinventione ; sed a Spiritu Sancto. Unde dicit : *Quapropter sicut dicit Spiritus Sanctus,* quasi dicat : Christus est amplioris gratiæ quam Moyses, ergo si audivimus Moysen, non debemus obdurare corda nostra ad audiendum Christum. Ipse autem verba veteris testamenti allegat pro novo, ne credatur, quod tantum sint referenda ad vetus testamentum, imo etiam ad novum, et ad aliud tempus referri debent. Et sunt verba Spiritus Sancti, quia ut dicitur (2 *Pet.* 1.) *Non humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ipse enim David dicit (2 *Reg.* 23.) de seipso : *Spiritus Domini locutus est per me.* In hoc ergo ostendit auctoritatem esse veram, quia sc. est a Spiritu Sancto, contra Manichæum.

Deinde cum dicit : *Hodie si vocem, etc.* ponit monitionem, ubi facit tria. Primo enim describit tempus cum dicit : *Hodie.* Secundo subdit beneficium, ibi : *Si vocem.* Tertio subjungit monitionem suam, ibi : *Nolite obdurare.* Tempus est *Hodie,* sc. tempus diei. Tempus enim legis veteri batur nox, quia erat tempus t (*Infra* 10.) Umbram enim hab futurorum bonorum. Sed temp testamenti, quia repellit umbra tis legis, dicitur dies. (*Rom.* 13 *præcessit, dies autem appropin* Dicitur etiam istud tempus dies ter ortum solis justitiæ. (*Mal Vobis timentibus nomen meum sol, etc.* Hunc diem non sequitu sed clarior dies, quando sc. solem justitiæ videbimus revela in rota sua, quando ipsum vid per essentiam. Et in hac die ex nobis beneficium. Nam sequi *vocem ejus audieritis,* quia a vocem ejus, quod non erat in testamento, in quo audiebantur verba prophetarum. (*Supra* 1. *Deus loquens patribus in pro novissime vero diebus istis, est nobis in filio.* (*Is.* 52.) *Prop sciet populus meus nomen meum illa, quia ego ipse qui loqueb adsum.* (*Cant.* 2.) *Sonet vox auribus meis.* In hoc enim ex nobis beneficium tantum deside (*Luc.* 19.) *In hac die tua, q pacem tibi, etc.* Si ergo tantu beneficium, ecce monitio : *Nol durare corda vestra.* Cor durum in malum. Durum est quod non sed resistit impellenti, nec impressionem. Et sic dicitu hominis durum, quando non divinæ jussioni, nec de facili divinas impressiones. (*Eccl.* durum male habebit in novissimo. 2.) *Secundum duritiam tuam, tuum impœnitens thesaurizas tib in die iræ.* Hæc autem inc ex duobus causatur. Ex uno negative, sc. ex Deo non app gratiam. (*Rom.* 9.) *Cujus vult miseretur, et quem vult indur*

alio vero positive, et hoc modo indurat peccator seipsum non obediendo Deo, et non aperiendo cor suum gratiæ. (*Zach.* 7.) *Cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem et verba, quæ misit Dominus exercituum spiritu suo per manum prophetarum priorum. Nolite ergo obdurare corda vestra*, id est, nolite corda claudere Spiritui Sancto. (*Act.* 7.) *Vos semper Spiritui Sancto restitistis.*

Consequenter ponit similitudinem cum dicit : *Sicut in exacerbatione.* Et hæc est similitudo ex facto præterito, nam fideles instruuntur de his, quæ sunt agenda in novo testamento ex iis, quæ facta sunt in præterito, secundum illud ad (*Rom.* 15.) *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Facit autem duo circa hoc, quia primo proponit exemplum in generali, ponendo culpam : secundo in speciali, ibi : *Ubi tentaverunt me, etc.* Ut autem sequamur expositionem Apostoli, oportet ponere in ista littera sensus, qui conveniunt expositioni. Legimus autem inter alias duas culpas filiorum Israel gravissime punitas. Una fuit inobedientiæ quam habuerunt in facto exploratorum : de quo (*Num.* 13 *et* 14.) Pro quo facto indignatus Dominus voluit totum populum delere. Unde juravit quod nullus intraret terram promissionis, exceptis duobus, sc. Caleph et Josue. Istud autem vocat specialiter exacerbationem, quia licet per alia peccata offendissent Deum, tamen per illud exacerbaverunt ipsum, quia sicut fructus acerbus, qui opponitur maturo non est aptus ad cibum, sic tunc ira Dei fuit inflexibilis. (*Ps.* 77.) *Exacerbaverunt eum in deserto, et tentaverunt eum in inaquoso.* (*Baruch.* 4.) *Exacerbastis eum qui fecit vos.* Aliud peccatum fuit peccatum tentationis. Frequenter enim tentaverunt Deum, quia quandoque pro aqua, quandoque pro carnibus, quandoque vero pro pane : ita quod decies tentaverunt ipsum. (*Num.* 14.) *Tentaverunt me jam per decem vices.* (*Job.* 19.) *En decies confunditis me*, et ideo dicit : secundum diem tentationis. Posset autem aliquis putare quod idem esset peccatum exacerbatio et tentatio : ita quod vellet Apostolus dicere. Nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione, quæ fuit in die tentationis. Sed hoc est contra expositionem Apostoli. Ideo dicendum est sic : Nolite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione : et iterum, sicut in die tentationis, ita quod sint duo peccata. Unde (*Ps.* 77.) *Conversi sunt, et tentaverunt Deum, et sanctum Israel exacerbaverunt.*

Consequenter prosequitur culpas in speciali, cum dicit : *Ubi tentaverunt me patres vestri, etc.* Et circa hoc duo facit, quia primo ponit peccatum tentationis : secundo peccatum exacerbationis, ibi : *Et dixi semper.* Circa primum tria facit. Primo enim ponit peccatum tentationis. Secundo ostendit ejus gravitatem, ibi : *Probaverunt.* Tertio ponit pœnam, ibi : *Propter quod offensus fui.* Dicit ergo, quod in eis fuit peccatum tentationis in deserto, quia ibi tentaverunt me patres vestri, et loquitur in persona Domini, ubi sciendum est, quod tentare est experimentum sumere de re quam quis ignorat. Unde quod quis tentat Deum, procedit ex infidelitate. Sed sciendum est quod aliquando aliquis tentat Deum, non cum intentione tentandi et experiendi, verumtamen se habet ad modum tentantis. Qui enim utitur re sua propter utilitatem, non tentat proprie : puta si aliquis fugiens currat super equum suum et si tentat, non tamen cum intentione tentandi. Sed quando

ad nihil utile est, quod facit, tunc tentat. Item si aliquis exponat se alicui periculo compulsus necessitate, sub spe divini auxilii, non tentat Deum. Si autem sine aliqua necessitate, tunc tentat Deum. Et sic dicit ipse (*Matth.* 4.) *Non tentabis Dominum Deum tuum*; quia necessitas nulla erat quod mitteret se deorsum. Sic isti tentaverunt Dominum, quia dubitaverunt de potestate Dei, clamantes contra Moysen, ac si Deus non posset eis dare cibum, cum potentiam suam in majoribus experti fuissent : et ideo erat peccatum infidelitatis, quod est maximum.

Deinde ponitur gravitas culpæ, cum dicit : *Probaverunt me, etc.* Quanto enim aliquis majora beneficia Dei recipit, et majorem certitudinem divinæ potestatis habet, et postmodum dubitat, tanto gravius peccat. Isti vero viderunt signa et prodigia in terra Ægypti, apertionem maris, et alia miracula, et tamen non crediderunt. Unde (*Num.* 14.) *Homines qui viderunt majestatem meam, et signa quæ feci in Ægypto et in solitudine, et tentaverunt me jam decem vices, etc.* Et ideo dicit : *Probaverunt*, id est, experiri voluerunt. *Et viderunt*, id est, experti sunt. *Opera mea*, id est, effectus qui non poterant esse, nisi virtutis infinitæ esset ille qui opera faciebat. Et hoc totum non uno die, sed *Quadraginta annis*, quibus sc. manserunt in deserto, quia semper habuerunt manna et columnam ignis et nubis, vel probaverunt quod viderunt me quia sc. in nullo defeci eis. Illud tamen quod dicit, quadraginta annis, secundum intentionem Apostoli refertur ad priora, sed secundum intentionem Psalmistæ refertur ad sequentia, ut dicatur quod offensus vel infensus ei fuit 40 anno. Et sic habet littera Hieronymi.

Deinde cum dicit : *Propter quod offensus fui*, ponitur pœna pe est duplex littera, sc. offens proximus, et idem est, *Propt* id est, propter peccatum, fui o id est, indignatus, non quod i Deo, nisi similitudinarie, qui sicut iratus : de qua pœna fre habetur in (*Exod.* 22.) *Dimitt irascatur furor meus, etc.* et *Numerorum. Sæpe enim prostr* Unde (1 *Cor.* 10.) agit de pœn peccati, vel *Proximus fui*, sc. p ipsos. Quando enim Dominus s bonis, et punit malos, tunc e ipsos ; sed quando dissimulat hominum propter pœnitentia dissimulat afflictionem justor crescat ipsorum meritum, tunc etiam longe. (*Job* 22.) *Nubes la ejus, nec nostra considerat, e cardines cœli perambulat.* Vel mus, quantum ad divinam mi diam, quia hoc ipsum, quod eos temporaliter magnum mis diæ signum est. Aug. Hic u seca, ut in æternum parcas.

Deinde cum dicit : *Et di* ponit peccatum exacerbationis ciali. Et hoc patet per hoc quo dicitur : *Quibus juravi non i etc.* Et circa hoc facit duo. Prin ponit culpam. Secundo subdit ibi : *Quibus juravi in ira m* Culpam autem duplicem ponit. in obstinatione in malo. Alia recessu a bono. Et istam poni *Ipsi vero non cognoverunt via* Dicit ergo : Ego sic fui eis pro sc. puniendo eos. *Et dixi*, sc. sione æterna, *Hi errant corde* (*Deut.* 31.) *Semper contentiose contra Dominum.* (*Jer.* 13.) *S Æthiops mutare pellem suam,* ergo uno modo aliquis exacerba quando obstinate adhæret ma modo, quando contemnit bonun

dicit : *Ipsi vero non cognoverunt vias meas*, hoc est, non quantum ad simplicem ignorantiam, sed ad affectatam, ut sit sensus, non cognoverunt, id est, cognoscere noluerunt. (*Job.* 21.) *Scientiam viarum tuarum nolumus.* (*Ps.* 35.) *Noluit intelligere ut bene ageret.* Vel non cognoverunt, id est, non approbaverunt, sicut dicit Apostolus. (1 *Tim.* 2.) *Cognovit Dominus qui sunt ejus.*

Consequenter ostendit pœnam cum dicit : *Quibus juravi.* In quo verbo ponit immobilitatem : in hoc quod vult juramenta firma ; quando enim Deus vel angelus inveniuntur jurare, signum est immobilitatis ejus de quo juravit. (*Ps.* 109.) *Juravit Dominus et non pœnitebit eum, etc.* Verumtamen aliquando non jurat nisi sub conditione, quia sc. si non pœniteant, hæc mala evenient eis. Ponit etiam quod pœna ista non est ad comminationem, sed magis ad exterminationem, quia dicit : *In ira.* (*Ps.* 6.) *Domine ne in ira tua corripias me.* Juravit ergo in ira, *Si introibunt in requiem meam.* Constructio est defectiva ad modum irati, qui truncat verba sua. Et accipitur *ly* si, pro non, id est, non introibunt in requiem meam. Est autem triplex requies. Una est temporalis, de qua (*Luc.* 12.) *Habes multa bona reposita in annos plurimos, requiesce, etc.* Secunda est requies conscientiæ. (*Eccl.* 51.) *Modicum laboravi, et inveni requiem multam.* Tertia est requies gloriæ æternæ. (*Ps.* 4.) *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* Potest ergo exponi illud, quod dicitur hic de qualibet istarum, ut dicatur, ipsi vero nec in requiem terræ promissionis, nec in requiem conscientiæ, nec in requiem fruitionis æternæ introierunt.

LECTIO 3.

Monentur Hebræi ut obediant Christo, ne si sint participes culpæ Judæorum, fiant et participes pœnæ.

12. *Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi a Deo vivo.*
13. *Sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.*
14. *Participes enim Christi effecti sumus : si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus.*
15. *Dum dicitur: Hodie si vocem ejus audieritis : nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione.*
16. *Quidam enim audientes, exacerbaverunt : sed non universi qui profecti sunt ab Ægypto per Moysen.*
17. *Quibus autem infensus est quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto?*
18. *Quibus autem juravit non introire in requiem ipsius : nisi illis qui increduli fuerunt?*
19. *Et videmus quia non potuerunt introire in requiem ipsius propter incredulitatem.*

Supra Apostolus per auctoritatem Psalmistæ ostendit , quod firmiter obediendum est Christo. In auctoritate vero posuit tria, monitionem, culpam, et pœnam, hic exponit ista tria per ordinem. Primum facit, hic, *Videte :* secundum, ibi : *Quidam.* Tertium, ibi : *Quibus autem juravit.* In admonitione vero sunt duo, sc. ipsa monitio,

et ipsius monitionis conditio. Unde ista duo exponit. Primo primum hic. Secundo secundum, ibi : *Participes enim Christi.* In prima vero admonitione ad duo hortatur, sc. ad sollicitam considerationem. Secundo ad mutuam admonitionem, ibi : *Sed adhortamur.* Dicit ergo : *Videte.* Unusquisque enim in se debet considerare in quo statu sit. (*Gal.* 6.) *Opus suum probet unusquisque.* (*Jer.* 2.) *Vide vias tuas in convalle.*—*Videte ergo fratres* quantum ad quemlibet in se, quia quilibet est pars societatis, et unicuique mandavit Deus de proximo suo. (*Eccl.* 17.) *Videte,* id est, probate unus alium, ne forte sit in aliquo vestrum, etc. quasi dicat : Multi inter vos sunt in statu perfecto, tamen propter fragilitatem et arbitrii libertatem posset esse malum in aliquo vestrum. (*Job.* 4.) *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, et in angelis suis reperit pravitatem,* quanto magis hi qui habitant domos luteas, et terrenum habent fundamentum? (*Joan.* 6.) *Nonne ergo duodecim vos elegi, et unus ex vobis diabolus est?* Non ergo aliquis sit tantum sollicitus de se : sed etiam de quolibet suæ societatis. Sed quid? *Ne sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis.* Ecce malum de quo loquitur Apostolus, sc. cor incredulum, id est, non firmum in fide, in quo consistit malitia animæ : quia sicut bonum animæ est in adhærendo Deo. (*Ps.* 72.) *Mihi autem adhærere Deo bonum est,* quod sc. est per fidem, ita recedere a Deo per incredulitatem est malum hominis. (*Jer.* 2.) *Scito et vide Israel, quia malum et amarum est reliquisse te Dominum, etc.* Et ideo dicit : *Discedendi,* quia per incredulitatem recedit *A Deo vivo.* (*Jer.* 2.) *Medereliquerunt fontem aquæ vivæ.* Dicit autem *A Deo vivo,* quia et est vita in se, et est vita animæ. (*Joa*

1.) *In ipso vita erat,* quod ide ut ostendat quod per recessum homo incurrit mortem spiritual si inveniatur istud malum in nunquid desperandum est? N magis debet exhortari, id est, neri. Ideo dicit : *Sed exhortam metipsos per singulos dies,* id e tinue, sc. discutiendo consc suam, et inducendo ad bonum *hodie cognominatur*, id est, durat præsens tempus gratiæ est totum sicut unus dies. (*J Me oportet operari opera ejus q me, donec dies est.* Et hoc id *non obduretur aliquis ex vobis peccati.* Sicut enim supra dict cor obduratur per obstinatio malum. Sed per hoc, aliquis inhæret peccato, quia fallitur rale enim est appetitui adhærer sed recedit a bono, quia de (*Prov.* 14.) *Errant qui op malum*; et (*Prov.* 13.) secundu litteram, Animæ dolosæ errant catis. (*Sap.* 5.) *Ergo erravimu veritatis.*

Consequenter cum dicit: *Pa etc.* exponit conditionem mon quasi dicat : Ista conditio ma efficax quam illa, quia illi tant dierunt, nos autem particip sumus Christi. Et loquitur quia in veteri testamento erat auditus, nec conferebatur gr opere operato, sed in novo tes et est auditus fidei, et datur gr operanti. Unde sumus facti pa Christi. (*Joan.* 1.) *De plenitud accepimus omnes.* Sumus auten cipes gratiæ. Primo per susce fidei. (*Ephes.* 3.) *Habitare C per fidem in cordibus vestris.* S per sacramenta fidei. (*Gal.* 3.) *Q que in Christo baptizati estis, tum induistis.* Tertio per pa

tionem corporis Christi. (1 *Cor.* 10.) *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Sciendum autem quod duplex est participatio Christi. Una imperfecta, quæ est per fidem et sacramenta. Alia vero perfecta quæ est per præsentiam et visionem rei, primam jam habemus in re, sed secundam in spe. Tamen cum hoc spes habet hanc conditionem, sc. si perseveramus. Unde dicit : *Si tamen initium, etc.* Quicunque enim in Christo baptizatur, suscipit quandam novam naturam, et formatur quodammodo Christus in ipso. (*Gal.* 4.) *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur in vobis Christus.* Hoc quidem in nobis vere perficietur in patria, sed hic tantum initium et hoc per fidem formatam : quia informis mortua est. (*Jac.* 2.) *Fides sine operibus mortua est.* Unde ista non est nobis initium participationis Christi, sed fides formata. (*Infra.* 10.) Est autem fides sperandarum substantia rerum, id est, fundamentum, et quasi initium. Dicit ergo : Sumus participes Christi (si tamen tenemus usque in finem firmum initium substantiæ ejus) sc. fidem formatam. Sed contra. Videtur quod timor magis sit initium, quia dicit (*Ps.* 110.) *Initium sapientiæ timor Domini.* Respondeo : dicendum est, quod fides formatur per charitatem. Charitas autem non est sine timore casto. Et ideo fides formata semper habet timorem istum secum annexum. Unde et fides et timor sunt initium. Illud autem quod addit, dum dicitur, hodie, etc. totum expositum est.

Deinde cum dicit : *Quidam enim audientes,* exponit quod dixerat de culpa illorum, quasi dicat : Vos estis effecti participes Christi, si non obduraveritis corda vestra sicut isti qui audierunt, sed exacerbaverunt, *Sed non universi,* id est, non tamen omnes. Duo enim, sc. Caleph et Josue, permanserunt, ut habetur (*Num.* 14.) Et alios etiam confortabant. Et per hoc datur intelligi, quod cum non tota ecclesia cadat, sed tantum aliqui, licet plures, quod nihilominus mali punientur, sed non boni, sicut in illis duobus. (3 *Reg.* 19.) *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua sua Baal.* (*Rom.* 11.) *Reliquiæ secundum electionem Dei salvæ factæ sunt.*

Deinde cum dicit : *Quibus autem, etc.* exponit illud quod dixerat de pœna. Et primo illud quod dixerat, offensus fui : secundo illud quod dixerat : Juravi in ira, etc. ibi: Quibus autem juravit, etc. Dicit ergo : *Quibus autem offensus est quadraginta annis. Nonne, etc.* Ex quo patet, quod istud quod supra dixit, quadraginta annis, refertur ad illud offensus fui. Unde dicit : quod fuit eis offensus per illos quadraginta annos. Unde sciendum est, quod omnes qui egressi sunt de Ægypto, mortui sunt in deserto, sicut dicitur (*Jos.* 5.) Non tamen omnes prostrati sunt, sed aliqui vel a Deo, sicut quando aperta est terra, et deglutivit Dathan et Abiron, sicut dicitur in (*Ps.* 77.) Et de hoc habetur (*Num.* 16.) Aliqui vero prostrati sunt a Moyse, sicut patet in conflatione vituli, sicut patet (*Ex.* 22.) Aliquo vero ab hostibus, sicut patet in pluribus locis. Et ista satis habentur (1 *Cor.* 10.) Aliquo vero morte propria mortui sunt. Non ergo omnes prostrati sunt. Unde non fuit pœna generalis, sed pœna specialis fuit. Et nullus præter illos duos qui dicti sunt, introierunt terram promissionis. Et de ista terra dicit : *Quibus autem juravit,* id est, firmiter statuit, *Non introire in requiem,* nisi illis qui fuerunt increduli verbis, sc. exploratorum ? Unde patet, quod prop-

ter incredulitatem non potuerunt intrare in requiem ipsius: et propter hoc dicit: *Videmus,* quia experti sunt, quod propter incredulitatem suam non potuerunt intrare. Vel videm sc. per pœnam illam, quæ d quia non potuerunt, etc.

CAPUT IV.

Admonet ut ingredi conentur in requiem illam per fidem, ne socientur per incredulitatem non introierunt.

1. *Timeamus ergo ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex nobis deesse.*
2. *Etenim et nobis nuntiatum est quemadmodum et illis, sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex his, quæ audierunt.*
3. *Ingrediemur enim in requiem, qui credimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam: et quidem operibus ab institutione mundi, perfectis.*
4. *Dixit enim in quodam loco de die septima sic. Et requievit Deus dei septima ab omnibus operibus suis.*
5. *Et in isto, rursum. Si introibunt in requiem meam.*
6. *Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et hi quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem.*
7. *Iterum terminat diem quemdam hodie, in David dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*
8. *Nam si eis Jesus requiem præstitisset: nunquam de alia loqueretur posthac die.*

Præmisit supra Apostolus auctoritatem David, et exposuit, nunc autem arguit ex ipsa. Et circa hoc facit duo. Primo enim inducit sollicitudinem introeundi: secundo monet quod properemus ingredi: ibi: *Festinemus ergo.* Circa primum duo facit. Primo enim incutit sollicitudinem timoris. do ostendit quod de hoc debet tudo imminere, ibi: *Etenim e* Dicit ergo: dictum est quod i est illis, qui non crediderunt, i juravit quod non introibunt in ejus. *Ergo et nos timeamus,* sc. casto et sollicitudinis (*Pro Beatus homo qui semper est* (*1 Cor.* 10.) *Qui se existimat s deat ne cadat.* Timor enim hu est utilis admonitio ad bonum comes trium spiritualium vi sc. spei, fidei, et charitatis. (*E Ego mater pulchræ dilectioni moris, et agnitionis et sanctæ* quid timere debemus? *Ne forte pollicitatione, etc.* Beatitudo er felicitas in hoc consistit, ut l grediatur illam. (*Tob.* 13.) *Be si fuerint reliquiæ seminis me dendum claritatem Jerusalem* 12.) *Contemplantes ne forte q gratiæ Dei.* Quia ut dicit C Major est pœna damnatis de h sunt exclusi a visione Dei, q pœnæ quas habent. Et dicit: *metur,* sc. divino judicio. (*Ma Ite maledicti in ignem ætern* existimetur secundum human nionem. (*Eph.* 5.) *Hoc scitot gentes quod omnis fornicator, mundus, aut avarus, quod est i servitus non habet hæreditatem gno Christi et Dei.* Timendum

go ne aliquis ex vobis existimetur deesse, quia vobis facta est promissio intrandi. (*Is.* 32.) *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* (*Apoc.* 14.) Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis. Timendum est ergo ne propter culpam nostram non ingrediamur relicta pollicitatione, id est, promissione, quam relinquimus deserendo spem, fidem, et charitatem, per quam possumus introire. Et hoc fit per peccatum mortale.

Consequenter cum dicit : *Etenim nobis*, ostendit quod nobis imminet ista sollicitudo. Et circa hoc facit duo. Primo enim proponit intentionem suam. Secundo probat eam, ibi : *Ingrediemur*. Circa primum duo facit, quia primo ostendit quod nobis facta est ista promissio : secundo quod ista promissio non sufficit, ibi : *Sed non profuit*. Dicit ergo : *Etenim nobis nuntiatum*, id est, nobis promissum est. Unde sciendum est, quod illa, quæ in veteri testamento promissa sunt temporaliter, intelligenda sunt spiritualiter. Omnia enim in figura contingebant illis. (1 *Cor.* 10. *et Rom.* 15.) *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.*

Deinde cum dicit : *Sed non profuit, etc.* ostendit quod non sufficit promissio, quin nihilominus debeamus esse solliciti. Unde dicit quod sermo auditus et non creditus, in nullo eis profuit. Non enim auditores legis justificabuntur, sed factores. (*Rom.* 2.) Et dicit : *Non admixtus fidei*, quia sicut ex intellectu et intellecto fit unum, ita ex corde credentis, et ipsa fide formata fit unum. (1 *Cor.* 6.) *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* Illud autem quod dicit : *Ex his quæ audierunt*, potest esse ratio quare sermo non est admixtus fidei. Hoc enim fuit ex his, quæ audierunt ab exploratoribus, quibus fuerunt incrediuli. Vel potest esse determinatio fidei, quæ debet esse ex his quæ audierunt. Fides enim ex auditu. (*Rom.* 10.) Verba enim Dei sic sunt efficacia, quod statim audita debent esse credita. (*Ps.* 92.) *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.*

Deinde cum dicit : *Ingrediemur enim, etc.* probat propositum, et circa hoc facit tria. Primo enim ostendit, quod nobis est necessarium credere sicut illis. Secundo adducit duas auctoritates ad probandum intentum suum, ibi : *Et quidem operibus*. Tertio ex illis arguit, ibi : *Quoniam ergo superest*. Dicit ergo : Nobis factus est sermo sicut et illis, quia *Ingrediemur in requiem*. (*Ps.* 4.) *In pace in idipsum dormiam et requiescam.* (*Job.* 11.) *Requiescet et non erit qui te excitabit.* Est autem duplex requies. Una in bonis exterioribus, et ad istam egreditur homo a requie mentis. Alia est in bonis spiritualibus, quæ est intima, et ad istam ingreditur. (*Matth.*) *Intra in gaudium Domini tui.* (*Cant.* 1.) *Introduxit me rex in cellaria sua.* Deinde ponit auctoritatem. *Sicut juravi, etc.* et hoc expositum est.

Deinde cum dicit : *Et quidem operibus, etc.* ponit duas auctoritates. Unam legis, quæ habetur (*Gen.* 2.) Aliam quæ frequenter posita est, quæ habetur in (*Ps.* 94.) Dicit ergo quantum ad primum : *Et quidem operibus ab institutione mundi perfectis dixit, etc.* Hoc potest legi dupliciter. Uno modo quod non sit ibi, enim, sed dixit, in quodam loco, etc. Et est planior littera, ut sit sensus. Dico quod ingrediemur, in requiem, quæ præfigurata est ab institutione mundi, de qua requie præfigurata per diem septimam, *Dixit* : sc. Spiritus Sanctus qui

loquitur in scriptura : quia Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. (2 *Pet.* 1.) *In quodam loco*, famoso, sc. (*Gen.* 2,) *De die septima*. Et sic requievit Deus ab operibus suis. Operibus inquam, ab institutione mundi perfectis. Vel dixit Spiritus Sanctus in quodam loco de die septima : et hoc dixit postquam narraverat opera sex dierum ipsis perfectis ab institutione mundi. Si vero sit ibi: Dicit enim, sic est defectiva constitutio, et est sensus. Nuntiatum est nobis quod ingrediemur, et hoc operibus ab institutione mundi perfectis, sed quando et quomodo nuntiatum est, quia dixit, in quodam loco, etc. Dicit autem operibus perfectis ad denotandum opera sex dierum, quæ fuerunt perfecta. Dicit vero ab institutione mundi, quia primo constitutus est mundus, et post sex dies distincte perfectus est in singulis partibus. De distinctione autem istorum dierum diversimode loquuntur sancti. Aliter enim accepit Aug. ab aliis sanctis, sicut patet prima parte summæ quæst. 74. art. 2 et 3. Tamen quomodocumque dicatur manifestum est, quod opera illa perfecta fuerunt. Est enim in ipsis duplex perfectio. Una secundum partes mundi, quæ sunt cælum, et quatuor elementa. Et hæc attenditur penes earum essentias, sicut habetur in prima parte summæ quasi ubi supra. Et hoc fuit per opus creationis, quod fuit prima die. Et per opus distinctionis, quod fuit secunda et tertia die. Et in hoc concordat Aug. cum aliis. Alia perfectio est secundum singulas partes. Et hæc perfectio pertinet ad opus ornatus. Et iste ornatus quantum ad superiora fuit quarta die, quantum ad mediam, sc. aerem et aquam, quinta die, quantum vero ad terram, quæ est infimum elementum, fuit sexta die. Ista vero perfectio convenit numero senario qui consurgit ex suis partibus aliquoties simul sumptis, quæ sunt unum, duo, et tria, quia sexies unum, sunt sex, similiter ter bis et bis ter, et unum duo, tria, sunt sex, quia ergo senarius est primus numerus perfectus, quia licet ternarius conveniat aliqualiter his, quæ dicta sunt, quia ter unum, tria sunt, et unum et duo, tria sunt, tamen bis unum non faciunt tria, similiter semel duo, non faciunt tria, sed tantum duo. Ideo per ipsum senarium designatur perfectio rerum. Post perfectionem vero promittitur quies, quæ nulli datur nisi operanti. Et sic in septima die qua mutatus est status mundi, sicut in qualibet alia erat quædam variatio. Unde in ipsa incœpit status propagationis, propter quod et connumeratur aliis, ideo in septima mundi ætate est status quiescentium. Secundum Aug. tamen ista septima dies nihil aliud est quam cognitio angelica relata ad quietem Dei ab operibus. Sed contra. Si quievit die septima, quis ergo fecit eam, si non est opus Dei ? Præterea (*Joan.* 5.) *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Respondeo: dicendum est quod accipitur ibi quies, non secundum quod opponitur labori, sed secundum quod opponitur motui. Deus enim etsi producendo non moveatur, tamen quia de ipso non loquimur nisi per sensibilia, in quibus non est operatio sine motu, ideo omnis operatio large loquendo, dicitur motus et sic dicitur quievisse, quia cessavit novas species producere : quia illa, quæ postea facta sunt fuerint in illis rebus tunc productis : vel secundum virtutem activam, sicut in animalibus perfectis vel secundum rationes seminales, vel secundum materiam, sicut mineralia. Ideo tunc non fuit mortuus susci-

autem fuerunt tunc secun-
ilitudinem, ut animæ rationa-
tantum fiunt a Deo. Sic ergo
t Deus ab operibus producen-
omnia aliquo modo præces-
ut dictum est, tamen usque
ratur conservando et guber-
uæ condidit. Et sic septimam
is fecit sicut quamlibet aliam,
: fuit aliquid additum, quia
cœpit status propagationis.
autem additio variabat sta-
di, ut dictum est, et faciebat
em. Vel secundum Aug. non
plíciter requievit, sed: *Re-
b operibus suis.* Ab æterno
quievit in seipso, sed tunc
quievit non in operibus, sed
bus. Aliter enim operatur
quilibet alius artifex. Artifex
; propter indigentiam suam,
nificator facit domum ut in
scat. Similiter faber facit cul-
ropter lucrum. Unde deside-
uslibet artificis quietatur in
). Sed non sic est de Deo, quia
ropter indigentiam suam, sed
bonitatem communicandam.
quiescit in opere, sed ab ope-
endo et quiescit tantum in sua
Consequenter autem ponit auc-
David, quæ jam exposita est.
uenter cum dicit: *Quoniam
rest, etc.* arguit ex præmis-
rca hoc facit duo. Primo enim
ensum secundæ auctoritatis
vocem ejus audieritis, etc.
arguit ex primo, ibi: *Itaque
r, etc.* Circa primum duo
a primo trahit duo a secun-
itate. Secundo ostendit quod
intelliguntur in ipsa, ibi:
eis Jesus. Accipit ergo duo,
liguntur in ipsa, ibi: *Nam
t,* sc. quod antiqui patres non
at. Aliud est, quod tempore
David adhuc restabat alia quies præstanda. Licet enim ipsis fuisset promissa requies præstanda in terra promissionis, tamen per hoc quod post longum tempus dicit: Hodie si vocem, etc. ostendit quod alia requies restat. Aliter enim non faceret mentionem de requie, dicens: Hodie, etc. Est ergo quædam requies in quam nobis intrandum est, in quam illi non intraverunt propter incredulitatem. Et ideo quoniam illi non intraverunt, restat ergo quosdam intrare quibus promissio facta est, quia hi quibus prius nuntiatum est non introierunt, id est, Judæi quibus promissio facta est. Restat ergo quosdam intrare, cujus ratio est, quia si Deus creavit hominem ad æternam beatitudinem, quia ad imaginem et similitudinem suam creavit illum, ideo præparavit ei requiem. Licet ergo aliquis ex merito culpæ suæ excludatur, non tamen vult Deus quod illa præparatio sit frustra. Et ideo superest, ut quidam intrent, ut patet de vocatis ad nuptias. (*Matth.* 21.) *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati fuerant, non fuerunt digni, etc.* Et ideo *Terminat*, id est, determinat nobis diem septimam, id est, diem gratiæ, dicendo in David: Hodie si vocem, etc. Et repetit auctoritatem, quæ exposita est. Sciendum est autem, quod Deus homini præparavit beatitudinem pro requie, nec vult istam præparationem esse frustra, sed si unus non intrabit, alius intrabit sicut ostenditur in illa parabola de nuptiis. (*Matth.* 22.) Unde (*Apoc.* 3.) *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam,* quasi dicat: Si tu non accipias, alius habebit. (*Job.* 54.) *Conteret multos, et innumerabiles, et stare faciet alios pro eis.*

Deinde cum dicit: *Nam si eis Jesus, etc.* probat quod supersit alios intrare,

quia si Jesus Nave, id est, Josue, filiis Israel *Finalem requiem præstitisset, nunquam de alia, etc.* id est, non immineret nobis alia requies, nec de alia aliqua propheta David loqueretur post illam diem. Unde manifestum est, quod illa requies fuit signum requiei spiritualis.

LECTIO 2.

Festinandum esse inquit in requiem ingredi, ubi omnium operum sabbatum est, nonnulla adjiciens de verbi Dei virtute.

9. *Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.*
10. *Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut et a suis Deus.*
11. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem : ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.*
12. *Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti : et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum, et intentionum cordis.*
13. *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem est nobis sermo.*

Supra Apostolus duas auctoritates assumpsit, unam de (2.*Gen.*) Aliam vero de (*Ps.* 94.) et conclusit intentionem suam ex secunda auctoritate, sc. Psalm. Hic concludit idem ex prima. Et circa hoc facit duo. Primo enim ponit conclusionem ; secundo ponit rationem consequentiæ, ibi : *Qui enim ingressus.* Circa primum sciendum est quod Apost. in serie omnium istorum verborum, facit mentionem de triplici requie. Prima est requies Dei ab operibus suis. Secunda est requies temporalis, quam habuerunt filii Israel in terra promissionis. Tertia est requies æterna, quæ per istas duas designatur. Sed Apostolus hic, antequam faciat mentionem de requie æterna, dicit quod post terrenam adhuc *Relinquitur*, id est, remanet, *Sabbatismus populo Dei*, qui in veteri lege per sabbatum repræsentabatur, sc. requies æterna. (*Is.* 58.) *Vocaberis sabbatum delicatum et sanctum Domini.* (*Is.* 66.) *Erit mensis ex mense et sabbatum ex sabbato*, id est, requies perpetua. Et dicit sabbatismus, quia sicut in veteri lege sabbatum repræsentabat requiem Dei ab operibus suis ; de qua dicitur (*Gen.* 2.) Ita illa requies erit sanctorum ab operibus suis. (*Apoc.* 14.) *Amodo jam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Unde subdit : *Qui enim ingressus est in requiem ejus*, quia sicut Deus sex diebus operatus est, et septima requievit, ita per sex dies præsens tempus propter perfectum numerum significatur. Qui ergo perfecte operatur, in septima *requiescit ab operibus suis, sicut et a suis Deus*, non autem a quibuscumque operibus, quia sunt ibi quædam opera perpetua, videre sc. amare, et laudare. (*Apoc.* 4.) *Non habebant requiem nocte ac die, dicentia, sanctus, sanctus, sanctus, etc.* Sed ab operibus laboriosis. (*Is.* 40.) *Qui sperant in Domino, habebunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ, current et non laborabunt, ambulabunt et non deficient.*

Deinde cum dicit : *Festinemus*, inducit ad festinationem. Et circa hoc facit duo. Primo enim ponit monitionem, secundo subdit rationem de introitu illius requiei, ibi : *Vivus est.* Item cir-

num duo facit. Primo enim mo- festinandum, secundo ostendit tis periculum, ibi : *Ut ne in id-* Dicit ergo : Quia igitur relin- sabbatismus, etc. *Festinemus ngredi in illam requiem.* Et si- r dicit ingredi, quia non est in exterioribus ad quæ est egres- sed est in bonis interioribus. . 15.) *Introduces eos, et plantabis, fatth.* 25.) *Intra in gaudium Do- ui.* Est ergo multiplex ratio, festinandum est intrare. Una est nginqua est via. (*Prov.* 7.) *Abiit ngissima.* (*Luc.* 19.) *Homo qui- obilis abiit in regionem longin-* Dicitur autem longinqua prop- tantiam status, quia ibidem ple- omnis boni, et immunitas ab malo : est etiam desideranti per- visio et tentio, hic autem sunt contraria istis. Item festinan- est, quia tempus est valde breve. 14.) *Breves dies hominis sunt.* quia istud tempus cum hoc, quod eve et modicum, est etiam in- n. (*Eccl.* 9.) *Nescit homo finem* Item propter urgentem voca- n. Interior enim vocatio urget er stimulum charitatis. (*Is.* 59.) *venerit quasi fluvius violentus, spiritus Domini cogit, etc.* (2*Cor.* *Charitas Christi urget nos.* (*Ps.* *Viam mandatorum tuorum cu-* . Item propter periculum tardan- icut patet de fatuis virginibus. *th.* 25.) Quæ tarde venientes in- non potuerunt. Et ideo dicit: *Ut idipsum quis incidat incredulita- emplum.* Quasi dicat : Antiqui non erunt ingredi propter incredulita- Unde caveamus alienæ culpæ plo, ne simus increduli, et exem- ænæ, ut sc. non excludamur si- psi. (*Luc.* 1.) *Abiit in montana festinatione.* Ad hoc enim osten- duntur nobis præteritæ pœnæ aliorum, ut caveamus. (*Prov.* 19.) *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Gloss. Pejus est nisi caveatis. Ex hoc videtur quod ille qui non corrigitur punitione alterius, gravius punietur. Sed contra, quia jam peccatum Adæ, quia non peccavit exemplo alterius, esset minus grave. Respondeo : dicendum est quod semper istæ locutiones intelligendæ sunt cæteris paribus. Contingit enim duo peccata in se considerata, non esse unum gravius altero, tamen propter aliquam circumstantiam advenientem, aggravatur unum et non aliud : sicut duo adulteria de se æqualia sunt, tamen illud quod est ex certa malitia, gravius est, quam illud quod est ex passione vel infirmitate. Et similiter verbum otiosum gravius est, quando fit ex certa malitia. Quomodo autem festinandum sit, docet Apostolus (1 *Cor.* 9.) Quia qui currit, et qui certat ab omnibus se abstinet. Festinandum est ergo, deponendo impedimenta, non solum ut absineamus a peccatis, sed etiam ut occasiones peccatorum vitemus. (*Prov.* 3.) *Ducam te per semitas, etc.* sed contra (*Prov.* 19.) *Qui festinus est pedibus offendet.* Respondeo : duplex est festinantia, sc. præcipitationis, et hæc est reprehensibilis, alia tenuitatis, et celeritatis, et hæc est laudabilis : nam sicut dicit Phil. omnes homines oportet consiliari diu, operari autem consiliata festinanter, quando ergo festinantiæ tollit consilium, tunc præcipitat et est vitiosa, et secundum hanc verificatur objectio, sed festinantia, quæ est in executione consiliatorum, est virtuosa et laudatur, et ad hanc hortatur hic Apostolus.

Deinde cum dicit: *Vivus est enim sermo Dei, etc.* ponit rationem prædictæ monitionis, et præcipue quantum ad periculum. Hæc autem ratio sumitur

ratio apprehendit immaterialia : sensualitas vero materialia et sensibilia. Secunda differentia est partium sensualitatis, quia alium statum et ordinem habet sensualitas, secundum quod tendit in proprium objectum ex natura sua, et alium, secundum quod regulatur a ratione. Ipsa enim concupiscibilis aliter consideratur ut est vis quædam in ordine ad objectum suum, et aliter ut participat ratione. Tertia differentia est partium ipsius rationis, secundum diversa objecta ipsius, quia vel tendit in Deum : et hoc est supremum in ipsa, vel in effectus vel spirituales, vel in effectus temporales. Omnes autem istas divisiones et differentias operatur, et discernit verbum Dei, sc. quomodo sensualitas distinguatur a ratione, differentiam etiam ipsius sensualitatis in se, differentiam etiam partium rationis, et quid proveniat in anima ex consideratione spiritualium et terrenorum. Alio modo potest exponi secundum Glossam, dupliciter, ut per animam intelligantur peccata carnalia, quæ fiunt actu, et delectatione corporis, ut luxuria, gula, et hujusmodi, per spiritum vero peccata spiritualia, quæ fiunt actu mentis, ut superbia, inanis gloria, et hujusmodi, vel per animam intelligantur malæ cogitationes, per spiritum vero bonæ. Et sic est sensus pertingens, id est, discernens usque ad divisionem animæ, et spiritus, id est, inter carnalia, et spiritualia peccata, vel inter bonas et malas cogitationes.

Consequenter cum dicit : *Compagum quoque et medullarum*, declarat illud quod dixerat de operatione Dei, quantum ad temporalia. Sciendum est autem, quod aliquid non potest penetrando pertingere ad aliquid propter duo. Unum est propter colligationem, aliud autem est propter inclusionem. Neutrum istorum potest impedi bum Dei. In nobis quidem sunt dam colligationes, sc. nervorum teriarum. Quædam etiam sunt inclusa et occulta, sicut medulla in ossibus includuntur, omnia ista divino prospectui manifest et subdita. Et ideo nihil est ei ad penetrandum. Vel per co potest intelligi conjunctio, quæ ter partes animæ ad invicem, u animam et spiritum, quasi dica solum pertingit ad cognoscendu ferentiam, et divisionem animæ ritus, sed etiam ad cognoscendu modo conjunguntur. Cognoscit quomodo sensualitas regitur r Medulla autem potest intellig quod latet in ratione et sensu (*Matth.* 10.) *Timete eum qui p animam et corpus mittere in geh*

Deinde cum dicit : *Et discre gitationum*, agit de cognitione Et circa hoc facit duo. Primo en tendit quod omnia subduntur tioni ejus. Secundo ostendit qu cognoscit, ibi : *Omnia autem* Ex duobus autem contingit, qu quid non cognoscatur, sc. aut q intra aliquod occultatum. Et sic me sunt occulta, quæ latent in quia ipsum est valde profund inscrutabile. (*Jer.* 7.) *Prav cor hominis et inscrutabile.* Sec vero septuaginta interpretes l sic : Profundum est cor homin In cordevero latent cogitationes autem cognoscit verbum Dei. *Auferte malum cogitationum ves ab oculis meis.* Et ideo quantum dicit : *Discretor cogitationum* modo non cognoscitur aliqui est omnino ignotum et invisil sic ea quæ sunt in voluntat ignota. In voluntate autem e intentio finis, quæ de natura

invisibilis. Quid enim homo facit vel cogitat manifestatur per opus, sed qua intentione hoc faciat, penitus est incertum. Ista autem non sunt occulta Deo. Ideo adjungit: *Et intentionem cordis.* (*Ps.* 7.) *Scrutans corda et renes,* id est, cogitationes et intentiones. Sciendum est autem, quod illud quod dicit penetrans, referri potest ad operationem, ut dictum est. Et sic differunt penetrans et discretor. Si autem referatur ad cogitationem, tunc quod hic dicit: Et discretor, est expositio illius, quasi dicat: Tu dicis quod est penetrabilior, etc. Verum est, quia est etiam discretor compagum et medullarum, id est, cogitationum et intentionum. Compages enim dicuntur quædam colligationes, et sic cogitatio, in qua est quasi quædam colligatio terminorum, potest dici compago, dum de uno tendit in aliud. (*Is.* 58.) *Dissolve colligationes impietatis.* Item (*Is.* 5.) *Væ qui trahitis iniquitates in funiculis vanitatis.* Item medulla est intima latens in ossibus. (*Job.* 21.) *Medullis ossa illius irrigantur.*

Deinde cum dicit: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus,* ostendit, quod illud quod secundum naturam est invisibile, non est occultum Deo. Quod enim aliquid non videatur a nobis, hoc est, quia simplicius et subtilius est oculo nostro, sive corporali, sive intellectuali: sicut sunt substantiæ separatæ, quas in vita ista videre non possumus. Divino autem intellectu nihil est simplicius, vel subtilius, ergo nulla creatura est invisibilis in conspectu ejus. Sed nunquid cognoscit in universali tantum, sicut quidam voluerunt? Non, sed *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus.* Per oculum autem intelligitur vis cognitiva. Intelliguntur enim spiritualia per sensibilia. Signanter autem dicit in plurali, oculos, propter diversitatem intellectorum, quia non cognoscit unum tantum, sed etiam multitudinem rerum. Dicit etiam nuda et aperta. Dupliciter enim cognoscitur aliquid. Uno modo in superficie. Alio modo in profundo sicut homo nudus videtur in superficie, non autem vestitus, sed omnia Deo manifesta sunt, quæ videntur in superficie. Nihil enim est extra, quod impediat cognitionem Dei, sicut vestis impedit ne videatur homo. Et ideo dicit: *Nuda.* (*Job.* 26.) *Nudus est infernus coram illo.* Dicit etiam aperta, quia nihil est ita occultum in re, quod Dei cognitionem effugiat. Sed contra (*Abac.* 1.) *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, et aspicere ad iniquitatem non poteris:* non ergo omnia nuda sunt. Respondeo: dicendum quod in Deo est scientia simplicis intelligentiæ, et scientia approbationis. Primo modo cognoscit omnia, etiam mala, et ea quæ non sunt: secundo cognoscit bona, quantum ad ea, quæ sunt.

Consequenter ostendit perfectionem auctoritatis ipsius, cum dicit: *Ad quem nobis sermo.* Ista vero auctoritas est auctoritas judicandi. (*Act.* 10.) *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum ac mortuorum.* Ad istum ergo est nobis sermo, ut sc. reddamus rationem de operibus nostris. (2 *Cor.* 5.) *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum, sive malum sit.* Et ideo quia sic est potens, sic sciens, et sic magnus, festinemus ergo ingredi, etc. Ad judicium enim faciendum, tria requiruntur: primo quidem potestas subditos coercendi. (*Eccl.* 7.) *Noli fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates.* Et hæc convenit Christo, secundum illud (*Matth. ult.*) *Data est mihi omnis potestas, etc.* Secundo re-

quiritur rectitudinis zelus, ut sc. aliquis non ex odio, vel livore, sed ex amore justitiæ, judicium proferat. (*Prov.* 3.) *Quem diligit Dominus, corripit, et quasi patri, etc.* Et hic amor justitiæ potissimum est in Christo. (*Is.* 2.) *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, etc.* Tertio requiritur sapientia, secundum quam formatur judicium. (*Eccl.* 10.) *Judex sapiens, judicabit populum suum, etc.* Christus autem est Dei virtus, et Dei sapientia, (1 *Cor.* 1.) Hæc autem judiciaria potestas convenit Christo, secundum quod est homo. (*Joan.* 5.) *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est,* non quidem propter conditionem naturæ secundum August. quia sic, omnes homines, hujusmodi potestatem haberent, sed propter gratiam capitis, quam Christus in humana natura accepit. Competit autem Christo hoc modo judiciaria potestas secundum humanam naturam, propter tria, primo propter convenientiam, et affinitatem ipsius ad homines. Sicut enim Deus per causas medias, tanquam propinquiores effectibus operatur, ita judicat per hominem Christum, homines, ut sit suavius judicium. (*Hebr.* 4.) *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati, etc.* ut dictum est. Secundo quia in finali judicio, ut Aug. dicit super Joan. erit resurrectio corporum mortuorum, quæ suscitat Deus per filium hominis, sicut per eumdem Christum suscitat animas, inquantum est filius Dei. Tertio quia ut Augustinus dicit in libro de verbis Domini, rectum erat, ut judicandi, viderent judicem. Judicandi autem sunt boni, et mali, restat ergo, ut in judicio forma hominis, bonis et malis ostenderetur, et forma Dei, solis bonis servaretur. Hæc autem potestas, primo homini competit, et propter divinam personam, et propter capitis dignitatem, et propter plenitudinem gratiæ habitualis, et etiam ista ex meritis adeptus est. Quod quidem congrue factum est, ut secundum Dei justitiam judicaret, qui pro Dei justitia, puguavit, et vicit, et justitia reos damnaret, qui injuste judicatus est. (*Apoc.* 3.) *Vicit, et sedi in throno patris,* per quem intelligitur judiciaria potestas. (*Ps.* 9.) *Sedens super thronum, qui judicas justitiam.* Aug. de verbis Domini. Sedebit judex, qui stetit sub judice, damnabitque reos, qui falso reus factus est.

LECTIO 3.

Non permanendum in via, sed festinandum ad patriam: habemus enim misericordem pontificem.

14. *Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei: teneamus spei nostræ confessionem.*

15. *Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ejus; ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Supra Apostolus monuit ad festinandum ingredi in requiem Dei, et ad hoc inducendum posuit magnitudinem Christi quantum ad divinam naturam, hic ostendit idem quantum ad humanam naturam, et circa hoc tria facit. Primo enim ponit ejus dignitatem. Secundo ostendit ejus pietatem, ibi: *Non enim habemus.* Tertio inducit ad habendum de eo fiduciam, ibi: *Adeamus.* Dicit ergo: Ita dictum est, quod nobis

est sermo ad eum, qui est vivus sermo, verus judex, et pontifex. *Ergo habentes pontificem magnum.* (*Ps.* 109.) *Tu es sacerdos in æternum, etc.* Nec tantum pontifex, sed etiam magnus. (*Zach.* 3.) Et ostendit mihi Dominus Jesum sacerdotem magnum, stantem coram angelo, etc. Hic autem dicitur magnus, quia non est pontifex tantum bonorum temporalium, sed et futurorum. (*Infra* 9.) *Christus assistens pontifex futurorum bonorum, etc.* Duo autem pertinebant ad magnum pontificem. Unum quo ad officium, sc. semel in anno cum sanguine intrare in sancta sanctorum, sicut habetur (*Infr.* 9. *et Lev.* 19.) Hoc autem præcipue convenit Christo. Ille enim intrat cum sanguine in sancta figuralia, sed Christus per proprium sanguinem intravit in sancta, id est, sacra cœlestia. Et ideo dicit: *Qui penetravit cœlos*, id est, propria virtute penitus intravit. Secundum est, quod debebat esse ex certa tribu, sc. de stirpe Aaron, sicut dicitur (*Exod.* 29. et *Num.* 16 *et* 17.) Hoc autem competit Christo, qui est nobilioris originis Unde dicitur filius Dei (*Matth.* 3.) *Hic est filius meus dilectus.* (*Ps.* 2.) *Filius meus es tu, etc.* Quia ergo habemus hunc pontificem, teneamus confessionem, id est, inhæreamus corde, quia ut dicitur (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Hanc autem confessionem requirit a nobis Christus pontifex maximus. (*Matth.* 10.) *Qui me confessus fuerit coram hominibus, etc.* Sed dicit: *Spei nostræ*, quod dupliciter potest intelligi. Uno modo, quod confessio prout hic sumitur, sit confessio fidei. Fides autem est principium spei, sicut habetur ex Gloss. (*Matth.* 1.) *Abraham autem genuit Isaac*, id est, fides genuit spem, non quidem quantum ad habitum, sed quantum ad ordinem actus. Nullus enim potest sperare, nec debet, nisi quod potest consequi. Quod autem possumus consequi æterna, habemus per fidem. Vel confessionem spei, id est, ejus de quo speramus, sc. videre primam veritatem.

Deinde cum dicit: *Non enim habemus pontificem*, ne forte credatur, quod non possit aliquid agere præter id, quod exigit ejus justitia, ostendit in ipso etiam esse misericordiam et pietatem, et ista respiciunt miseriam, et hoc præcipue convenit Christo. Unde dicit: *Qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Sciendum est autem, quod *ly* posse, aliquando importat non nudam potentiam, sed promptitudinem et aptitudinem Christi ad subveniendum, et hoc, quia scit per experientiam miseriam nostram, quam, ut Deus, ab æterno scivit per simplicem notitiam. (*Ps.* 102,) *Misericors est Deus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.* Unde subdit: *Pro similitudine*, sc. nostri, *Tentatum.* Est autem triplex tentatio. Una quæ est a carne, quando sc. caro concupiscit adversus spiritum, ut dicitur (*Gal.* 5.) Et ista non est sine peccato, quia ut dicit Augustinus: Nonnullum peccatum est, cum caro concupiscit adversus spiritum, quia hoc est carnem concupiscere. Sed hoc non fuit in Christo. Et ideo dicit: *Absque peccato*, id est, absque minimo motu peccati. (1 *Pet.* 2.) *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Et ideo dicitur agnus Dei. (*Joan.* 1.) Alia est tentatio ab hoste, et a mundo, et hoc dupliciter. Vel alliciendo per prospera, vel terrendo per adversa. Et his duobus modis fuit tentatus Christus. Fuit enim allectus prosperis. Quicquid enim pertinet ad prosperitatem hujus vitæ, vel pertinet ad concupiscentiam car-

nis, vel ad concupiscentiam oculorum, vel ad superbiam vitæ. De primo enim tentavit eum diabolus, quando tentavit eum de gula, quæ est mater luxuriæ. (*Matth.* 4.) Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Item de inani gloria, cum dicit : Mitte te deorsum. Item de concupiscentia oculorum dicens: Hæc omnia tibi dabo, etc. (*Luc.* 4.) Consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus. Item fuit tentatus per adversa et insidias a Pharisæis, quia volebant eum capere in sermone. (*Matth.* 22.) Item per contumelias. (*Matth.* 27.) *Vah, qui destruis templum Dei, etc.* Item per flagella et tormenta. Excepta ergo tentatione, quæ est cum peccato, per omnia similis nobis tentatus est. Dicit autem secundum similitudinem, quod potest dupliciter exponi. Uno modo, quod *ly* 'secundum, denotet causam finalem, quasi dicat: Ideo tentatus est, ut daret nobis exemplum, ut secundum similitudinem ejus, tentationem sustineremus et omnia conaremur vincere. (1 *Pet.* 2.) *Christus passus est, pro nobis, vobis relinquens exemplum, etc.* Vel potest denotare consequentiam, quasi dicat : ideo tentatus est, ut per omnia tam in temporalibus quam in omnibus aliis, nisi in solo peccato, similis esset nobis. Si enim fuisset sine tentationibus, non fuisset eas expertus, et sic non compateretur. Si vero habuisset peccatum, non potuisset nos juvare, sed magis indiguisset adjutorio.

Deinde cum dicit : *Adeamus er cum fiducia, etc.* inducit ad habend fiduciam de ipso, quasi dicat: Ex q sic potest compati, *Adeamus cum fid cia.* (*Is.* 12.) *Ecce Deus salvator m fiducialiter agam, etc.* Adeamus d *ad thronum.* Thronus dicitur se regis : Christus autem rex est. (*Jer.* 2 *Regnabit rex et sapiens erit, etc.* autem thronus duplicem habet statu Unum justitiæ in futuro. (*Ps.* 9.) *disti super thronum, qui judicas j titiam.* Hoc erit in futuro. (*Ps.* *Cum accepero tempus, ego justitias j dicabo.* Est alius thronus gratiæ, quo hic. Ideo additur: *Gratiæ ejus,* in præsenti, quando est tempus serendi. (*Zach.* 4.) *Exæquabit g tiam gratiæ.* Per gratiam autem Ch ti liberamur ab omni miseria, q liberamur a peccato, quod facit mi ros populos. (*Prov.* 14.) Et ideo cit : *Ut misericordiam consequam* Item per gratiam Christi juvamur bona operanda. Et ideo dicit : *Et g tiam inveniamus.* (*Luc.* 1.) *Inven gratiam apud Dominum.* Et hoc, *auxilio opportuno,* quo adjuvemur bene operandum. (*Ps.* 20.) *Auxili meum a Domino.* Istud autem aux lium est per gratiam. (1 *Cor.* 1 *Abundantius illis laboravi, non aut ego, sed gratia Dei mecum.* Hoc aute oportet esse congruo tempore. Id dicit : Auxilio opportuno. Omni en negotio tempus et opportunitas. (*Ecc* 8.) Hoc est tempus præsens, quod es tempus miserendi:

CAPUT V.

noster, Aaron excellentior est; tamen homo est, et hominibus scit compati, et pro hominibus orare, et hostias offerre.

s namque Pontifex ex homi-
assumptus, pro hominibus con-
ur in his, quæ sunt ad Deum, ut
dona et sacrificia pro peccatis.
condolere possit his, qui igno-
t errant, quoniam et ipse cir-
itus est infirmitate;
opterea debet quemadmodum
pulo, ita etiam et pro semetip-
rre pro peccatis.
uisquam sumit sibi honorem:
vocatur a Deo, tanquam Aaron.
Christus non semetipsum cla-
it, ut pontifex fieret, sed qui
s est ad eum. Filius meus es tu,
odie genui te.
admodum et in alio loco dicit:
sacerdos in æternum secun-
rdinem Melchisedech.
n diebus carnis suæ preces sup-
ionesque ad eum, qui possit il-
alvum facere a morte, cum cla-
valido et lacrymis offerens, ex-
us est pro sua reverentia.

a principio hujus epistolæ dic-
, intentio Apostoli est, osten-
Christum excellentiorem esse
s his ex quibus lex habet auc-
n, sc. angelis, quorum mi-
data fuit. (*Gal.* 3.) *Ordinata*
elos, etc. Et Moyse, qui fuit le-
. (*Joan.* 1.) *Lex per Moysen*
t. Et sacerdotio et pontificatu
per quem lex administratur.
is ergo duobus primis, hic
itur de tertio, sc. de eminen-
rdotii Christi ad sacerdotium
Et circa hoc duo facit. Primo
tendit Christum esse pontifi-
cundo ostendit ipsum esse ex-
orem pontifice veteris legis, in
ibi: *Hic enim Melchisedech.*

Item in prima parte duo facit. Primo ostendit Christum esse pontificem. Secundo præparat aures auditorum ad consequentia, ibi: *De quo nobis grandis.* Adhuc circa primum duo facit. Primo ostendit, quæ requirantur ad pontificem. Secundo ostendit illa convenire Christo, et sic concludit ipsum esse pontificem, ibi: *Sic et Christus non semetipsum, etc.* Item in prima parte tria facit. Primo describit pontificale officium. Secundo ostendit pietatem quæ pontifici necessaria est, ibi: *Qui condolere.* Tertio ostendit modum perveniendi ad pontificatum, ibi: *Nec quisquam sumit.* Circa officium quatuor ponit. Primo gradus altitudinem, ibi: *Ex hominibus assumptus.* Secundo pontificatus utilitatem, ibi: *Pro hominibus.* Tertio materiam, ibi: *In his quæ ad Deum.* Quarto actum, ibi: *Ut offerat dona.* Istud autem officium convenit homini, non angelo. Et ideo dicit: quod ita dictum est, quod habemus pontificem magnum, et talis est Christus. *Namque* pro quia: *Omnis pontifex ex hominibus assumptus,* et sic debet etiam esse de numero hominum. Voluit autem Deus, ut homo habeat similem sui, ad quem currat. Unde et ecclesia ordinavit, quod quando utilis invenitur aliquis de collegio, non eligatur extraneus. (*Os.* 2.) *Dabo eis vinitores ex eodem loco.* (*Deut.* 17.) *Eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus.* Dicit autem assumptus, quia debet alios excellere, sicut patet de Saule. (1 *Reg.* 10.) Et ideo Christus

Joannis ultimo interrogat Petrum quem volebat præficere, si diligeret ipsum plus aliis. Finis et utilitas est, quia *Pro hominibus constituitur*, id est, pro ipsorum utilitate. Non enim constituitur propter gloriam, non propter cumulandas divitias, nec propter consanguineos ditandos. (2 *Cor.* 4.) *Nos autem servos vestros per Jesum* ; et ultim *Secundum potestatem, quam Deus dedit mihi in ædificationem, et non in destructionem.* Si vero aliquis quærit quod suum est, non est pastor, sed mercenarius. Materia dignitatis est quia pontifex principatur. Nam sicut principatur dux vel rector in civitate, ita iste pontifex, *In his quæ ad Deum* supple ordinantur. (*Ex:* 4.) *Tu eris ei in his, quæ ad Deum pertinent, etc.* (2 *Cor.* 10.) *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, etc.* Sicut ergo illa, quæ pertinent ad Dei cultum excedunt temporalia, ita dignitas pontificalis excedit omnes alias dignitates. Non ergo pontifices debent se implicari negotiis secularibus prætermissis his, quæ sunt ad Deum. (2 *Tim.* 2.) *Nemo militans Deo, etc.* Actus pontificis est, *Ut offerat dona*, id est, voluntarie oblata, non extorta. (*Exod.* 25.) *Ab omni homine, qui offert ultroneus, accipietis.—Et sacrificia pro peccatis*, id est, quæ sibi offeruntur pro satisfactione peccatorum. (*Lev.* 4.) *Pro eis rogabit sacerdos, et pro peccatis ejus, et dimittentur ei.* In quo designatur, quod omne, quod offertur sive voluntarium et votivum, sive pro satisfactione : debet offerre secundum dispositionem prælati.

Consequenter cum dicit : *Qui condolere*, ostendit quid requiratur ad usum, sc. pietas. Et circa hoc tria facit. Primo ostendit, quod ad usum pontificis requiritur misericordia et pietas. Secundo ostendit, quod requiritur misericordiæ motivum, ibi : *Quoniam et ipse.* Tertio ostendit cordiæ signum, ibi: *Et propter* cit ergo : dico, quod debet esse quæ sunt ad Deum, tamen deb medius inter hominem et Deum. 5.) *Ego medius et sequester fi Dominum et vos.* Sicut ergo per tionem orationis debet tanger tanquam unum extremum, sic p sericordiam et compassionem tangere alterum extremum, sc. nem. Et ideo dicit : *Qui co possit.* (2 *Cor.* 11.) *Quis infi et ego non infirmor?* E contra 6.) *Nihil patiebantur super con ne Joseph.* Duplex est autem de Quidam enim deficiunt ex igno Et ideo dicit : *His qui ignorat* autem proprie ignorare, carere tia eorum, quæ quis debet scire dam vero ex certa scientia. Et tum ad hoc dicit : *Et errant.* Mo pietatis ponit, cum dicit : Quoni ipse, etc. Istud motivum est in tas. Et illi qui præsunt aliquanc firmantur. (2 *Cor.* 4.) *Habemu saurum istum in vasis fictilibu* ratio hujus est, ut ex se aliorum mitatibus compatiantur : et ide minus permisit cadere Petrum. 31.) *Intellige, quæ sunt proxim ex teipso.* Et ideo dicit : *Quoni ipse circumdatus est infirmitat* quantum ad pœnalitates, et cul (*Ps.* 6.) *Miserere mei Deus, quo infirmus sum.* (*Sap.* 9.) *Homo mus, et exigui temporis, etc.* Et quod dicit : Circumdatus. Car enim habent infirmitatem pecca interioribus. Ratio enim et vol in ipsis subditæ sunt peccato. S vero habent in exterioribus : non sunt subjecti peccato, t sunt circumdati fragilitate ca (*Rom.* 7.) *Mente servio legi Dei, c autem legi peccati* : signum auten

jus est, quia et in veteri lege, sicut patet (*Lev.* 9 et 16.) Et etiam modo, sicut patet in canone missæ, cum dicitur : *Nobis quoque peccatoribus*, statutum est, quod sacerdos offerat etiam pro se, quod non fieret nisi esset infirmitate peccatorum, quibus est circumdatus, non oppressus. Si enim sit in mortali peccato, non debet celebrare. Et ideo dicit, propterea debet quemadmodum pro populo etiam pro semetipso offerre pro peccatis.

Consequenter ponit modum perveniendi ad pontificatum, cum dicit : *Nec quisquam.* Hoc est enim contra naturam, quod aliquid perducat se ad statum altiorem sua natura, sicut aer non facit seipsum ignem, sed fit a superiore. Unde disciplina Dei non habet, quod quisquam sibi sumat honorem favore, pecunia, potentia. (*Amos.* 6.) *In fortitudine enim nostra assumpsimus nobis cornua.* (*Os.* 8.) *Ipsi regnaverunt et non ex me.* Sed debet vocari a Deo sicut Aaron. (*Exod.* 28.) *Applica ad te Aaron.* Et ideo Dominus confirmavit sacerdotium ejus, sicut patet (*Num.* 17.) per virgam, quæ floruit. Tales ergo debent assumi, qui non se ingerunt. Unde antiquitus signo visibili ostendebantur, sicut patet de beato Nicolao, et multis aliis.

Consequenter cum dicit : *Sic et Christus, etc.*, ostendit quomodo Christus sit pontifex. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit, quomodo dicta conveniunt Christo. Secundo ex hoc concludit intentum, ibi : *Appellatus est a Deo, etc.* Circa primum tria facit. Primo enim ostendit, quod Christus factus est pontifex non a se, sed a Deo. Secundo agit de ipsius officio, ibi : *Qui in diebus carnis.* Tertio de ipsius misericordia, ibi : *Et quidem cum esset.* Circa primum duo facit, quia primo ostendit, quod Christus non promovit seipsum. Secundo ostendit a quo sit promotus, ibi : *Sed qui locutus.* Dicit ergo : *Christus non semetipsum clarificavit.* Circa quod sciendum est, quod non dicit, non fecit seipsum pontificem, sed dicit, non clarificavit, etc. Sunt enim quidam qui se clarificant, ut fiant sicut hypocritæ, qui demonstrant in se aliqua, ut eligantur, vel præbendas consequantur, nullus tamen facit se pontificem : Christus vero non solum non fecit se pontificem, sed nec se clarificavit, Ut pontifex fieret. (*Joan.* 8.) *Ego gloriam meam non quæro.* Et paulo post sequitur : *Est pater meus qui glorificat me.* Et hoc est verum, inquantum homo, quia inquantum Deus habet eamdem gloriam cum patre.

Deinde cum dicit : *Sed qui locutus*, ostendit a quo est promotus. Et primo ostendit, a quo est clarificatus. Secundo quomodo est pontifex designatus, ibi : *Et in alio loco.* Confirmatus autem est divino judicio : quia sc. *Dominus locutus est ad ipsum* in psalmo secundo. *Filius meus es tu, etc.* Et hoc est expositum supra. Item (*Matth.* 3.) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, etc.* Cum ergo ostendit eum ab æterno genitum, ostendit gloriam ejus. (*Supra* 1.) *Qui cum sit splendor gloriæ, etc.* Pontificatus etiam accipitur a Deo inquantum homo (quemadmodum in alio loco dicit) sc. in (*Ps.* 109.) *Tu es sacerdos, etc.* Utitur autem Apostolus auctoritate ps. tanquam magis famosa et majoris auctoritatis, utpote magis frequentata. Dicit autem sacerdos, quia se obtulit Deo patri. (*Ephes.* 5.) *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo.* Et ne credatur tale esse sacerdotium Christi, sicut fuit in veteri lege, distinguit ipsum quantum ad duo. Primo quantum ad dignitatem, quia *In æternum.* Illud

enim fuit temporale, erat enim figurale, et ideo non est perpetuum, sed transit veniente figurato. Sed sacerdotium Christi est æternum, quia est de veritate, quæ est æterna. Item hostia ejus habet virtutem introducendi in vitam æternam. Item durat in æternum. Secundo quantum ad ritum, quia offerebantur animalia ; hic autem panis et vinum. Et ideo dicit : *Secundum ordinem Melchisedech.* Istud autem infra exponetur.

Deinde cum dicit : *Qui in diebus, etc.*, ostendit quod illud quod pertinet ad officium pontificale, convenit Christo. Et primo ostendit ejus conditionem. Secundo actum ejus, ibi : *Preces.* Tertio efficaciam, ibi : *Cum clamore valido.* Conditio ejus est, quod fuit unus ex hominibus, quia ut dictum est, pontifex ex hominibus assumitur. Et ideo dicit : *Qui in diebus carnis suæ.* Ponitur autem hic caro pro tota natura humana, sicut illud (*Joan.* 1.) *Verbum caro factum est.* Sed nunquid modo non sunt dies carnis ejus ? Et videtur quod sic, per illud (*Luc. ult.*) *Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quare ergo magis dicitur tempus ante passionem et resurrectionem suam, tempus, vel dies carnis, quam nunc ? Dicendum est, quod caro quandoque sumitur pro fragilitate carnis, sicut (1 *Cor.* 15.) *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Christus autem tunc habuit carnem fragilem et corruptibilem. Et ideo dicit : In diebus carnis suæ, id est, in quibus gerebat carnem similem peccatrici, non peccatricem. Actus autem ejus fuit, quia obtulit preces et supplicationes, hoc est, spirituale sacrificium, quod Christus obtulit. Dicuntur autem preces, id est, petitiones. (*Jac. ult.*) *Multum enim valet deprecatio justi assidua.* Supplicationes vero dicuntur quantum ad humilitatem orantis, sicut genuflexiones. (*Matth.* 26.) *Procidit in faciem suam orans.* Ad quem? *Ad Deum*, sc. Deum patrem, *qui salvum illum facere posset a morte.* Hoc autem poterat facere dupliciter. Uno modo ne moreretur. Unde dicitur (*Matth.* 26.) *Pater si fieri potest, etc.* Item ut mortuum resuscitaret. (*Ps.* 15.) *Non derelinques in inferno animam meam.* Item (*Ps.* 40.) *Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me.* Ad istud sacrificium spirituale ordinatur sacerdotium Christi. Unde respondet ei, quod dictum est supra. Ut offerat dona, etc. (*Ps.* 49.) *Sacrificium laudis honorificabit me.* (*Os.* 14.) *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Efficacia ostenditur ex modo orandi. Duo autem sunt necessaria oranti, sc. fervens affectio. Item dolor et gemitus. De his duobus (*Ps.* 37.) *Domine ante te omne desiderium meum*, quantum ad primum. *Et gemitus meus a te non est absconditus*, quantum ad secundum. Christus autem ista duo habuit, ideo propter primum dicit : *Cum clamore valido*, id est, cum intentione efficacissima. (*Luc.* 22.) *Factus in agonia prolixius orabat, etc.* Et 23, clamans ait: *Pater, etc.* Secundum cum dicit : *Et lacrymis.* Per lacrymas enim exprimit Apostolus interiorem gemitum orantis. Hoc autem non legitur in evangelio, sed probabile est, quod sicut ipse lacrymatus est in resuscitatione Lazari, ita et in passione sua. Nam ipse multa fecit, quæ non sunt scripta. Non tamen flevit pro se, sed pro nobis, quibus passio sua profuit. Sibi autem profuit inquantum per ipsam meruit exaltari. (*Phil.* 2.) *Propter quod et Deus exaltavit illum, etc.* Et ideo, *Exauditus est pro sua reverentia*, quam sc. super omnes habebat ad Deum. (*Is.* 11.) *Et replebit eum spiritus timoris Domi-*

tra, videtur quod non fuit primo pro se, quia non alix ab ipso, quod tamen ɜm nec pro aliis, quia non ɪm Judæis, quibus petebat (*Luc.* 23.) *Pater dimitte il-* ɜendum est, quod Christus s, quæ voluit fieri fuit Ipse autem secundum ap- ensualitatis et secundum , inquantum est quidam appetitus naturalis, refugiebat mortem. Et quantum ad hoc orabat, ut ostenderet se verum hominem. Sed voluntate consequente rationem deliberatam, volebat mori. Unde dicit: Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Item nolebat, quod ignosceretur omnibus, sed illis tantum, qui crediderunt. Et multi postea conversi sunt.

LECTIO 2.

; misericordiam convenire Christo ostendit, quem secundum ordinem ɜdech sacerdotem appellat, licet hic sermo eorum captum excedat.

ɜm cum esset filius Dei, di- is, quæ passus est obedien-

mmatus, factus est omnibus ɪntibus sibi causa salutis

ɪtus a Deo pontifex juxta Melchisedech.

nobis grandis sermo et in- ilis ad docendum : quoniam ɪ facti estis ad audiendum.

cum deberetis magistri esse ɜmpus : rursum indigetis, ut ɪmini, quæ sint elementa ɜrmonum Dei : et facti estis te opus sit, non solido cibo.

enim, qui lactis est parti- ers est sermonis justitiæ : enim est.

orum autem est solidus ci- m qui pro ipsa consuetudi- tatos habent sensus ad dis- ɪ boni ac mali.

ɔsuit tria, quæ pertinent ɪm, et ostendit duo illorum Christo, sc. officium, et mo- ɪiendi ad ipsum, hic prose- ium, sc. pietatem et mise- quam pontifex debet habere. Et circa hoc duo facit. Primo ostendit illud quod passus est. Secundo quæ utilitas consecuta est etiam aliis, ibi : *Et consummatus.* Dicit ergo : Ita dixi, quod pontifex debet esse talis, quod possit compati. Talis autem est Christus. Cum enim sit filius Dei ab æterno, et secundum hoc nec pati posset, nec compati, assumpsit naturam in qua posset pati, et sic etiam posset compati. Et hoc est quod dicit ; Quia *Cum esset filius Dei*, sc. ab æterno, *Didicit obedientiam* ex tempore. Contra : addiscere est ignorantis : Christus autem ab æterno, ut Deus, et ab instanti conceptionis suæ habuit plenitudinem scientiæ, inquantum homo, ergo nihil ignoravit, nec per consequens didicit. Respondeo : dicendum est, quod duplex est scientia, sc. simplicis notitiæ. Et quantum ad istam procedit argumentum : quia, sc. ignoravit. Est etiam scientia experientiæ, et secundum istam didicit obedientiam. Unde dicit : *Didicit ex iis quæ passus est*, id est, expertus est. Et loquitur Apostolus sic : quia qui didicit aliquid, voluntarie accessit ad illud scien-

dum. Christus autem voluntarie accepit infirmitatem nostram. Et ideo dicit, quod didicit obedientiam, id est, quam grave sit obedire : quia ipse obedivit in gravissimis et difficillimis : quia usque ad mortem crucis. (*Phil.* 2.) Et hic ostendit, quam difficile sit bonum obedientiæ. Quia qui non sunt experti obedientiam, et non didicerunt eam in rebus difficilibus, credunt, quod obedire sit valde facile. Sed ad hoc, quod scias quid sit obedientia, oportet quod discas obedire in rebus difficilibus, et qui non didicit obediendo subesse, nunquam novit bene præcipiendo præesse. Christus ergo licet ab æterno sciret simplici notitia quid est obedientia, tamen didicit experimento obedientiam ex iis, quæ passus est, id est, difficilibus, sc. per passiones, et mortem. (*Rom.* 5.) *Per obedientiam unius justi constituti sunt multi.*

Deinde cum dicit : *Et consummatus, etc.*, ostendit fructum passionis, qui fuit duplex. Unus in Christo, alius in membris ejus. In Christo fructus fuit glorificatio. Et ideo dicit : *Et consummatus.* Nam ab instanti conceptionis suæ fuit consummatus perfectus, quantum ad beatitudinem animæ, inquantum ferebatur in Deum : sed tamen habuit passibilitatem naturæ. Sed post passionem habuit impassibilitatem. Et ideo quia secundum hoc ex toto perfectus est, convenit sibi alios perficere. Hæc est enim natura perfecti, quod possit sibi simile generare. Et ideo dicit : quod perfectus est. Quia enim per meritum obedientiæ pervenit ad istam consummationem. (*Prov.* 21.) *Vir obediens loquitur victorias.* Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis, non temporalis, sed æternæ. (*Is.* 45.) *Salvatus est Israel in Domino salute æterna.* Et ideo dicit: Appellatus a Deo pontifex juxta ordinem Melchisedech, et hoc est supra expositum.

Deinde cum dicit : *De quo nobis grandis sermo, etc.*, præparat animos auditorum ad sequentia, quæ dicenda sunt de pontificatu Christi. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit eorum tarditatem. Secundo suam intentionem, cum dicit 6. c. Quapropter intermittentes. Iterum prima in duas, quia primo ostendit tarditatem : secundo ostendit ipsam esse culpabilem, ibi : *Etenim cum deberetis.* Item circa primam partem duo facit : primo ostendit dicendorum magnitudinem : secundo ipsorum tarditatem ad ea capienda, ibi : *Quoniam imbecilles.* Dicit ergo : Ita dixi, quod appellatus est pontifex : *De quo*, sc. pontificatu, *Grandis nobis sermo* est, quia de magnis. (*Prov.* 8.) *De rebus magnis locutura sum.* Item grandis, quia de utili, sc. de salute animarum. (1 *Tim.* 1.) *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quia Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere.— Iste sermo est interpretabilis ad docendum*, quod potest dupliciter exponi. Vel quod fiat ibi vis negationis interpretabilis, id est, non exponibilis : quia non potest ad perfectum exponi. Quæ enim ad Christum pertinent nullus sermo exprimere potest. (*Eccl.* 43.) *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc et admirabilis magnificentia ejus : benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis, major est enim omni laude.* Alio modo affirmative interpretabilis, id est indigens interpretatione propter altitudinem et magnitudinem et profunditatem ejus. (*Prov.* 1.) *Animadvertet parabolam et interpretationem, etc.* Interpretatio enim scripturæ numeratur inter dona Spiritus Sancti. (1 *Cor.* 12.) Indiget etiam, ut dicat ut

pretatio ejus propter tarditatem am. Et ideo subdit ipsam tardi-, cum dicit : *Quoniam imbecilles estis ad audiendum.* Illi qui sunt s intellectus non possunt alia in-ere, nisi eis exponatur per singu-an. 16.) *Adhuc multa habeo vo-icere, sed non potestis portare* . (1 *Cor.* 3.) *Non potui vobis loqui spiritualibus, etc.*

idecum dicit : *Etenim cum debere-*tendit istam tarditatem esse cul-m : et circa hoc tria facit, primo ostendit culpam tarditatis : se-adhibet similitudinem, ibi : *Et estis.* Tertio exponit, ibi : *Omnis qui lactis.*Culpa enim alicujus est lo diu audivit, si adhuc sit tar-secus autem est, si sit novus r. Negligentia enim non est sine Ideo dicit: *Cum deberetis esse tri*, sc. aliorum, *Propter tempus*, c. audierant legem et prophetas. 5.) *Scrutamini scripturas, etc.* psum Christum. Item Apostolos ltos ab ipsis conversos. (*Joan.* 'anto tempore vobiscum sum, et gnovistis me.—*Rursum indigetis.* dicat : Magis deberetis docere, doceri : tamen indigetis, *Ut vos ini quæ sint elementa exordii um Dei.* Elementa enim dicun-quæ primo traduntur in gram-, quando ponuntur ad litteras : ro sunt ipsæ litteræ. Exordia rmonum Dei, et prima princi-elementa, sunt articuli fidei, et ta decalogi. Qui ergo diu stu-in theologia, et illa nesciret, curreret contra ipsum. Ideo *Indigetis ut doceamini quæ sint a exordii sermonum Dei*, id est principia. (2 *Tim.* 3.) *Semper s, et nunquam ad scientiam s pervenientes.* (*Is.* 65.) *Puer annorum moriatur, peccator annorum maledictus erit.*

Deinde cum dicit : *Et facti estis*, ponit ad hoc similitudinem. Sciendum est ergo, quod doctrina sacra est sicut cibus animæ. (*Eccl.* 15.) *Cibavit illum pane vitæ et intellectus.* Et 34. *Qui edunt me, adhuc esurient : et qui bibunt me, adhuc sitient.* Sacra ergo doctrina est cibus et potus : quia animam potat et satiat. Aliæ enim scientiæ tantum illuminant intellectum, hæc autem illuminat animam. (*Ps.* 18.) *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Et etiam nutrit et roborat animam. In cibo autem corporali est differentia. Alio enim cibo utuntur pueri, et alio perfecti. Pueri enim utuntur lacte, quasi magis tenui et connaturali, et de facili convertibili : sed adulti utuntur cibo solidiori. Sic in sacra scriptura, illi qui de novo incipiunt, debent audire levia, quæ sunt quasi lac : sed eruditi debent audire fortiora. Et ideo dicit : *Facti estis quibus lacte opus sit*, sc. sicut pueri. (1 *Pet.* 2.) *Sicut modo geniti infantes rationabiles sine dolo lac concupiscite, etc.* (1 *Cor.* 3.) *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam*, et hoc est, quod sequitur : *Non solido cibo*, id est, alta doctrina, quæ est de arcanis, et secretis Dei, quæ confirmant, et confortant.

Deinde cum dicit : *Omnis enim qui lactis*, exponit similitudinem : et primo exponit illud quod dixit de lacte : secundo illud quod dixit de solido cibo, ibi : *Perfectorum autem.* Circa primum duo facit, primo enim ponit expositionem : secundo expositionis rationem, ibi : *Parvulus enim.* Dicit ergo : Ita dico, quod indigetis lacte sicut pueri. *Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ*, id est omnis, qui indiget nutriri lacte, expers est, id est, non potest habere partem in sermonibus justitiæ perfec-

te intelligendis. (*Matth.* 5.) *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum.* (*Prov.* 15.) *In abundanti justitia virtus maxima est.* Hujusmodi autem non sunt participes pueri. (*Is.* 28.) *Quem docebit scientiam, aut quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.* Sed contra: quia Apostolus superius multa valde difficilia tradidit eis, sc. de mysterio Trinitatis, et de Sacramento incarnationis, et multa alia ardua, ergo vel non erant parvuli, vel talia tradenda sunt parvulis. Respondeo: dicendum est secundum Augustinum, quod non est intelligendum, quod in doctrina fidei alia sunt tradenda majoribus et perfectis, et alia imperfectis. Non enim est inter eos ista differentia. Eadem enim utrisque sunt tradenda, sed parvulis proponenda sunt, sed non exponenda, nec pertractanda: quia intellectus eorum magis deficeret, quam elevaretur. Lac secundum Glos. est, sicut verbum caro factum est. Contra: non minoris difficultatis est hoc intelligere, quam quomodo verbum erat apud Deum. Unde August. dicit, quod istud invenitur in libris Platonis, non tamen illud. Ipse autem Augustinus non poterat suspicari quid sacramenti haberet, verbum caro factum est. Respondeo: Dicendum est, quod cognoscere, verbum caro factum est, per simplicem fidem est satis facile, quia potest cadere in imaginatione, et aliqualiter in sensum, sed verbum apud Deum, omnino excedit omnem sensum, et non nisi per rationem potest et cum multa et maxima difficultate comprehendi.

Consequenter assignat rationem, cum dicit: *Parvulus enim est*, non quidem ætate, sed sensu. Tripliciter autem aliquis dicitur parvulus. Est enim aliquis parvulus per humilitatem. (*Matth.* 11.) *Revelasti ea parvulis.* Ætate. (*Gal.* 4.) *Quanto tempore hæres parvulus est, etc.* Sensu. (1 *Cor.* 4.) *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia parvuli estote, sensibus autem perfecti sitis.* Et isto modo accipitur hic parvulus.

Deinde cum dicit: *Perfectorum autem est solidus cibus*, exponit illud quod dixerat de cibo solido. Hoc enim patet in corporalibus, quod quando homo pervenit ad ætatem perfectam, utitur fortiori et nobiliori et solidiori cibo. Sic spiritualis, quando pervenit ad perfectionem spiritualem, debet eis proponi doctrina solidior. Ista autem perfectio duplex est. Una est perfectio secundum intellectum, quando aliquis habet judicium intellectus ad recte discernendum et judicandum de his, quæ sibi proponuntur. Alia est perfectio secundum affectum, quam facit charitas, quæ est cum aliquis totaliter Deo inhæret. Unde (*Matth.* 5.) Post præcepta charitatis dicitur: *Estote ergo perfecti, etc.* Est autem perfectio charitatis, ut dicit August. ubi nulla est cupiditas. Quanto enim quis magis ascendit in Deum, tanto plus contemnit temporalia. (*Ps.* 72.) *Quid enim mihi est in cœlo, etc.* Hoc enim habet sacræ scripturæ doctrina quod in ipsa non tantum traduntur speculanda, sicut in geometria, sed etiam approbanda per affectum. Unde (*Matth.* 5.) *Qui autem fecerit et docuerit, etc.* In aliis ergo scientiis sufficit, quod homo sit perfectus secundum intellectum: in istis vero requiritur, quod sit perfectus secundum intellectum et affectum. Loquenda sunt igitur alta mysteria perfectis. (1 *Cor.* 2.) *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Unusquisque enim secundum quod est dispositus, sic judicat, sicut iratus aliter judicat durante passione, et aliter ipsa

. Et similiter incontinens ali-
at aliquid esse bonum tempo-
ɔnis, aliter post. Et ideo dicit
ɔhus : quod unusquisque qua-
alis sibi finis videtur, et quia
sacra scriptura traduntur, per-
d affectum et non tantum ad
um, ideo oportet esse perfec-
utroque. Et ideo Apostolus
ostendere, qui sint perfecti,
iit tradendus iste solidus cibus,
od sunt illi, qui pro sua con-
ne habent sensus exercitatos.
ista perfectione quatuor sunt
ıda, sc. ipsa perfectio in se in
nsistat, et quantum ad hoc di-
i *habent sensus exercitatos*. Et
enter loquitur. In hoc enim
t utramque perfectionem, quia
t Philosophus) intellectus prout
de appetendis et agendis dici-
ıus : quia est relatus ad aliquid,
are, unde non accipitur hic
pro sensu exteriori. Qui ergo
quæ Dei sunt, perfectus est.
).) *Quicunque perfecti sumus,*
iamus. (1 *Cor.* 2.) *Nos autem*
Christi habemus. Qui vero non
t nisi carnalia, Deo placere non
t : ut patet (*Rom.* 8.) Secundo
attendenda est dispositio ejus in quo
est, quia debet esse exercitatus. (1
Tim. 4.) *Exerce teipsum ad pietatem*:
qui enim non est exercitatus, non po-
test habere rectum judicium, quod ad
hoc requiritur. (*Eccl.* 34.) *Vir in mul-
tis expertus cogitabit multa.* Item qui
non est expertus, pauca recognoscit.
Tertio causa hujus exercitationis, est
consuetudo : non sc. otium, sed fre-
quentia actus. Et ideo dicit : *Pro con-
suetudine*, sc. recte agendi. (*Prov.* 22.)
*Adolescens juxta viam suam, etiam
cum senuerit, non recedet ab ea.* Si ergo
vis esse perfectus, non des te otio, sed
assuesce te bonis a juventute. Quarto
finis hujus exercitii, quia sc. *Ad dis-
cretionem boni et mali.* Tunc enim per-
fectus est, quando discernit inter bo-
num et malum. (*Is.* 7.) *Sciat eligere
bonum, et reprobare malum.* Hæc au-
tem sunt tria, sc. discretio inter bo-
num et malum, inter bonum et melius,
inter malum et pejus, multa enim sunt,
quæ videntur bona, et tamen sunt ma-
la. (*Prov.* 14.) *Est via quæ videtur
homini recta, novissima vero ejus de-
ducunt ad inferos.* In his ergo requiri-
tur rectitudo judicii.

CAPUT VI.

ri cibo Hebræos pascit, asserens se nolle alia fundamenta jacere, ac eos
terret, qui post pœnitentiam iterum sunt in peccata prolapsi.

*ropter intermittentes inchoatio-
hristi sermonem, ad perfectio-
feramur, non rursum jacientes
amentum pœnitentiæ ab operi-
mortuis, et fidei ad Deum.*
*tismatum doctrinæ, impositionis
ue manuum, ac resurrectionis
uorum, et judicii æterni.*
*hoc faciemus, siquidem permis-
ɔeus.*

4. *Impossibile enim est illos, qui semel
sunt illuminati, gustaverunt etiam
donum cœleste, et participes facti
sunt Spiritus Sancti.*
5. *Gustaverunt nihilominus bonum Dei
verbum, virtutesque seculi venturi:*
6. *Et prolapsi sunt, rursus renovari ad
pœnitentiam, rursum crucifigentes
sibimetipsis filium Dei, et ostentui
habentes.*

Supra Apostolus fecit mentionem de pontificatu Christi secundum ordinem Melchisedech, et ostendit tarditatem eorum quibus scribebat : hic redit ad suum propositum. Et circa hoc tria facit : quia primo aperit intentionem suam. Secundo ostendit ejus difficultatem, ibi : *Et hoc faciemus.* Tertio declarat intentionem, ibi : *Confidimus.* Circa primum duo facit, quia primo manifestat suum propositum : secundo exponit, quod dicit, ibi : *Non rursum.* Propositum suum est, quod prætermissis his, quæ pertinent ad inchoationem doctrinæ Christianæ, vult prosequi alia altiora. Unde dicit : Jam dictum est, quod perfectis opus est solido cibo, quapropter intermittentes sermonem inchoationis doctrinæ Christi, per quam Christus inchoat esse in nobis, quod est per doctrinam fidei. (*Eph.* 3.) *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* — *Feramur ad perfectionem,* id est, ad ea, quæ spectant ad perfectionem doctrinæ Christi. (1 *Cor.* 13.) *Quando factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Hoc autem secundum Glos. ad duo referri potest, sc. vel ad intellectum, ut sc. ex quo homo provectus est, debet intermittere puerilia et vacare perfectis. (1 *Cor.* 2.) *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Vel ad effectum. Et est sensus, quod non semper est standum in sensu incipientium, sed oportet tendere ad statum perfectorum. (*Gen.* 17.) *Ambula coram me et esto perfectus.* Hic est duplex objectio : et primo de hoc quod dicit : intermittentes inchoationem, quia nunquam debet intermitti inchoatio. (*Ps.* 76.) *Et dixi nunc cœpi.* (*Job.* 27.) *Justificationem quam cœpi tenere non deseram.* Respondeo : dicendum est, quod contingit dupliciter intermittere inchoationem. Vel quantum ad æstimationem, et sic semper debet homo esse sicut incedens et tendens ad majora. (*Phil.* 3.) *Non quod jam cœperim aut quod jam perfectus sim.* Vel quantum ad progressum ad perfectionem, et sic semper debet niti homo transire ad statum perfectum. (*Phil.* 3.) *Quæ retro sunt obliviscens, ad ea, quæ priora sunt me extendens.* In via enim Dei non progredi (ait Ber.) est regredi. Alia objectio est de hoc quod dicit : Feramur ad perfectionem. Perfectio enim consistit in consiliis. (*Matth.* 19.) *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, etc.* Non omnes autem tenentur ad consilia, igitur. Respondeo : dicendum est, quod duplex est perfectio. Una, sc. exterior, quæ consistit in actibus exterioribus, qui sunt signa interiorum, sicut virginitas, voluntaria paupertas. Et ad hanc non omnes tenentur. Alia est interior, quæ consistit in dilectione Dei, et proximi. (*Col.* 3.) *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis,* et ad perfectionem hujusmodi non omnes tenentur, sed omnes tenentur ad eam tendere, quia si quis nollet plus diligere Deum, non faceret, quod exigit charitas. Dicit autem : feramur, et hoc secundum impulsionem a Spiritu Sancto. (*Rom.* 8.) *Qui spiritu aguntur, hi filii Dei sunt.* Vel sicut portati a Deo, qui portat infirmitatem nostram. (*Is.* 46.) *Audite me domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero.* Vel sicut portati ab invicem. (*Gal.* 6.) *Alter alterius onera portate.*

Deinde cum dicit : *Non rursum,* exponit cum dixit : et intendit ostendere, quæ sunt illa, quæ faciunt ad inchoationem doctrinæ Christi : et utitur similitudine. Per fidem enim anima ædificatur in spirituali ædificio. Sicut ergo in corporali ædificio, primo ponitur fundamentum, ita hic prima

ıenta doctrinæ Christi, sunt quandamenta. Sed contra : quia ı 11.) ponitur fides esse fundaum : fides autem una est. (*Eph. Inus Dominus, una fides, unum ıma :* hic autem ponit sex fundaı : ergo videtur quod male. Resıo : dicendum est, quod fides mentum est virtutum. Ista autem, ponit hic, sunt fundamenta doc- Christi, Et dicit : *non rursum ıtes fundamentum, etc.* quasi ita er ponamus quod non oporteat ɔ ponere. Vel quia dudum po-ɜ, et non oportet iterare. Multum ı signanter ordinat ista Apostoicut enim in via generationis et cunque motus, prius est recestermino a quo, et post accessus minum ad quem : ita dicit hic, ænitentia est recessus a peccato, est quasi quoddam fundamentum ɜ vita. Nemo enim secundum suæ voluntatis arbiter potest ı vitam inchoare, nisi pœniteat ræteritæ. Unde Dominus in prinprædicationis dicit : *Pœnitengite.* (*Matth.* 4.) Et ideo dicit : *ɜntiæ ab operibus mortuis.* Opeim mortua dicuntur, vel quæ lum se sunt mortua, vel quæ mortificata. Res dicitur viva, ɔ habet officium propriæ virtuquo cum deficit, dicitur mortua. enim nostra sunt ordinata ad ıdinem, quæ est finis hominis. ı quando non ducunt ad beatitunec ordinari possunt, dicunrtua : et hæc sunt opera facta ɜato mortali. (*Infra* 11.) *Sanhristi, qui per Spiritum Sanctulit seipsum immaculatum Deo, ıbit conscientias nostras ab opemortuis.* Opera vero facta in te per peccatum mortificantur : on habent virtutem, ut mereantur vitam æternam. (*Ezech.* 18.) *Omnes justitiæ ejus quas fecerat, non recordabuntur.* Pœnitentia vero facit, quod ista reviviscunt : unde tunc iterum reputantur ad vitam æternam. In accessu vero ad terminum primo est fides. Et ideo dicit : *Fundamentum fidei ad Deum.* Proprium autem fidei est, quod credat homo et assentiat non visis a se, sed testimonio alterius. Hoc autem testimonium, vel est hominis tantum, et istud non facit virtutem fidei : quia homo et fallere et falli potest. Vel istud testimonium est ex judicio divino, et istud verissimum et firmissimum est : quia est ab ipsa veritate, quæ nec fallere, nec falli potest. Et ideo dicit : *Ad Deum,* ut sc. assentiat his, quæ Deus dicit. (*Joan.* 14.) *Creditis in Deum, et in me credite.* Secundo in isto processu sunt sacramenta fidei. Hæc autem sunt duo sacramenta intrantium, de his enim tantum agit hic Apostolus. Et ista sunt, baptismus primum, per quem regeneramur, et secundum est confirmatio, per quam confirmamur. Quantum ad primum dicit : *Baptismatum.* Sed contra (*Ephes.* 4.) *Una fides, unum baptisma.* Non ergo plura sunt baptismata.

Respondeo : dicendum est, quod triplex est baptismus, sc. fluminis, flaminis, et sanguinis : sed duo ultima non habent vim, nisi referantur ad primum : quia illa oportet habere in proposito, si non adsit facultas, in habentibus usum liberi arbitrii. Et ideo non sunt tria sacramenta : sed unum sacramentum, per quod regeneramur ad salutem. (*Joan.* 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc.* Inter ista vero baptismus sanguinis plus habet de effectu baptismi, si tamen primum fuerit in proposito, vel contrarium non teneatur in mente,

sicut patet de innocentibus, qui non erant in opposita dispositione. Baptismus enim virtutem habet ex merito passionis Christi. (*Rom.* 6.) *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* Sicut ergo, qui baptizatur, conformatur morti Christi sacramentaliter, ita martyr realiter. Et ideo istud baptisma habet totum effectum baptismi, quantum ad hoc, quod purgat omnem culpam et pœnam peccati, non tamen imprimit characterem aliquem. Et ideo si recipiens martyrium sine baptismo aquæ resurgeret, esset baptizandus. Pœnitentia vero non tantum habet de effectu baptismi, quia non tollit omnem pœnam, licet tollat culpam. Sicut autem martyr conformat se morti Christi per exteriorem passionem, ita pœnitens per interiorem. (*Gal.* 5.) *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis.* Ideo potest esse tanta, quod tolleret omnem culpam et pœnam, sicut patet in Latrone et Magdalena. Unde pœnitentia dicitur baptismus, inquantum supplet baptismi vicem. Et quia non licet illud iterari, ideo instituta est pœnitentia. Ista ergo dicuntur baptismata, quia habent effectum baptismi: sed tantum unum baptisma, quia non agunt nisi illud habeatur in proposito.

Secundum sacramentum intrantium est in ipsa manuum impositione. Ideo dicit: Impositionis quoque manuum. Hæc autem est duplex. Una est miracula faciens, sicut quando Christus per manus impositionem curabat infirmos. (*Luc.* 4.) *Singulis manus imponens curabat eos*, et hæc non est sacramentalis, Alia est sacramentalis, et hæc est duplex. Una in sacramento ordinis. (1 *Tim.* 5.) *Manus nemini cito imposueris.* Alia est in sacramento confirmationis ad renovationem. (*Tit.* 3.) *Per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, etc.* In confirmatione enim datur Spiritus Sanctus ad robur, ut sc. audacter homo confiteatur nomen Christi coram hominibus. Sicut enim in esse naturæ prius generatur homo, et postea augetur et roboratur, ita in esse gratiæ. Tertio sequitur terminus motus, ad quem motus terminatur, et ille est duplex. Duo enim expectamus: primum est resurrectio corporum, et ista est fidei fundamentum: quia sine hac, inanis est fides nostra. (1 *Cor.* 15.) Ideo dicit: *De resurrectione mortuorum.* Item expectamus remunerationem, quæ fiet per judicem. (*Eccl.* 12.) *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium.* Et ideo dicit: *Judicii æterni*, non quod illud judicium duret per mille annos, sicut voluit Lactantius, sed totum erit in momento: sed dicitur æternum, qui sententia quæ ibi dabitur, in æternum durabit. (*Matth.* 25.) *Ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Et sciendum est, quod omnia ista, quæ dicit se velle hic tractare, sunt quasi quædam rudimenta fidei. Unde prædicat ea novitiis. (*Act.* 17.) Et in multis aliis locis.

Deinde cum dicit: *Et hoc faciemus*, ostendit difficultatem propositi sui exequendi. Difficile enim est, et in se, et respectu auditorum. Unde tria facit. Primo innuit, quod in hoc potissime indigeat divino auxilio. Secundo subdit quorundam imbecillitatem, ibi: *Impossibile est enim.* Tertio adducit quandam similitudinem, ibi: *Terra enim.* Dicit ergo: Feramur ad perfectum, et hoc faciemus, siquidem permiserit Deus. Minus autem dicit, et plus significat. Nam non est tantum necessarium, quod Dominus permittat: sed oportet, quod omnia faciat. (*Sap.* 7.) *In manu Dei nos et sermones*

et ideo debet omnia ponere sub
ntia divini auxilii. (*Joan.* 6.)
: *nihil potestis facere.* (*Jac.* 4.)
dicatis, si Deus voluerit, et si
ıus faciemus.
de cum dicit : *Impossibile est,*
t imbecillitatem eorum : erant
nbecilles ad audiendum. Sicut
ı corporalibus nullus status est
riculosus, sicut recidivantium,
ıpiritualibus, qui post gratiam
ı peccatum, difficilius surgit ad
. Et circa hoc facit tria : primo
ıit bona, quæ perceperant : se-
difficultatem causatam in eis
:idivo, ibi : *Et prolapsi sunt.*
assignat rationem, ibi : *Rursus*
ıentes. Bona autem quædam
ræsentia, quædam vero futu-
i vero in præsenti habuerunt
alem regenerationem, et quan-
l hoc dicit : *Illuminati,* sc. per
num. Et congrue dicitur bap-
, illuminatio, quia baptismus est
ıium regenerationis spiritualis,
intellectus illuminatur per fi-
(*Ephes.* 5.) *Eratis aliquando te-*
, *nunc autem lux in Domino.*
t etiam bonorum Dei participa-
ı, et quantum ad hoc dicit: *Et*
ıerunt donum cœleste. Donum
est gratia, et dicitur cœleste,
cœlis Deus eam dat. (*Ps.* 67.)
dona hominibus : et (*Jac.* 1.)
datum optimum, et omne donum
tum desursum est, descendens a
luminum. Est etiam in eis parti-
ı divinæ bonitatis. (2 *Pet.* 1.)
uem, sc. Christum *maxima nobis*
ıtiosa promissa donavit. Ideo di-
Participes facti Spiritus Sancti.
ı enim dona dantur ex amore : et
istam participationem attribuit
ıi Sancto. Est autem participare,
n capere. Solus autem Christus
um Sanctum habuit ad plenitudi-
nem. (*Joan.* 3.) *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* Alii enim sancti de ejus plenitudine receperunt, et participes facti sunt, non quidem substantiæ, sed distributionum ejus : (*Supra* 2.) *Et variis Spiritus Sancti distributionibus.* (1 *Cor.* 12.) *Divisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, etc.* Item in præsenti habuerunt doctrinæ eruditionem. Et quantum ad hoc, dicit : *Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum.* Verbum istud dicitur bonum, quia est verbum vitæ æternæ. (*Joan.* 6.) *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.* (*Ps.* 118.) *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua.* Dicit autem, gustaverunt, quia non solum illuminat intellectum, sed etiam reficit affectum, in quo est quædam saporatio. (*Ps.* 33.) *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.* Bona autem futura habuerunt in spe. (*Rom.* 8.) *Spe salvi facti sumus.* Et ideo dicit : *Virtutesque seculi venturi.* Horum autem quædam habent non solum in spe, sed etiam in quadam inchoatione, et illæ sunt dotes animæ, sc. visio, tentio, et fruitio, et illa habentur in quadam inchoatione, inquantum fides, spes, et charitas, quæ istis respondent, habentur in præsenti. Alia autem sunt bona, quæ solum habentur in spe, ut dotes corporis, sc. subtilitas, agilitas, impassibilitas, claritas.

Consequenter cum dicit : *Et prolapsi sunt,* ostendit difficultatem ad resurgendum, causatam ex casu. Ubi notandum est, quod non dicit, lapsi, simpliciter, sed prolapsi, id est, totaliter lapsi : quia si lapsi tantum essent, non ita difficile foret resurgere. (*Prov.* 24.) *Septies in die cadit justus, et resurgit.* Quod si diceret Apostolus illos, qui prolapsi sunt impossibile esse resurgere, tunc posset dici, quod in

hoc notat maximam difficultatem resurgendi, sc. et propter peccatum, et propter superbiam, sicut patet in dæmonibus. Sed quia dicit illos, qui semel prolapsi sunt non posse rursus renovari ad pœnitentiam, nec est aliquod peccatum in hoc mundo, a quo non possit homo pœnitere, ideo aliter est intelligendum. Unde sciendum est, quod ex hoc loco sumpsit Novatus quidam, qui fuit presbyter ecclesiæ Romanæ, occasionem errandi. Voluit enim, quod nullus post baptismum posset ad pœnitentiam resurgere. Sed ista positio falsa est, sicut dicit Athanasius in epist. ad Serapionem : quia ipse Paulus recepit incæstuosum Corinthium. Sicut patet (2 *Cor.* 2.) Et similiter (*Gal.* 4.) Quia dicit: *Filioli mei quos iterum parturio, etc.* Est ergo intelligendum sicut dicit Aug. quod non dicit, quod impossibile est pœnitere, sed quod impossibile est, *Rursus renovari,* id est, baptizari. (*Tit.* 3.) *Per lavacrum regenerationis et renovationis, etc.* Numquam enim posset homo sic pœnitere quod posset iterum baptizari. Et hoc dicit Apostolus, quia secundum legem, Judæi multoties baptizantur, sicut patet (*Marc* ideo ad istum errorem remove dicit hoc Apostolus.

Deinde cum dicit : *Rursus c gentes, etc.* assignat rationem, baptismus non iteratur, quia s tismus est quædam configurati tis Christi, sicut patet (*Rom.* 6. *cunque in Christo baptizati sumu* autem non iteratur, quia Christ surgens ex mortuis jam non m (*Rom.* 6.)Qui ergo iterato bapti rursum Christum crucifigunt. ter, quod denotetur repugnanti tiæ Christi, ut sc. velint freq peccare, et post iterum baptiz sc. non referatur ad iterationen tismi, sed ad lapsum eorum, qu cant. Qui sc. quantum in ipsis es sus crucifigunt Christum, quia tus pro peccatis nostris mortu semel. (1 *Pet.* 3.) Cum ergo baptizatus, quantum in te est, d casionem, ut iterum Christus figatur, et sic contumelia fit C in cujus sanguine te lotum m (*Apoc.* 1.) *Dilexit nos, et lavit peccatis nostris in sanguine suo.*

LECTIO 2.

Per terræ ab homine cultæ, ac spinas producentis similitudinem, monet e post pœnitentiam, sive baptismum, iterum peccant.

7. *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem et germinans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo.*
8. *Proferens autem spinas ac tribulos reproba est, et maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.*

Supra ostendit Apostolus difficultatem ad suum propositum exequendum, provenientem ex eorum culpa : hic adducit ad hoc quandam simi nem. Et primo quantum ad l terram. Secundo quantum ad n ibi : *Proferens autem.* Sciendu autem, quod secundum unam e tionem, supra voluit Apostolu qui semel baptizati sunt, non iterum baptizari, vel renovari nitentiam. Alia autem est exp quæ ibi dimissa fuit, quod imp

le est eos, qui in hac vita semel illuminati sunt, rursum in alia vita renovari ad pœnitentiam. (*Eccl.* 9.) *Quicquid potest manus tua facere, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est apud inferos etc.* (*Joan.* 9.) *Venit nox, quando nemo potest operari.* Rursus ergo exponatur, id est, post hanc vitam. Et hujus ratio est. Duo enim causant pœnitentiam. Unum est, quod dat efficaciam, sc. meritum passionis Christi. (1 *Joan.* 2.) *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Aliud autem est exemplum pœnitendi, quod habemus in Christo per considerationem, sc. considerando austeritatem, paupertatem et tandem passionem. (1 *Pet.* 2.) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, etc.* Sic ergo intelligitur, quod dicit : *Rursus crucifigentes,* id est crucis Christi fructum percipientes, et hoc quantum ad id, quod dat efficaciam pœnitentiæ. *Et ostentui habentes*, quantum ad exemplum pœnitendi. Et sic accipitur ostentum in bonum. Ista vero similitudo, quæ ponitur hic, de terra, potest referri, vel ad id quod supra dictum est : Feramur ad perfectionem, et tunc erit sensus, quod si feramur, habebimus benedictionem sicut terra bona. Vel potest continuari ad dictum immediate, secundum expositionem utramque, sicut de baptismo, sive de alia vita. Illa tamen de baptismo magis est litteralis : et sic est sensus : Sicut terra culta, si iterato profert spinas, non colitur, sed comburitur : sic homo peccans post baptismum, ulterius non abluitur. Et tangitur circa bonam terram primo beneficium impensum : secundo fructum quem profert, ibi : *Et generans herbam.* Tertio prœmium, ibi : *Accipit benedictionem.* Terra ista est cor humanum. (*Luc.* 8.) *Quod autem cecidit in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo, etc.* Quod dicitur terra, quia sicut terra indiget pluvia, ita homo indiget gratia Dei. (*Ps.* 64.) *Visitasti terram, et inebriasti eam.* (*Is.* 55.) *Quomodo descendit imber et nix de cœlo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, etc.* Sed beneficium, quod percipit, et doctrina fidei, est quasi imber superveniens, quam pluit in cordibus auditorum mediantibus prædicatoribus et doctoribus. (*Is.* 5.) *Mandabo nubibus, ne pluant super eam imbrem.* (*Job.* 36.) *Effudit imbres ad instar gurgitum, qui de nubibus fluunt, etc.* Hunc imbrem bibit quando quod audit, intelligit : et ad illud afficitur. (*Is.* 55.) *Omnes sitientes venite ad aquas, etc.* Ista doctrina est *super se*, id est, desuper veniens, et hoc quantum ad principium hujus doctrinæ : vel super se, quia quædam doctrina est de terra, qua sc. homo inhœret terrenis. Alia est de cœlis, quæ sc. docet cœlestia. (*Jac.* 3.) *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica* : et post sequitur ibidem : *Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, etc.* Vel *Super se,* id est, super facultatem humanæ rationis : nam aliæ scientiæ sunt, secundum humanam rationem inventæ, hæc autem divinitus inspirata. (*Eccl.* 3.) *Plurima supra sensum hominum monstrata tibi sunt.* Dicit autem non semper, nec raro, sed *Sæpe,* quia ut dicit Augustinus, et habetur in Gloss. Si semper, vilescit, si raro, non sufficit, et negligitur. (*Job.* 19.) *Audivi frequenter talia.* Fructus est, quia *Generat herbam opportunam cultoribus.* Ista sunt bona opera, quæ facit homo per doctrinam susceptam. (*Gen.* 1.) *Germinet terra herbam virentem, etc.* Ista terra

colitur primo a Deo. (*Joan.* 15.) *Pater meus agricola est, etc.* Colitur etiam a prælato. (*1 Cor.* 3.) *Ego plantavi, Apollo rigavit, etc.* Colitur etiam ab homine ipso. (*Prov.* 24.) *Diligenter exerce agrum tuum.* Est autem opportuna Deo ad gloriam. (*1 Cor.* 10.) *Omnia in gloriam Dei facite.* Aliis ad meritum, et ad gloriam. (*1 Thess.* 2.) *Vos enim estis gloria nostra et gaudium.* Ipsi vero operanti ad vitam æternam. (*Rom.* 6.) *Habetis fructum vestrum in sanctificationem : finem vero vitam æternam.*

Deinde cum dicit : *Accipit benedictionem a Deo*, ostendit præmium, sc. benedictionem divinam. Ista autem benedictio nihil aliud est, quam factio bonitatis in nobis : quæ quidem in præsenti vita fit imperfecta, sed in futuro erit perfecta. (*1 Pet.* 3.) *In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.*

Deinde cum dicit : *Proferens, etc.* agit de mala terra : ubi tria facit, primo supponit beneficium, quod dictum est. Secundo ponit malum fructum, dicens : Proferens autem. Tertio ostendit pœnam, ibi : *Reproba est.* Fructus ergo sunt spinæ, id est, minora peccata : et tribuli, id est, majora, quæ pungunt conscientiam propriam, quandoque etiam alienam, illa sc. quæ sunt contra proximos. (*Gen.* 3.) *Spinas et tribulos germinabit tibi.* In pœna vero ponit tria, sc. divinam reprobationem, judiciariam condemnationem, ibi : *Maledicto proxima.* Et finalem punitionem, ibi : *Cujus consummatio, etc.* Quantum ad primum, dicit: *Reproba est.* Sicut enim prædestinatio est principium remunerationis, ita reprobatio signum est condemnationis. Quod ergo aliquis frequenter rigetur præceptis salutaribus, signum est reprobationis, si persistat in peccatis. (*Jer.* 6.) *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus projecit eos.* Condemnatio est, quia *Proxima maledicto.* (*Matth.* 25.) *Ite maledicti in ignem æternum.* Punitio est, cujus consummatio in combustionem. (*Is.* 9.) *Vestimentum mixtum sanguine, erit in combustionem, et cibus ignis.*

LECTIO 3.

Quia Deus non est injustus, ideo confidit Apostolus de illis viciniora saluti, et quia etiam meminerat, eos jam bona multa operasse.

9. *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora et viciniora saluti : tametsi ita loquimur.*

10. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis.*

11. *Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei, usque in finem.*

12. *Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hæreditabunt promissiones.*

Quia Apostolus multa, quæ dura videbantur de statu istorum dixerat, modo, ne ex illis desperarent, ostendit qua intentione hoc dixerit, sc. ut ipsos a periculis retraheret. Unde circa hoc duo facit. Primo enim ostendit fiduciam, quam de ipsis habebat : secundo subdit rationem confidentiæ, ibi : *Non enim injustus est Deus.* Dicit ergo : Ita dixi, quod terra quæ profert

et tributos, etc. Et ne credatis, go tales vos reputem, *Confidimus is dilectissimi*, et hoc propter ɛtcharitatem, *Meliora et vicinioɪti*. Ubi commendat statum ipsoɪ duobus, sc. ex eo, quod jam quia ex eo quod dicit, meliora, ıit, quod erant in bono statu, et quod expectabant in futurum, icit viciniora saluti. (*Rom.* 13.) *autem propior est nostra salus cum credidimus*. Quanto enim ɔroficit in bonis : tanto magis ɔinquat saluti. Sequitur, *Tametoquimur*, id est, quia etsi sic lor, hoc est, ut reddamus vos , et hoc procedit ex charitate. 10.) *Corripiet me justus in midia et increpabit me, etc.*

ıde cum dicit : *Non est enim inDeus, ut obliviscatur, etc.* ostenıonem confidentiæ, quæ duplex ıa ex bonis ipsorum præteritis. promissione Dei, ibi : *Abrahæ e, etc.* Quia vero Apostolus xerat : unum, sc. quod de ipsis ɛbat. Aliud quod aspere ipsis atur, ideo duo facit : primo enim ıt rationem primi. Secundo ra- secundi, ibi : *Cupimus, etc.* ıutem quare ipse de his confidat, st, quia recordatur multorum ım, quæ ipsi fecerunt. Unde di- *onfidimus autem, etc.* Et quare? ıon est injustus Deus, ut obli- ɪr operis vestri. Contra (*Ezech.* i *averterit se justus a justitia* c. Et paulo post ibidem sequi- *mnes justitiæ ejus non recorda-* . Et ibi subditur : *Non est æqua mini*. Respondeo : dicendum est, homo, qui cadit post gratiam, ter se potest habere. Uno mood in malo perseveret, et tunc ɔmnes justitias ejus obliviscitur. ɔdo, quod pœniteat, et tunc bonorum præcedentium recordatur, quia reputantur sibi ad meritum. Unde dicit Glossa, quod mortificata reviviscunt. Sed tunc videtur dubium, quia constat, quod justitia respicit meritum : si ergo justitia Domini exigit, quod Deus non obliviscatur si pœniteat, sicut dicit Gloss. ergo cadit sub merito, quod resurgat a peccato, et sic meretur gratiam, quod est impossibile. Respondeo : dicendum est quod duplex est meritum. Unum quod innititur justitiæ, et istud est meritum condigni. Aliud quod soli misericordiæ innititur, quod dicitur meritum congrui. Et de isto dicit : quod justum est, id est, congruum, quod homo, qui multa bona facit, mereatur. Ista enim misericordia est adjuncta quodammodo justitiæ, plusquam in illo, qui nunquam aliud fecit. Et isto modo non obliviscitur Deus operis et dilectionis. Soli enim charitati debetur vita æterna. (*Joan.* 14.) *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Quicquid enim non est ex charitate, non est meritorium. (1 *Cor.* 13.) *Si charitatem non habeam, nihil prodest.* Et ideo, hic non dicit tantum operis vestri, sed addit *Dilectionis*, quia etiam sicut dicit Gregor. Non est amor Dei otiosus. Operatur enim magna, si est, si operari renuit, amor non est. (1. *Joan.* 3.) *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Ideo subdit : *Quam ostendistis in nomine ipsius.* (*Col.* 3.) *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Jesu Christi, etc.* Quid autem ostenderint et in quo ostendit? quia *Ministrastis sanctis*, sc. subveniendo necessitatibus sanctorum. (*Matth.* 20.) *Quicumque voluerit inter vos fieri major, sit vester minister.* (*Rom.* 12.) *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Et quia in omnibus est necessaria

continuatio, ideo subdit : *Et ministrastis*. Et ideo si peccastis, ex divina misericordia adjuncta justitiæ dabit veniam.

Consequenter cum dicit : *Cupimus autem*, assignat rationem quare ita dure locutus fuerat, sc. ex desiderio salutis ipsorum. Unde circa hoc tria facit : quia primo ostendit suum desiderium. Secundo subdit imminens periculum, ibi : *Ut non segnes efficiamini*. Tertio declarat per exemplum, ibi : *Verum imitatores*. Dicit ergo : Diximus ista non quasi desperantes de vobis, sed magis, *Quia cupimus unumquemque*, id est, de unoquoque, *Vestrum*. (*Phil.* 1.) *Testis est mihi Deus quomodo cupiam vos omnes in visceribus Jesu Christi*. Sed quid cupimus ? *Ostendere eamdem sollicitudinem*, id est, ut sitis solliciti ostendere per exhibitionem operis, hanc sollicitudinem ad bona, quam semper habuistis. Unde patet, quod ad opera pietatis requiritur sollicitudo. (*Luc.* 10.) *Martha, Martha sollicita es, etc.* Item ad propriam salutem. (2 *Tim.* 2.) *Sollicite cura teipsum probabilem exhibere Deo*. Et quare *Ad expletionem spei*, sc. adimplendo, quod cœpistis, consequamini, quod speratis. (*Rom.* 5.) *Spes non confundit*. Et hoc totum, *Usque in finem*. Qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Deinde cum dicit : *Ut non segnes efficiamini*, ostendit periculum, quod est pigritia. Et est segnities, timor futuræ bonæ operationis propter timorem, sc. vel ne deficiat, vel ne pœniteat. (*Prov.* 22.) *Piger dicit : Leo est in via*. Unde pigri semper allegant impedimenta.

Deinde cum dicit : *Verum imitatores, etc.* ponit exemplum, quasi dicat : Non sitis pigri, sed magis imitamini accipiendo exemplum in prophetis. (*Jac.* 5.) *Accipite exemplum patientiæ, etc.* Et sequitur : *Prophetas*. Et in aliis sanctis, sc. Apostolis. (1 *Cor.* 2.) *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi*. — *Sitis ergo imitatores eorum qui fide*, sine qua impossibile est placere Deo : (*Infra* 11.) *Et patientia* contra adversa : *Hæreditabunt promissiones*. Per fidem enim formatam, et patientiam, acquiritur hæreditas promissa. (*Infra.* 11.) *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt, etc.*

LECTIO 4.

Ex promissione patribus facta, de eis confidere dicit, quorum primus fuit Abraham.

13. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per semetipsum.*
14. *Dicens: Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te.*
15. *Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.*
16. *Homines enim per majorem sui jurant : et omnis controversiæ eorum finis, ad confirmationem, est juramentum.*
17. *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationes hæredibus, immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum :*
18. *Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem:*
19. *Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis.*

Ibi præcursor pro nobis introivit us, secundum ordinem Melchiseh, pontifex factus in æternum.

ɔra Apostolus ostendit causam de istis confidebat, et hoc propɔna, quæ fecerunt : hic ostendit ex promissione facta patribus. circa hoc facit duo. Primo enim ittit promissionem, secundo as- rationem dictorum, ibi : *Homiim.* Circa primum tria facit. Primo ostendit cui facta sit promissio; do ostendit promissionis modum onvenientem, ibi : *Quoniam ne-*, *etc.* Tertio promissionis effecibi : *Et sic longanimiter.* Proɔ facta est Abrahæ. (*Gal.* 3.) *Abraictæ sunt promissiones, etc.* Et est ratio : quia per fidem inhærеɔeo, et ideo per fidem consequipromissiones. Primum enim ɔlum fidei fuit in Abraham, et uia primus recessit a consortio ium. (*Gen.* 12.) *Egredere de tua, etc.* Secundo quia primus i credidit, quod erat supra na-. (*Rom.* 4.) *Qui contra spem, in credidit.* Unde (*Gen.* 15.) *Creɔbraham Deo, et reputatum est ei ıstitiam.* Primus enim accepit ulum fidei, sc. circumcisionem. 4.) Modus promissionis est ım ad duo : primo quantum ad ɜntum interpositum : secundo ım ad verba promissionis, ibi : *ɔenedicens benedicam tibi, etc.* ırgo : Deus volens ostendere pronem suam firmam et stabilem, ıon *habuit majorem se, per quem t.* (*Ps.* 112.) *Excelsus super omnes Dominus, etc.* — *Juravit per seum.* (*Gen.* 22.) *Per memetipsum, dicit Dominus, etc.* In quo hatemplum, quod juramentum de ı est illicitum, quia scriptura nihil Deo attribuit quod de se sit peccatum. Intendit enim scriptura nos ad Deum ordinare et ducere. (*Ephes.* 5.) *Estote imitatores Dei sicut filii, etc.* Tamen interdicitur frequentia juramenti. (*Eccl.* 23.) *Jurationi non assuescat os tuum, etc.* Item juramentum in vanum. (*Exod.* 20.) *Non assumes nomen Dei tui in vanum.*

Consequenter cum dicit : *Nisi benedicens, etc.* ostendit modum promissionis, quasi dicat : Non credatur mihi, nisi benedicam tibi, ut sit modus jurandi quasi per executionem. Dicit autem : *Benedicens,* quod pertinet ad bonorum collationem. Benedictio enim Domini divites facit, sicut dicitur (*Prov.* 10.) *Et multiplicans multiplicabo te,* quod etiam pertinet ad prolis numerositatem. Et utrumque fuit Abrahæ promissum, sicut patet (*Gen.* 14 *et* 25.) Ingeminat autem dicendo *Benedicens benedicam,* ut designet bona temporalia et spiritualia, et continuitatem benedictionis. Vel benedicens benedicam in multitudine prolis sanctæ, quæ (*Gen.* 22.) designatur per stellas cæli, ubi dicitur : Suspice cœlum et numera stellas, si potes, etc. Et multiplicans multiplicabo in numerositate prolis malæ et perversæ, quæ ibidem, sc. 22 cap. designatur per arenam maris. Ingeminatur etiam multitudo, quod est propter numerositatem prolis bonæ vel malæ. Vel propter continuitatem multitudinis. Vel benedicam in bonis gratiæ : et multiplicabo in bonis gloriæ. (*Ps.* 30.) *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, etc.* Effectus promissionis fuit, quia *Longanimiter ferens, adeptus est repromissionem.* Longanimitas est non solum in faciendo magnum aliquid, sed etiam in expectando in longum. Abraham autem promissionem habuit : nec unquam passum pedis terræ possedit, ut

dicitur (*Act.* 7.) Et usque in senectutem prolem non suscipit, et tamen a spe non decidit. (*Jac.*5.) *Accipite exemplum fratres mei mali exitus, et longanimitatis, et laboris et patientiæ prophetas, etc.* (*Is.* 51.) *Attendite ad Abraham patrem vestrum, etc.*

Deinde cum dicit : *Homines enim per majorem sui jurant*, ponit rationem prædictorum : et circa hoc facit tria. Primo enim ponit humanam consuetudinem. Secundo assignat rationem consuetudinis, ibi : *In quo abundantius.* Tertio subdit fructum rationis, ibi : *Ut per duas res immobiles.* Consuetudo enim humana duplex ponitur : una quantum ad id per quod juratur. Alia quantum ad effectum juramenti, ibi : *Et omnis controversiæ.* Illud autem per quod juratur, est majus, et hoc rationabiliter. Nihil enim aliud est jurare, nisi dubium confirmare. Sicut ergo in scientiis nihil confirmatur, nisi per id quod est magis notum : ita quia nihil certius est apud homines, quam Deus : ideo per ipsum tanquam per majus et certius juratur. Sed contra : Quandoque enim juratur per filium, qui minor est, ut cum dicitur per Christum. Aliquando vero per creaturam, sicut Joseph juravit per salutem Pharaonis. (*Gen.* 42.) Respondeo : dicendum est, quod duplex est modus jurandi per Deum : uno modo per simplicem attestationem ; ut cum absolute dicitur : Per Deum ita est, quasi dicat: Testis est mihi Deus, quod ita est, sicut dico. (*Rom.*1.) *Testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo.* Aliquando vero per execrationem, quod fit quando aliquid obligatur ad vindictam Deo, si non sit ita, puta caput, vel anima, vel aliquid hujusmodi, sicut juravit Apost. (2 *Cor.* 1.) *Testem Deum invoco in animam meam*, quasi dicat : Obligo animam meam pro testimonio, pro quo ipsum nomen Dei assumo : et istud est gravissimum. Per creaturam autem juratur non inquantum est talis ; sed inquantum in ipsa relucet aliquod judicium divinæ potestatis. Quia enim omnis potestas a Deo est (*Rom.* 13.) inquantum aliquis exercet potestatem super aliquam multitudinem : si juratur per ipsum, juratur per Deum, cujus potestas in ipso relucet. Et sic juravit Joseph, per salutem Pharaonis. Hoc est ergo, quod dicit : Homines per majores sui jurant.

Sciendum est autem, quod a juramento sunt excludendi alias perjuri, quia debet juramento maxima reverentia exhiberi, et ex retro actis præsumitur, quod debitam reverentiam juramento non exhibebunt. Item ad ipsum non sunt cogendi pueri ante annos pubertatis, quia nondum habent perfectum usum rationis, quo sciant juramento debitam reverentiam exhibere. Item personæ magnæ dignitatis, quia juramentum requiritur ab eis, de quarum dicto, vel facto dubitatur. De rogat autem hominibus magnæ auctoritatis, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicunt. Unde et in decretis, 2. quæst. cap. 4. dicitur, quod sacerdos ex levi causa jurare non debet. Causæ autem in quibus liceat jurare hæ sunt. Pro pace firmanda. Sicut Laban juravit (*Gen.* 30.) Secundo pro fama conservanda. Tertio pro fidelitate tenenda, sicut Feudatarii jurant dominis. Quarto pro obedientia implenda, si præcipitur a superiori aliquid honestum. Quinto pro securitate facienda. Sexto pro veritate attestanda. Sic juravit Apostolus (*Rom.* 1.) *Testis est mihi Deus, etc.*

Deinde cum dicit : *Et omnis controversiæ, etc.* ponit effectum juramenti qui in hoc consistit, quod per jura-

ım finitur omnis controversia: enim in scientiis, quando resol- usque ad prima principia demon- lia, quiescitur: ita divina lege luctum est, quod cum pervenі- ı primam veritatem est status, fit quando ipsa in testimonium ıtur. (*Exod.* 22.) *Applicabitur os, et jurabit, et sic sopitur omnis io et controversia.*

nde cum dicit: *In quo abundan-* ıonit rationem, quare Deus voluit , sc. ad ostendendam firmitatem ssionis suæ. Unde dicit: *In quo,* eo ipso Deus interposuit jura- ım. *Volens abundantius ostende-* . Abundans enim fuit, quod pro- : sed abundantius fuit, quod t. Volens, inquam, ostendere ibus pollicitationem, id est, rei tæ. (*Rom.* 9.) Qui filii sunt pro- nis æstimantur in semine. lere, inquam, immobilitatem lum est, quod in his, quæ a Deo lunt, duo sunt consideranda, sc. rocessus rerum, et consilium Dei talis processus causatur. Con- Dei est omnino immobile. (*Is. onsilium meum stabit, et omnis as mea fiet.* Sed dispositio est nutabilis. Nam Dominus ali- ɔ pronuntiat aliquid, secundum exigit ordo et processus rerum, patet (*Is.* 34.) *Dispone domui uia morieris tu, et non vives.* ıt enim cursus infirmitatis, quod moreretur. Et similiter (*Jonæ.* 3.) *quadraginta dies et Ninive sub- r,* quia ipsa meruerat subver- ı sui ipsius. (*Jer.* 18.) *Repente adversus gentem, et adversus ı, ut eradicem, et destruam, et lam illud. Si pœnitentiam ege- s illa a malo suo, quod locutus versus eam, agam et ego pœ- ım super malo, quod cogitavi ut facerem ei.* Et tunc prophetia est comminationis. Quandoque vero pronuntiatur aliquid secundum quod respicit consilium Dei æternum: et super hoc Deus nunquam pœnitet, nec illud retrahit. (1 *Reg.* 15.) *Triumphator in Israel non parcet, et pœnitudine non flectetur.* Tamen sciendum est, quod quandocumque Dominus promittit aliquid sub juramento, est prophetia prædestinationis, quæ est ostensiva divini consilii: et ista promissio pœnitus immutabilis est.

Deinde cum dicit: *Ut per duas res, etc.* ostendit fructum promissionis: et primo ostendit, quis sit ille fructus: secundo quis consequatur hunc fructum, ibi: *Quam sicut anchoram.* Fructus autem est, ut spes nostra sit certa. Unde dicit: *Ut habeamus fortissimum*, id est firmissimum, *Solatium* spei. *Per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri*, sc. per Deum, qui promittit, qui non mentitur. (*Num.* 23.) *Non est Deus, ut filius hominis, ut mentiatur*, et per juramentum: in quo est major confirmatio veritatis. Sciendum est autem, quod sicut delectatio sensibilis est experientia sensibilis, et memoria de præterito, ita spes de futuro. (1 *Mach.* 2.) *Omnes qui sperant in ipso, non infirmantur.* (*Is.* 40.) *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, ut aquilæ, current, et non laborabunt, etc.* Habeamus, inquam, nos, *Qui confugimus* a malis, sc. mundi, et ab impugnatione hostis, *Ad tenendam propositam nobis spem.* (*Ps.* 89.) *Domine refugium factus es nobis* (*Prov.* 18.) *Turris fortissima nomen Domini.* Ad ipsam currit justus, et exaltabitur.

Deinde cum dicit: *Quam sicut anchoram*, ostendit quod fideles promissionem istam consequantur, et utitur quadam similitudine. Comparat enim

spem ipsi anchoræ, quæ sicut in mari navem immobilitat, ita spes animam firmat in Deo in hoc mundo, qui est quasi quoddam mare. (*Ps.* 103.) *Hoc mare magnum et spatiosum manibus.* Ista tamen anchora debet esse secura, ut sc. non deficiat. Unde fit de ferro. (2 *Tim.* 1.) *Scio enim cui credidi, et certus sum, etc.* Item debet esse firma, ut sc. non cito a navi removeatur, ita homo debet alligari isti spei, sicut anchora navi alligatur. Est autem differentia inter anchoram et spem, quia anchora in imo figitur: sed spes in summo, sc. in Deo. Nihil enim in præsenti vita est firmum, ubi posset anima firmari et quiescere. Unde (*Gen.* 8.) dicitur, quod columba non invenit ubi requiesceret pes ejus. Et ideo dicit : quod debet incedere usque ad interiora velaminis. Apostolus enim per sancta, quæ erant in tabernaculo, intelligit statum præsentem Ecclesiæ, sed per sancta sanctorum, quæ per velum distinguebantur a sanctis intelligit statum futuræ gloriæ. In illo ergo vult quod figatur anchora spei nostræ, qui est modo velatus ab oculis nostris. (*Is.* 64.) *Oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* (*Ps.* 90.) *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Hanc ibi fixit præcursor noster, qui ibi ingressus est. Unde (*Joan.* 14.) *Vado parare vobis locum.* (*Mich.* 2.) *Ascendit pandens iter ad eos.* Et ideo dicit, quod ipse tanquam præcursor pro nobis ingressus est interiora velaminis, et ibi fixit spem nostram, sicut dicitur in collecta, in vigilia, et in die ascensionis. Tamen quia intra velum non licebat intrare nisi summo sacerdoti : (*Levit.* 16.) Ideo dicit, quod *Jesus qui pro nobis ingressus est, factus est pontifex in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Ecce quam eleganter redit Apostolus ad propositum suum. Ipse enim cœperat loqui de sacerdotio, ,et tamen fuerat multum digressus : sed nunc ad istud redit, sicut patet.

CAPUT VII.

Ostenditur sacerdotium Christi Levitico sacerdotio excellentius.

1. *Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum et benedixit ei.*
2. *Cui et decimas omnium divisit Abraham primum quidem, qui interpretatur rex justitiæ : deinde autem et rex Salem, quod est rex pacis.*
3. *Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum.*

Supra Apostolus 5 cap. probavit Christum esse sacerdotem. In 6. autem capite interposuit quædam ad præparandos animos auditorum : hic redit ad suum propositum. Intendit enim probare excellentiam sacerdotii Christi ad sacerdotium Leviticum. Et circa hoc facit duo : primo enim ostendit excellentiam sacerdotii Christi ad sacerdotium veteris testamenti : secundo ostendit, quod fideles debent sacerdoti Christo reverenter subdi. Et hoc in medio decimi capitis, ibi : *Habentes itaque fratres fiduciam.* Circa primum duo facit. Primo

ostendit prærogativam sacerdotii
ti super Leviticum ex parte per-
ipsius sacerdotis : secundo ex
ministerii, 8 cap. ibi : *Capitu-*
utem. Circa primum duo facit :
primo ostendit existentiam sa-
tii Christi ex promissione di-
: secundo ostendit necessitatem
lotii ejus , ibi : *Talis enim de-*
. Promissionem vero ostendit per
(*Ps.* 109.) *Juravit Dominus, et*
enitebit eum, etc. Unde tria os-
; ad propositum suum proban-
Primo illud quod dicitur, se-
ım ordinem Melchisedech. Se-
illud, quod dicitur, juravit, ibi :
ıntum est non sine jurejurando.
illud quod dicitur : Tu es sa-
s , ibi : *Et alii quidem plures.*
primum duo facit : quia primo
lit similitudinem Christi ad Mel-
lech. Secundo ex hac similitu-
ɔræfert sacerdotium Christi Le-
, ibi : *Intuemini autem.* Circa
m duo facit : quia primo des-
conditiones Melchisedech. Se-
ostendit, quomodo conveniunt
o, ibi : *Primum quidem*: descri-
ıtem Melchisedech primo ex no-
cum dicit : *Hic autem Melchi-*
.. Sic enim nominat eum scrip-
Gen. 14.) ubi habetur historia,
Apostolus hic supponit. Et se-
m Gloss. Hebræi dicunt ipsum
Sem primogenitum Noe, et tunc
o Abraham habuit victoriam,
nnor. 390, alias 309. Et occurrit
æ nepoti suo. Secundo des-
eum a dignitate. Erat enim rex
ɔrdos.
ntum ad primum dicitur *Rex*
.. Et secundum aliquos, Salem
r Jerusalem. Sed contra est
ı. in quadam epistola : quia ut
licit , non poterat esse quod ei
eret a Jerusalem, quod probat
ex situ. Alii autem dicunt, quod Sa-
lem dicitur ille locus, de quo dicitur
(*Joan.* 3.) Quod juxta illum Joannes
baptizabat, et mœnia illius loci erant
adhuc tempore Hieronymi. Quantum ad
secundum, dicit, Sacerdos Dei summi.
Antiquitus enim ille , qui inter filios
erat antiquior , erat sacerdos. Sed
verum est, quod tempore Abrahæ
multum invaluerat cultus idolorum.
Et ideo ne credant, quod esset sa-
cerdos idolorum additur, Dei summi,
sc. per essentiam, non per participa-
tionem , vel nuncupationem. Deus
enim est creator omnium eorum, qui
dicuntur dii, sive per participationem,
sive per errorem. (*Ps.* 94.) *Rex magnus*
super omnes deos. (*Is.* 61.) *Vos sacer-*
dotes Domini vocabimini, etc. Tertio
describit eum ab officio, ibi : *Qui*
obviavit, etc. Sacerdos enim medius
est inter Deum et populum. Debet
enim aliquid populo conferre, sc. spi-
ritualia , et aliquid ab eo accipere, sc.
temporalia. (1 *Cor.* 9.) *Si nos vobis*
spiritualia seminavimus, non magnum
est si carnalia vestra metamus. Primo
ergo debet exhibere confortationem
per bona monita. Unde dicitur (*Gen.*
14.) Quod quatuor reges vicerunt
quinque reges, et captivum duxerunt
Loth nepotem Abrahæ. Isti quatuor
reges sunt quatuor vitia principalia
opposita quatuor cardinalibus virtuti-
bus, quæ captivum detinent affectum
nepotem rationis, victis quinque
sensibus corporis. Qui enim superat
et liberat affectum, debet confortari a
sacerdote. (*Is.* 21.) *Occurrentes sitienti*
ferte aquam: et (*Is.* 35.) *Confortate*
manus dissolutas, etc. Secundo sa-
cerdos debet confortare per sacramen-
torum administrationem benedicendo.
Unde *Benedixit ei.* (*Ps.* 117.) *Bene-*
diximus vobis in nomine Domini. Hoc
autem fit impendendo sacramenta,

per quæ confortatur homo in gratia. (*Num.* 6.) *Invocabunt nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.* Nam Deus benedicit auctoritate, sed sacerdos ministerio. *Et decimas,* sc. ad sustentationem. *Divisit,* sc. Abraham, id est, recte distribuit. Sed contra : quia ut patet (*Num.* 18.) Ex lege est datio decimarum, non ergo sunt ante legem.

Respondeo : dicendum est , quod cerimonialia veteris testamenti sunt quædam determinationes præceptorum juris naturalis, et præceptorum moralium. Et ideo quantum ad hoc, quod habebant de jure naturali, servabantur ante legem tantum pro voto observantium, et sine aliquo præcepto. Quod enim aliquid offeratur Deo in recognitionem creationis et dominii, hoc est naturale : sed quod offeratur vitulus et hœdus, hoc est cerimoniale. Similiter de jure naturali est, quod ministri servientes Deo, sustententur a populo; sicut enim patet (*Gen.* 47.) hoc servabatur etiam apud Gentiles. Unde sacerdotes, quia pascebantur de horreis publicis , non sunt compulsi vendere possessiones suas : et ideo fuerunt ante legem. Sed determinatio hujus partis est per legem. (*Levit.* 27). *Omnes decimæ Domini sunt.* Et in hujus signum Jacob ante legem , in loco in quo postea fuit ædificatum templum, vovit se daturum decimas : et hoc specialiter , quia ad hoc Dei cultus proprie exhibetur , ut significetur, quod homo quicquid habet, a Deo accepit : et totam perfectionem suam ab ipso expectat. Numerus enim denarius est perfectus , quia consurgit ex partibus suis aliquoties : quia unum, duo, tria, quatuor faciunt decem. Usque etiam ad ipsum ascendit numerus, et omnes alii non sunt nisi quædam repetitio et additio super denarium. Omnes ergo su fecti usque dum pervenitur Et similiter a Deo est omnis Ut ergo significaret , quod complementum omnis per ideo dedit decimas.

Deinde cum dicit : *Primu* ostendit similitudinem Chris chisedech : et circa hoc fa primo enim inducit simi quantum ad conditionem per cundo quantum ad sacerdot *Assimilatus autem filio Dei* duas : quia primo ponit s nem quantum ad ea, quæ in commemorantur. Secundo q ea, quæ in ipsa tacentur, ibi *tre.* In scriptura autem duc de ipso. *Primum quidem,* n Melchisedech. *Qui interpre justitiæ* : et significat Chris fuit rex. (*Jer.* 23.) *Et regna sapiens erit, et faciet judiciu titiam in terra.* Nec solu justus, sed etiam rex justiti factus est nobis sapientia e (1 *Cor.* 1.) Aliud quod dicit est conditio. Unde dicitur, *lem, quod est rex pacis.* I convenit Christo. Ipse eni nostra. (*Eph.* 2. *Ps.* 71.) *Orie bus ejus justitia et abundan* Et in hoc docet Apostolus pretatione nominum in præ bus. Et bene conjungit justi cem, quia nullus facit pace servat justitiam. (*Is.* 32.) *justitiæ, pax.* In mundo is nantur in justitia, sed in pace. (*Is.* 32.) *Sedebit po in pulchritudine pacis.*

Deinde cum dicit : *Sine* nit similitudinem quantum tacentur de ipso, quia *In non fit mentio de patre, ejus, nec de genealogia ipsiu*

hoc aliqui antiqui assumpserunt materiam erroris : ut quia solus Deus est sine principio et sine fine, dicerent istum Melchisedech fuisse filium Dei. Istud autem damnatum est sicut hæreticum. Unde sciendum est, quod in veteri testamento, quandocumque fit mentio de aliqua solemni persona, narrantur pater et mater, et tempus nativitatis et mortis, sicut de Isaac et multis aliis : hic autem subito introducitur Melchisedech, nulla penitus facta mentione de generatione sua, et pertinentibus ad ipsam. Et hoc utique rationabiliter. Inquantum enim dicitur *Sine patre*, significatur nativitas Christi de virgine, quæ fuit sine patre. (*Matth.* 1.) *Quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Illud autem, quod est proprium Dei, non debet attribui creaturæ. Solius vero Dei patris est esse patrem Christi. Ergo in nativitate illius, qui ipsum præfigurabat, non debuit fieri mentio de patre carnali. Item quantum ad generationem æternam, dicit *Sine matre.* Et hoc ne intelligas istam generationem esse materialem, sicut mater dat materiam genito, sed est spiritualis ; sicut splendor a sole. (*Supra* 1.) *Qui cum sit splendor, etc.* Item quando fit generatio a patre et matre, non totum est a patre, sed materia administratur a matre. Ad excludendum ergo imperfectionem a Christo, et ad designandum, quod totum, quod habet, est a Patre, non fit aliqua mentio de matre. Unde versus, est sine matre Deus, est sine patre caro. (*Ps.* 109.) *Ex utero ante luciferum genui te*, sc. ego solus, *Sine genealogia.* Et duplici de causa non ponitur genealogia ejus in scriptura : Una ad designandum, quod generatio Christi est ineffabilis. (*Is.* 53.) *Generationem ejus quis enarrabit?* Alia ad designandum, quod Christus, qui introducitur, ut sacerdos, non pertinet ad genus Leviticum, nec ad genealogiam veteris legis. Et hæc est intentio Apostoli. Unde subdit : *Neque initium dierum habens, neque finem vitæ.* Hoc autem dicit, non quia Christus non sit natus in tempore, neque mortuus, sed propter æternam ejus generationem, in qua natus est sine initio cujuscumque temporis. Unde (*Joan.* 1.) *In principio erat verbum*, id est, tempore quocumque dato ante erat verbum, ut exponit Basilius. Est enim ante omnes dies, quia per ipsum factus est mundus, cum quo incœperunt dies. Item nec finem vitæ : verum est quantum ad divinitatem, quæ est æterna. Quantum etiam ad humanitatem : jam non habet finem vita, quia Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur. (*Rom.* 6.) Et (*Infra* 13.) *Christus Jesus heri et hodie, ipse et in secula.*

Deinde cum dicit : *Assimilatus autem filio Dei, etc.* ostendit similitudinem quantum ad sacerdotium. Sciendum est tamen, quod solet dici, quod posteriora assimilantur prioribus, et non e converso. Et ideo ne credatur, quod sacerdotium Christi sit posterius sacerdotio Melchisedech : hoc removet Apostolus, quia et si Christus inquantum homo natus sit post eum, et ex tempore, tamen inquantum Deus et filius Dei est ab æterno. Et ideo Melchisedech secundum omnia ista *Assimilatus est illi, qui est filius Dei.* et hoc inquantum *Manet sacerdos in perpetuum*, quod potest dupliciter exponi. Uno modo, quia non fit mentio de fine sacerdotii ejus, nec successore ipsius. (*Os.* 12.) *In manibus prophetarum assimilatus sum.* Item est sacerdos in perpetuum, quia figuratum ejus, sc. sacerdotium Christi, in perpetuum est. Unde et in scriptura

pluries repetitur, ritu perpetuo. (*Exod.* 27.) *Cultus perpetuus erit.* (*Lev.* 24.) *Cultu, rituque perpetuo*, quia illud quod figurabatur per istud, perpetuum erat. Per hoc enim Apostolus continuat sequentia ad præcedentia.

LECTIO 2.

Præfertur sacerdotium Melchisedech sacerdotio Levitico, in quo cum figuraretur Christus, ostenditur Christi sacerdotium, etiam Levitico excellentius.

4. *Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham patriarcha.*
5. *Et quidem de filiis Levi sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere a populo secundum legem, id est, a fratribus suis : quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ.*
6. *Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc qui habebat repromissiones, benedixit.*
7. *Sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur.*
8. *Et hic quidem, decimas morientes homines accipiunt, ibi autem contestatur, quia vivit.*
9. *Et ut ita dictum sit per Abraham et Levi qui decimas accepit, decimatus est.*
10. *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.*

r Supra ostendit Apostolus quomodo Melchisedech assimilatus est filio Dei, hic ostendit præeminentiam sacerdotii Melchisedech ad sacerdotium Leviticum. Et circa hoc facit duo. Primo enim excitat attentionem : secundo ostendit propositum, ibi : *Et quidem de filiis.* Excitat autem ipsos, quia grandia et maxima dicturus erat. (*Prov.* 8.) *Audite me, quia de rebus magnis locutura sum.* Et ideo dicit : *Intuemini*, id est, diligenter considerate, *Quantus*, id est, quam magnæ dignitatis, *Sit hic cui Abraham patriarcha decimas solvit*, et hoc de præcipuis. (*Malac.* 1.) *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum : et votum faciens, immolat Domino debile.* Dicitur autem Abraham patriarcha, id est, princeps patrum : non quia non habuerit patrem, sed quia sibi facta est promissio de paternitate gentium. (*Gen.* 17.) *Eris pater multarum gentium.* (*Eccl.* 44.) *Abraham magnus pater multitudinis gentium.* (*Rom.* 4.) *Patrem multarum gentium posui te ante Deum cui credidisti.*

Deinde cum dicit : *Et quidem de filiis*, ostendit præeminentiam sacerdotii Melchisedech ad Leviticum. Et circa hoc facit duo. Primo enim ostendit propositum : secundo ex hoc concludit intentum sc. quod sacerdotium Christi præfertur sacerdotio Levitico, ibi : *Si ergo consummatio.* Iterum prima in duas : quia primo ostendit propositum : secundo removet quamdam responsionem, ibi : *Et ut ita dictum.* Prima iterum in duas. Primo ostendit præeminentiam quantum ad id, in quo ipse usus est sacerdotio suo. Secundo quantum ad conditionem sacerdotii, ibi : *Et hic quidem decimas.* Ad sacerdotem vero duo pertinent, ut dictum est supra, sc. accipere, et benedicere. Duo ergo facit. Quia primo ostendit excellentiam quantum ad acceptionem decimarum : secundo quantum ad benedictionem,

Et hunc qui habebat. Circa pri-
adhuc duo facit : quia primo
dit de quibus competit accipere
ıas : secundo quomodo hoc excel-
ıs faciebat Melchisedech , ibi :
: *autem generatio.* Dicit ergo :
idem accipientes sacerdotium de
Levi. In hoc ostendit quibus com-
accipere decimas, quia sacerdo-
Sciendum est autem, quod illi
ibu Levi erant deputati divino
. Inter ipsos autem soli illi de
ı Aaron, erant sacerdotes. (*Exod.*
Applica Aaron, etc. Et isti quia
Aaron erant de tribu Levi sume-
decimas. Sed contra. Ergo secun-
hoc, soli sacerdotes accipiebant
as, quod est contra illud (*Num.*
Filiis Levi dedi omnes decimas
*is, etc.*Respondeo: dicendum est,
Levitæ non accipiebant eas, nisi
ministrabant sacerdotibus. Et
n propter se, sed propter sacer-
dabantur eis. Item Levitæ acci-
nt decimas decimatas, sic (*Num.*
Et ita soli sacerdotes accipiebant,
ı solvebant. Secundo ostendit quo
ccipiebant, quia ex mandato le-
nde dicit : mandatum habent de-
sumere. Contra. Si hoc est
ıtum legis, cum servare manda-
is modo sit peccatum, videtur
ım modo dare, vel accipere de-
.
pondeo : dicendum est, quod in
ıerunt quædam pure ceremonia-
ut circumcisio, immolare agnum,
usmodi. Et ista quia erant fi-
va tantum, non licet modo ser-
Erant enim figura futuri. Unde
odo servaret, significaret Chris-
ıdhuc futurum. Quædam vero
pure moralia, et ista modo ser-
sunt, et de talibus fuit datio
arum : sicut supra dictum est.
decimatio et in lege data est, et
I.

in novo testamento. (*Matth.* 10.) *Dignus est operarius cibo suo.* (*Luc.* 10.) *Dignus est operarius mercede sua.* Sed determinatio talis portionis modo, est ab ecclesia, sicut et in veteri testamento fuit ex lege. Alia vero fuerunt partim ceremonialia, et partim moralia, sicut judicialia : et ista quantum ad id, quod ceremonialia sunt, non licet servare : sed quantum ad morale, debent : tamen non est necesse in propria forma servari. Alia objectio, quia si esset mandatum, et adhuc est, ergo peccat, qui non accipit, et peccant ubi non accipiuntur. Respondeo : dicendum est, quod aliqui dicunt, quod nulli licet abrenunciare juri accipiendarum decimarum : sed bene licet dimittere usum accipiendi propter scandalum, et hoc exemplo Apostoli, qui sumptus non accipiebat ab aliquibus. Et sic dicunt mandatum esse, quod juri non renuntient. Melius tamen dici potest, quod non est intelligendum quod eis præceptum sit sumere, sed pro se habent introductum hoc mandatum, quod accipere possint, et alii teneantur reddere. Tertio ostendit a quibus accipiebant, quia *A populo, sc. a fratribus suis secundum legem, quamquam ipsi* Levitæ *Exierint de lumbis Abrahæ.* Quia enim aliquis posset dicere, quod sicut Melchisedech accepit decimas ab Abraham, ita Levitæ a filiis ejus, ergo non præfertur illud sacerdotium isti. Ideo hoc excludit, et dicit quod ipsimet Levitæ erant de semine Abrahæ, et sic erant inferiores eo cui decimas solverunt, sc. Abraham.

Deinde cum dicit : *Cujus autem,* ostendit quomodo excellentius conveniebat Melchisedech accipere decimas, quia nec ipse erat de genere Abraham, unde *Generatio ejus non annumeratur cum eis,* sc. Levitis. Item ex mandato

legis licebat eis sumere decimas: et sic eorum sacerdotium erat subjectum observantiis legis, sed ille non ex mandato cujuscumque legis, sed per se *Sumpsit decimas*. Ideo sacerdotium ejus erat figura sacerdotii Christi, quod non est subditum legi. Item ipsi accipiebant a populo infimo, sc. a fratribus, ille autem a summo, sc. ab Abraham.

Deinde cum dicit: *Et hunc qui habebat, etc.* ostendit excellentiam ejus ex parte benedictionis, et est sua ratio talis. (*Gen.* 14.) dicitur, quod Melchisedech benedixit Abrahæ, sed major est, qui benedicit, illo cui benedicitur: ergo, etc. Et ideo dicit, quod Melchisedech ipse benedixit Abraham, *Qui habebat repromissionem*. Contra (*Infra* 11.) *Non acceperunt repromissionem, etc.* Respondeo: dicendum est, quod non accepit Abraham repromissionem, id est, rem promissam, quia non fuit eam consecutus, habuit tamen ipsam in fide, et spe, et ad ipsum specialiter facta est repromissio.

Deinde cum dicit: *Sine ulla autem contradictione, quod minus est a meliore benedicitur*, ponit majorem suæ rationis. Sed hic sunt tres objectiones. Prima est de hoc, quod dicit, quod minor a majore benedicitur. Et ex isto loco pauperes Lugdunenses dicunt, quod quicumque justus major est peccatore, et sic justus laicus non benedicitur a malo sacerdote: sed e converso. Unde volunt, quod omnis justus est sacerdos, et nullus peccator est sacerdos. Respondeo: dicendum est, quod iste error nimis perniciosus est: quia si bonitas ministri requiratur ad collationem sacramenti, in quo est ipsa salus, sequitur quod nullus sit certus suæ salutis, nec sciret se recte baptizatum, quia non potest scire, si sacerdos sit justus. Nullus etiam poterit esse minister, quia nemo scit utrum odio, vel amore dignus sit. (*Eccl.* 9.) Et ideo dicendum est, quod aliquis potest aliquid facere dupliciter: aut auctoritate propria, aut auctoritate alterius. Quando autem auctoritate propria, tunc requiritur quod sit justus. Sacerdos autem tantum est minister. Unde non agit nisi in virtute Christi. (1 *Cor.* 4.) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores ministeriorum Dei*. Et ideo, non nocet sive bonus, sive malus fuerit: quia Christus est, qui in ipso benedicit, et sic sine ulla contradictione, qui benedicit, major est. Secunda objectio est, quia cum Christus sit major omni sacerdote, quomodo potest corpus Christi a sacerdote consecrari? Respondeo: dicendum est, quod sacerdos benedicit materiam, non autem corpus Christi. Item non agit auctoritate propria, sed auctoritate Christi, qui inquantum Deus, major est corpore suo. Item tertia objectio est, quia non videtur verum, quod major benedicat semper minorem: quia papa consecratur ab episcopo, et archiepiscopus a suffraganeo, qui tamen sunt minores. Respondeo: dicendum est, nec episcopus consecrat papam, nec suffraganei archiepiscopum, sed hunc hominem, ut sit papa, vel archiepiscopus. Item facit hoc minister Dei, qui major est, quam papa.

Deinde cum dicit: *Et hic quidem, etc.* ostendit præeminentiam sacerdotii ex parte sacerdotis ex conditione ipsius, et facit talem rationem. Illud est excellentius, quod non corrumpitur, sed *in sacerdotio Levitico homines morientes*, id est, per mortem succedentes, *Accipiunt decimas*, sed *Ibi*, id est, in sacerdotio Melchisedech, *Contestatur* scriptura *Quia vivit*, id est, non facit mentionem de morte ejus: non quia non mortuus sit, sed

gnificat sacerdotium, quod ma-
æternum. Christus enim resur-
mortuis, jam non moritur.
6. *et Apoc.* 1.) *Fui mortuus, et*
m vivus, etc.
equenter cum dicit : *Et ut ita*
sit, etc. respondet cuidam ob-
i. Posset enim dici, verum est,
Melchisedech major est, quam
ım, qui ei dedit decimas, sed
najor est, quam Melchisedech.
) dicit Apostolus, quod hoc non
quia *Ut ita dictum sit per Abra-*
id est, mediante Abraham. *Et*
ecimatus est ab eo supple. *Qui*
s accepit, id est, a Melchise-
Et sic adhuc est ipse major,
Levi. Sed contra : Si alicujus
ɔi pater dat decimas, non tamen
r hoc oportet, quod episcopus
nor illo, qui decimas recipit.
ec similiter in proposito. Res-
) : Dicendum est, quod non est
quia tota dignitas illius gene-
ım sacerdotum, erat ex Abra-
ıon autem sic est de episcopo,
ıta dignitas ejus ex Christo est,
: patre suo.
ıde cum dicit : *Adhuc enim in*
, *etc.* manifestat, quod dixerat, et dicit, quod *Levi adhuc erat in lumbis patris Abraham, quando dedit decimas Melchisedech, qui occurrit sibi,* et sic Abraham decimato, decimatus est etiam Levi. Sed contra : quia sic etiam erat Christus in lumbis ejus, sicut et Levi. (*Matth.* 1.) *Filii David, filii Abraham.* Et ideo si propter hoc major est Melchisedech, quam Levi : quia Levi fuit decimatus, non videtur ratio quare Christus non fuerit decimatus : et sic adhuc Melchisedech major Christo erit. Et eadem difficultas est de peccato originali : quia ut dicitur. (*Rom.* 5.) *In quo omnes peccaverunt,* id est, in Adam. Et ideo videtur, quod Christus, qui eodem modo fuit in ipso sicut nos, ipsum peccatum originale contraxerit. Respondeo : Dicendum est, quod totum hoc intelligitur in his, qui in Abraham sive in Adam fuerunt, secundum rationem seminalem et corpulentam substantiam, quomodo Christus non fuit ibi, sed tantum secundum corpulentam substantiam : Christus enim fuit conceptus quo ad corpus de materia purissima et sanctissima beatæ virginis : ut habetur declaratum tertio sententiarum, tertia distinctione.

LECTIO 3.

ɔluditur sacerdotium Christi, Melchisedech sacerdotio excellentius, et ideo etiam Levitico.

ergo consummatio per sacerdo-
ı *Leviticum erat (populus enim,*
ipso leyem accepit) quid adhuc
ssarium fuit secundum ordinem
chisedech, alium surgere sacer-
m, et non secundum ordinem
on dici?
ranslato enim sacerdotio, necesse
ut et legis translatio fiat.
; *quo enim hæc dicuntur : de alia*
u est, de qua nullus altari præsto

14. *Manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu, nihil de sacerdotibus Moyses locutus est.*

15. *Et amplius adhuc manifestum est, si secundum similitudinem Melchisedech exurgat alius sacerdos.*

16. *Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitæ insolubilis.*

17. *Contestatur enim, quoniam tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.*

18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus et inutilitatem.*

19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei per quam proximamus ad Deum.*

Supra probavit Apostolus præeminentiam sacerdotii Melchisedech ad Leviticum : hic ab eodem concludit excellentiam sacerdotii Christi, respectu sacerdotii Levitici. Sicut etiam supra dictum est a principio hujus septimi cap. Apostolus per tria probat ex auctoritate (*Ps.* 109.) propositum suum. Primo per illud, secundum ordinem Melchisedech. Probavit ergo præeminentiam Melchisedech ad Levi. Et ideo secundum ordinem sacerdotii Melchisedech, probat præeminentiam Christi ad sacerdotium Leviticum. Unde facit hic magnam vim de isto verbo, secundum ordinem. Et facit duas rationes, quarum una concludit, quod sacerdotium Christi præfertur sacerdotio Levitico. Secunda, quod etiam evacuat illud, et illam ponit, ibi : *Et amplius adhuc manifestum est, etc.* In prima ratione, quæ est conditionalis, ponit duo antecedentia, et per consequens duo consequentia, ibi: *Quid adhuc, etc.* Et ratio sua talis est : si sacerdotium Leviticum fuisset perfectum, per cujus ministerium erat administratio legis, non fuit necessarium, quod surgeret alius sacerdos secundum alium ordinem, per quem etiam alia lex ministraretur, sicut per Leviticum, lex vetus. Sed surgit alius sacerdos secundum alium ordinem, sc. secundum ordinem Melchisedech. Ergo illud imperfectum erat. Sicut ergo surgit sacerdotium, ita necesse est surgere aliam legem. In ista ratione manifestum est, quod sunt duo antecedentia. Unum pertinens ad sacerdotium : aliud ad legem. Dicit ergo quantum ad primum antecedens, quod *Si esset consummatio per sacerdotium Leviticum.* Quantum vero ad secundum, dicit : quod si per sacerdotium lex administraretur, quod probat ; *quia sub ipso,* id est, per ejus administrationem, *Populus legem accepit,* non quod sacerdotium præcederet legem, sed magis e converso. Unde istud secundum antecedens ponit ibi cum dicit : *Sub ipso enim, etc.* (*Malach.* 2.) *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem de ore ejus requirent.* Facit autem mentionem specialiter de sacerdotio, ut transferat se ad legem, quæ per officium sacerdotale administrabatur : non enim, ut dicit Gloss. potest esse sacerdos sine testamento et lege et præceptis. Sacerdotium vero non consummabat, id est, perficiebat. Tota enim perfectio sua erat per legem, quam administrabat. Sed ut jam dicetur, nullum *ad perfectum adduxit lex :* quia nec ad perfectionem justitiæ. (*Matth.* 5.) *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, etc.* Item non dabat consummationem patriæ, quia non introducebat in vitam. Et in hujus signum ipse legislator non potuit intrare terram promissionis. Deut. ult. Has autem duas perfectiones habemus per Christum. (*Is.* 10.) *Consummatio abbreviata inundabit justitiam.* (*Rom.* 6.) *Verbum consummans et abbrevians in æquitate.* Hæc sunt ergo antecedentia.

Consequentia vero ponit, cum dicit: *quid adhuc, etc.* Et hoc quantum ad primum, quasi dicat. Si illud fuisset consummatum et perfectum, *quid adhuc fuit necessarium surgere alium, etc.* Id est, non dixisset, secundum ordi-

elchisedech, sed secundum or- Aaron, quod quia non fecit, rat imperfectum. Hæc est tota ratio, per quam patet, quod otium Christi præfertur Leviti- unda ratio probat, quod etiam evacuat, quia perfectum eva- nperfectum. (1 *Cor.* 13.) *Cum quod perfectum est, evacuabi- id ex parte est.* Ergo sacerdo- Christi evacuat sacerdotium um. Est ergo primum conse- quod sacerdotium Christi eva- cerdotium Leviticum. Secun- onsequens est quod etiam eva- lex quæ per illud administra- et istud ponit, cum dicit, quod *ato sacerdotio necesse est, ut anslatio fiat.* Erat enim lex sub stratione sacerdotii, ergo mu- cerdotio, necesse est, quod lex r. Et hujus ratio est, quia fine, necesse est, quod muten- quæ sunt ad finem, sicut qui propositum eundi per aquam, propositum quærendi navem. autem lex ordinatur ad conver- m humanam secundum aliquod n. Unde secundum philoso- n politicis. Mutata conversatio- cesse est mutari legem. Si- tem lex humana ordinatur ad n humanum, ita spiritualis et ad regimen divinum. Hoc autem n designatur per sacerdotium. ito ergo sacerdotio, necesse est rri legem. Signanter autem r, quia non dicit, sacerdote to. Lex enim non respicit per- sacerdotis. Unde mortuo sacer- on mutatur lex, nisi forte sit oducta propter personam ejus: itato sacerdotio mutatur totus , et ordo regiminis. Et de ista one habetur. (*Jer.* 3.) *Feriam Israel, et domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris, etc.* (*Rom.* 8.) *Lex spiritus vitæ in Christo Jesu, liberavit me a lege peccati et mortis.* Lex enim vetus dicitur lex peccati et mortis, per occasionem acceptam, quia sc. gratiam non conferebat ex opere operato : sicut sacramenta novæ legis. Sed objicit hic Manichæus : Si lex vetus fuit data per divinam providentiam, cum illa sit immutabilis, etiam ipsa lex esset immutabilis, et per consequens non debuit mutari. Cum ergo mutata sit, ergo non est data per divinam providentiam.

Respondeo : dicendum est secundum, quod dicit August. contra Faustum : sicut sapiens dispensator una et eadem dispositione et providentia secundum diversitatem temporum et personarum dat alia, et alia præcepta : sicut et alia hyeme, alia æstate, alia pueris, alia senibus, alia perfectis, alia imperfectis, et tamen est eadem providentia : ita divina providentia immobili permanente : mutata est lex propter mutationem temporum, quia ante adventum debuerunt dari præcepta, quæ figurarent venturum, sed post adventum, quæ significent venisse. Item data sunt illis præcepta sicut pueris : in novo vero sicut perfectis. Unde lex dicitnr pædagogus, quod est proprie puerorum. Unde si in lege dicitur aliquid, quod sonet perpetuitatem, hoc est ratione figurati. Item gloss. dicit hic, quod ista translatio sacerdotii fuit figurata. (1 *Reg*, 2.) Quando sacerdotium fuit translatum ad Samuelem, qui non fuit de tribu Levi. Contra : quia Samuel non fuit sacerdos, immo magis hoc fuit figuratum in translatione sacerdotii Abiathar ad Sadoch, qui etiam erat Levita. Et dicendum est, quod licet Samuel non esset sacerdos, tamen ali-

quid sacerdotale egit : quia et sacrificium obtulit : et reges unxit, sc. Saul et David. Et quantum ad hoc, translatum est ad ipsum sacerdotium. Et sic dicitur in (*Ps.* 68.) *Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos qui invocant nomen ejus.* Item contra illud quod dicit gloss. quod non erat de tribu Levitica : quia (1 *Par.* 6.) Helcana, qui fuit pater ejus, et ipse numeratur inter filios Levi. Respondeo: dicendum est, quod Samuel quantum ad aliquid, fuit de tribu Juda, et hoc quantum ad matrem, sed quantum ad patrem de tribu Levi, non tamen de Aaron : sed quantum ad locum, fuit de monte Ephraim. Licet enim undecim tribus habuerint certas provincias, non tamen tribus Levi : sed inter ipsas accepit possessionem, et sic habitabat in monte Ephraim.

Deinde cum dicit : *In quo enim, etc.* manifestat quod dixit et primo quod sacerdotium sit translatum : secundo hoc exponit, ibi : *Manifestum est enim.* Dicit ergo, dictum est, quod translatum est sacerdotium : quia ille cui dixit Propheta, *Tu es sacerdos*, est de alia tribu, sc. de Juda, non de Levi : sicut patet (*Mat.* 1.) *De qua* tribu, *Nullus præsto fuit altari*, id est, altaris ministerio, sc. de Juda. Sed contra : Rex Ozias ingressus est templum, ut poneret incensum, (2 *Para.* 26.) Respondeo : dicendum est, quod licite nullus præsto fuit altari, vel etiam nullus impune. Ipse enim Ozias graviter fuit punitus, quia usque ad mortem fuit leprosus. Et si dicas contra illud quod dicitur, nullus, quod beata virgo fuit de tribu et stirpe Aaron, quia erat cognata Elisabeth, quæ fuit de filiabus Aaron. (*Luc.* 1.) Respondeo: dicendum est, quod inter stirpes, sacerdotalis et regia erant præclariores, unde et frequenter conjunctæ fuerunt per matrimonium, sicut patet de primo summo sacerdote, qui accepit uxorem filiam Aminadab sororem Naason, qui fuit dux in tribu Juda. (*Exod.* 6.) Et etiam (4 *Reg.* 11. et 2 *Par.* 22.) *Joiada sacerdos duxit in uxorem Josabeth filiam regis Joram :* Unde potuit esse, quod aliqua parte Elisabeth esset de tribu Juda.

Deinde cum dicit : *Manifestum est*, exponit, quod dixit, dicens, quod *Manifestum est*, quod Dominus ortus est de tribu Juda. (*Matth.* 1. *Apoc.* 5.) *Vicit leo de tribu Juda, etc.* De qua nihil, etc. Lex enim mandavit nullum assumi ad ministerium tabernaculi, nisi tantum de tribu Levi, unde in tribu Juda nihil de sacerdotibus locutus est Moyses.

Deinde cum dicit : *Et amplius adhuc, etc.* Quia superius posuit unam rationem ad probandum, quod sacerdotium Christi præfertur Levitico, et ipsum evacuat, et ideo hic ponit aliam, in qua ostendit rationem evacuationis, et transmutationis illius : et utitur quadam conditionali : in qua primo ponit duo antecedentia : secundo duo consequentia, ibi : *Reprobatio.* Circa primum duo facit : quia primo ponit illa antecedentia : secundo manifestat, quod dixit, ibi : *Contestatur enim.* Ratio sua talis. Si novus sacerdos surgit, hoc non erit secundum legem carnalis mandati, sed secundum legem vitæ æternæ et insolubilis. Et hujus ratio est quia primus fuit secundum legem illam, oportet ergo, quod novus sit secundnm aliam legem, si tamen surgit aliquis novus. Sed dicendum est, quod surgit alius novus. In majori ergo sunt duo, quorum unum pertinet ad vetus testamentum, sc. quod est mandatum carnale, et hoc quia habebat quasdam observantias carnales, sicut circumcisionem, et purificationes carnales. Item quia promittebat pœnas et

præmia carnalia. (*Is.* 1.) *Si volueritis et audieritis me, bona terræ comedetis.* (*Infra.* 9.) *Justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Et istud antecedens ponit, cum dicit : Amplius manifestum est, etc. Et patet, quod pertinet ad novum testamentum, quod non dispensatur per carnalia, sed consistit in spiritualibus. Est enim, secundum spiritualem virtutem, per quam generatur in nobis vita perpetua. Et hoc quia promittuntur in ipso bona et pœnæ perpetuæ. (*Infra* 9.) *Christus assistens pontifex, etc.* (*Matth.* 25.) *Tunc ibunt hi in supplicium æternum, justi vero in vitam æternam.* Item non consistit in carnalibus observantiis, sed in spiritualibus. (*Joan.* 6.) *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.* Et dicit : quod est secundum virtutem vitæ insolubilis.

Consequenter cum dicit : *Contestatur enim, etc.* manifestat quod dixerat, et facit vim in hoc, quod dicit : In æternum, quia si sacerdotium est æternum, manifestum est, quod dicit perpetuitatem.

Deinde cum dicit : *Reprobatio quidem fit, etc.* ponit duo consequentia. Et primo de evacuatione veteris testamenti. Secundo de institutione novi, ibi : *Introductio vero.* Primum est quod vetus testamentum fuit per legem carnalis mandati, et introducitur aliud, ergo primum mutatur. Et hoc est, quod dicit, quod fit prioris mandati reprobatio. Sed contra : Non reprobatur nisi malum. (*Is.* 11.) *Ut sciat reprobare malum.* Illud autem mandatum non est malum. (*Rom.* 7.) *Lex quidem sancta, et mandatum sanctum, et justum et bonum.* Respondeo : dicendum est, quod non erat malum secundum se, sed ut inconveniens tempori. Non enim servanda sunt in novo sacerdotio, quæ fuerunt in antiquo. (*Ps.* 39.) *Holocaustum et pro peccato non postulasti, tunc dixi, ecce venio.* Et ideo dicitur, quod illud reprobatur, et hoc propter infirmitatem et inutilitatem. Illud autem dicitur infirmum, quod non potest exequi effectum suum: proprius autem effectus legis et sacerdotii est justificare. Hoc autem non lex potuit facere. (*Rom.* 8.) Nam quod erat impossibile legi, in quo infirmabatur secundum carnem. (*Gal.* 4.) *Quomodo convertimini iterum ad infirma et egena elementa, quibus denuo vultis servire.* Item inutile dicitur, quod non valet ad finem consequendum. Hoc autem non potest lex, quia non adducebat ad beatitudinem, quæ finis est hominis. Sed tamen suo tempore fuit utilis, inquantum disponebat ad fidem. (*Infra* 11.) *Juxta fidem omnes defuncti sunt, non acceptis repromissionibus.* Quare autem sit infirmum et inutile, ostendit cum dicit : Nil enim ad perfectum, nec sc. justitiæ, nec patriæ adduxit. Unde erat imperfecta, sed perfecta fuit per Christum.

Consequenter cum dicit : *Introductio vero,* ponit consequens secundum ex secundo antecedente, dicens: *Introductio vero melioris spei,* supple fit per novum sacerdotem. *Per quam proximamus ad Deum.* Si enim novus surgit, est secundum virtutem vitæ indissolubilis, hoc est antecedens et introductio melioris, etc. Et hoc est consequens. (1 *Pet.* 1.) *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu.* Item per ipsum proximamus Deo. Per peccatum enim disjungimur ab ipso. (*Is.* 59.) *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et Deum vestrum, et peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Hic est ergo ille, qui hoc removet, quod facit nos approximare Deo, hic autem est ille novus sacer-

dos, sc. Christus, qui tollit peccata mundi. (*Joan.* 1. *Rom.* 5.) *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem accessum habemus in gratiam istam.*

LECTIO 4.

Probat sacerdotium Christi præferri Levitico, ex juramento Dei, et æternitate durationis.

20. *Et quantum est non sine jurejurando (alii quidem, sine jurejurando sacerdotes facti sunt :*
21. *Hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum, juravit Dominus, et non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum).*
22. *Intantum melioris testamenti sponsor factus est Jesus.*
23. *Et alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere :*
24. *Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium.*
25. *Unde et salvare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum : semper vivens ad interpellandum pro nobis.*
26. *Talis enim decebat, ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior cœlis factus.*
27. *Qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel, se offerendo.*
28. *Lex enim constituit homines sacerdotes infirmitatem habentes : sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.*

Supra Apostolns ex una parte auctoritatis psalmistæ probavit, quod sacerdotium Christi præfertur Levitico, et ipsum evacuat : hic idem probat ex aliis duabus partibus : et primo ex hoc, quod dicit : Juravit Dominus. Secundo ex hoc, quod dicit : Tu es sacerdos, ibi : *Et alii quidem plures, etc.* Facit autem primo talem rationem. Illud quod instituitur sine juramento, minus validum est, quam quod instituitur cum juramento : sacerdotium autem Christi institutum est cum juramento, sicut patet : quia dicit Juravit, Dominus. Sacerdotium vero Aarón, non: sicut patet (*Exod.* 28.) *Applica ad te Aaron, etc.* Ergo, etc. Quantum ad majorem dicit : *Et quantum est,* supple, quod *Non sine jurejurando, alii quidem sine jurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem, etc.* Omnia ista ponuntur ad probandum, quod sacerdotium Christi sit firmius, quia supradictum est, omnis promissio facta in veteri testamento per juramentum, signum est consilii divini immobilis. Et ideo, quia ad David, et ad Abraham facta fuit ista promissio de Christo cum juramento specialiter dicitur Christus filius ipsorum. (*Mar.* 1.) Istud autem juramentum designat æternitatem potestatis Christi. (*Dan.* 7.) *Potestas ejus, potestas æterna.* (*Luc.* 1.) *Et regni ejus non erit finis.—Intantum melioris, etc.* quia sacerdotium est firmius, quod patet, quia per juramentum ordinatum est : ideo oportet aliquid melius et firmius per ipsum haberi. Unde potest legi præcedens littera suspensive usque huc : quod inquantum est non sine juramento, intantum melioris, etc. Sciendum est autem quod sacerdos est medius inter Deum et populum. (*Deut.* 5.(*Ego medius et sequester fui.* Et ideo, quia sequester est me-

diator : sacerdos debet Deum et populum ad concordiam reducere. Et hoc fit, quasi per pactum de bonis temporalibus, in quibus non conquiescebat affectus nisi carnalium, secundum illud (*Ps.* 15.) *Quid enim mihi est in cœlo, etc.* Et ideo oportuit, ut superveniret alius sacerdos, qui esset sponsor, id est promissor melioris testamenti, et melioris pacti, quia de bonis spiritualibus et stabilibus. Et hic est Jesus. (*Jer.* 31.) *Feriam domui Juda fœdus novum, non secundum pactum quod pepigi, etc.* (*Matth.* 4.) *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*

Deinde cum dicit : *Et alii quidem plures, etc.* utitur alia clausula posita in auctoritate, Tu es sacerdos in æternum. Et circa hoc facit duo. Primo enim ostendit quare hæc clausula in æternum apponitur. Secundo ex hoc ostendit sacerdotium Christi esse majoris efficaciæ, quam sacerdotium veteris testamenti, ibi : *Unde et salvare.* Ostendit autem, quod iste sit verus sacerdos, quia alii prohibebantur morte permanere , quia omnes necessitatem habebant moriendi. Unde Aaron mortuo, successit Eleazar : sicut patet (*Num.* 20.) Et sic deinceps. Sicut autem videmus in naturalibus, quæ sunt signa spiritualium, quod incorruptibilia non multiplicantur sub eadem specie. Unde non est nisi unus sol, ita in spiritualibus in veteri testamento, quod fuit imperfectum multiplicati fuerunt sacerdotes. Et hoc fuit signum quod illud sacerdotium erat corruptibile, quia incorruptibilia non multiplicantur eadem specie, ut dictum est, sed iste sacerdos, sc. Christus est immortalis. Manet enim in æternum , sicut verbum patris æternum, ex cujus æternitate redundat etiam æternitas in corpus ejus, quia Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. (*Rom.* 7.) Et idcirco, *Ex eo quod manet in æternum, habet sacerdotium sempiternum.* Et ideo solus Christus est verus sacerdos, alii autem ministri ejus. (1 *Cor.* 4.) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.*

Deinde cum dicit : *Unde et salvare, etc.*, ostendit efficaciam ejus. Et circa hoc duo facit, quia primo ostendit efficaciam ejus, secundo modum ipsius efficaciæ, ibi : *Accedens, etc.* Efficacia ejus est, quia causa est semper potentior suo effectu, et ideo causa temporalis non potest producere effectum æternum. Sacerdotium vero Christi est æternum , non autem Leviticum, ut est probatum. Ergo Christus *Potest salvare in perpetuum.* Hoc autem non posset fieri, nisi haberet virtutem divinam. (*Is.* 45.) *Salvatus est Israel in Domino salute æterna.* Modus autem est, quia *accedens, etc.* Et describit istum modum a tribus, sc. ab excellentia virtutis, naturæ et pietatis. Virtutis quidem, quia *Accedit per semetipsum.* Sed contra : Accedens ad aliquem distat ab ipso, Christus autem non distat a Deo. Respondeo : dicendum est, quod Apostolus in verbis istis ostendit duplicem naturam, sc. humanam : secundum quam convenit ei accedere, quia in ipsa distat a Deo, non autem accedit a statu culpæ ad statum gratiæ : sed per contemplationem intellectus, et affectus, et adeptionem gloriæ. Et naturam divinam, per hoc quod dicit eum per semetipsum accedere ad Deum. Si enim esset purus homo, non posset per se accedere. (*Joan. sexto.*) *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.* Et ideo cum Apostolus dicit, quod per semetipsum accedit, ostendit virtutem ejus. (*Is.* 63.) *Gradiens in multitudine forti-*

tudinis suæ. Ergo accedit, inquantum homo, sed per semetipsum inquantum Deus. Excellentiam vero naturæ ostendit, inquantum dicit : *Semper vivens*. Aliter enim sacerdotium ejus finiretur. (*Apoc.* 1.) *Fui mortuus, et ecce sum vivens in secula seculorum*. Excellentiam pietatis ostendit, quia dicit : *Ad interpellandum pro nobis*, quia licet sit ita potens ita altus : tamen cum hoc est pius, quia interpellat pro nobis. (1 *Cor.* 2.) *Advocatum habemus apud patrem Jesum Christum, etc.* Interpellat autem pro nobis, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repræsentando. Item sanctissimæ animæ suæ desiderium, quod de salute nostra habuit exprimendo, cum quo interpellat pro nobis. Alia litera habet, accedentes per ipsum, et tunc designantur illi quos salvat, quia accedentes per fidem ejus ad Deum. (*Rom.* 5.) *Justificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum Jesum Christum, per quem accessum habemus*.

Deinde cum dicit : *Talis enim decebat, etc.* ostendit ex excellentia Christi, excellentiam ejus sacerdotii. Et circa hoc facit duo. Primo enim ostendit, quod ei conveniunt perfectiones conditionum, quæ requirebantur ad sacerdotium veteris legis. Secundo ostendit, quod sibi desunt imperfectiones ejus, ibi: *Qui non habet necessitatem*. Ponit autem quatuor conditiones de ipso, quæ debent esse in sacerdote legali. Primo quod sit sanctus. (*Lev.* 21.) Incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt. Hanc autem perfecte habuit Christus. Sanctitas enim importat puritatem consecratam Deo. Christus autem a principio conceptionis suæ Deo consecratus fuit. (*Luc.* 1.) Quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur, (*Matth.* 1.) Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. (*Dan.* 9.) *Ungatur sanctus sanctorum*. Secundo quod sit innocens. (*Lev.* 22.) *Custodiant præcepta mea, ut non subjaceant peccato*. Proprie autem dicitur innocentia, puritas ad proximum. (*Ps.* 23.) *Innocens manibus, etc.* Christus autem summe innocens fuit, utpote qui peccatum non fecit. (*Ps.* 25.) *Ego in innocentia mea ingressus sum*. Tertio quod esset impollutus, et hoc quo ad se. (*Lev.* 21.) *Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non offerat panes Dei sui*. De Christo autem dicitur in figura (*Exod.* 12.) *Erit autem agnus sine macula, etc.* Quarto quod non commisceretur cum coinquinatis. (*Lev.* 21.) *Non commisceat stirpem generis sui, vulgo gentis suæ*. Christus autem fuit perfectissime a peccatoribus segregatus. (*Ps.* 1.) *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, etc.* Quod quidem verum est quantum ad similitudinem vitæ. (*Sap.* 2.) *Dissimilis est aliis vita illius*. Non tamen quantum ad conversationem, quia cum hominibus conversatus est. (*Bar.* 3.) Et hoc propter illorum conversationem. (*Matth.* 9.) Quare cum peccatoribus manducat magister vester? Et intantum segregatus est, quod etiam *Factus est excellentior cœlis*, id est, super omnem cælestem creaturam, sublimata est humana natura in ipso. (*Sup.* 3.) *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis, etc.* Ergo iste est sacerdos valde sufficiens.

Consequenter cum dicit : *Qui non habet, etc.* removet ab eo, quod erat imperfectionis in sacerdote legali. Hoc autem erat, quia ille indigebat sacrificio expiationis : ut patet (*Lev.* 16.) *Immolabit vitulum pro se, et hircum pro populo*. Ergo orabat pro se. Item non tantum semel orabat pro se, sed frequenter. Et hujus ratio est, quia

Lex instituit homines sacerdotes habentes infirmitatem. (*Sap.* 9.) *Homo infirmus et exigui temporis, etc.* Sed sermo divinus, qui post legem est, interposito jurejurando constituit filium, qui nullam de istis imperfectionibus habet, sed omnino perfectum, in æternum sc. sacerdotem duraturum. Non enim obtulit pro peccatis suis, sed tantum pro nostris. (*Is.* 54.) *Vulneratus est propter iniquitates nostras.* Item nec frequenter pro nobis, sed tantum semel. (1 *Pet.* 4.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Unica enim ejus oblatio sufficit ad exhaurienda peccata totius generis humani.

CAPUT VIII.

Ostendit idem quod supra, ex eo quod Christus non fuit minister legalium.

1. *Capitulum autem super ea, quæ dicuntur, Talem habemus pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis.*
2. *Sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Deus, et non homo.*
3. *Omnis enim pontifex, ad offerendum munera et hostias constituitur. Unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat.*
4. *Si ergo esset super terram, nec esset sacerdos: cum essent sacerdotes, qui offerrent secundum legem munera.*
5. *Qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium: sicut responsum est Moysi, cum consummaret tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum est in monte.*

Supra probavit Apostolus excellentiam sacerdotii Christi ad sacerdotium Leviticum ex parte personæ : hic probat idem ex parte ipsius sacerdotii. Et circa hoc facit duo. Primo enim ostendit sacerdotium Christi esse excellentius sacerdotio veteris legis et primo hoc in generali : secundo in speciali, ibi : *Habuit quidem et prius,* sc. 9 cap. Prima in duas. Primo enim ponit intentum : secundo manifestat propositum suum, ibi : *Omnis enim pontifex.* Circa primum duo facit : quia primo ponit modum tradendi : secundo præmittit quæ debent dicere, ibi : *Talem habemus pontificem, etc.* Dicit ergo : *Capitulum, etc.* Capitulum est brevis complexio continens multa. Et dicitur a capite, quia sicut in capite virtute et quasi summarie continentur omnia quæ sunt in corpore, sic in capitulo illa, quæ dicenda sunt. Ergo dicemus in quodam capitulo, et quasi in quadam summa. *Super ea quæ dicuntur, ly* super, potest dicere appositum, et tunc erit sensus. Quæ summarie dicenda sunt superapponentur præmissis. Vel potest designare excessum, et tunc est sensus: Ea quæ dicenda sunt in summa, et capitulo sunt majora.

Deinde cum dicit : *Talem habemus pontificem, etc.* Præmittit, quæ debet dicere. Et primo dignitatem hujus sacerdotii : secundo officium ejus, ibi : *Sanctorum minister.* Dignitas ejus est, quia *Talem habemus pontificem, qui consedit ad dexteram sedis magnitudinis in excelsis.* Sedes est judiciaria potestas, quæ aliquibus convenit tanquam ministris Dei, sicut omnibus regibus, quia adorabunt eum omnes reges terræ : ut dicitur in (*Ps.* 71.) Et omnibus prælatis. (1 *Cor.* 4.) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi.* Sedes ergo magnitudinis est excellentissima potestas judicandi. Item pars

dextera est potentior in animali, et significat bona spiritualia. Quia ergo Christus habet judiciariam potestatem, dicitur sedere. Pater enim omne judicium dedit filio. (*Joan.* 5.) Quia vero post Deum habet hoc, excellentissime, sedet in dextera magnitudinis in excelsis, id est, in potioribus bonis. (*Sup.* 1.) *Sedet ad dexteram majestatis in excelsis.* Hoc autem quod dicitur consedere, vel consedet, potest referri ad Christum, secundum quod est Deus, et sic consedet, quia habet eandem auctoritatem judicandi, quam habet pater, sed distinctus est in persona. Et sic. *ly* magnitudinis, accipitur pro persona patris. Vel secundum, quod homo, et hoc magis proprie ad intentionem Apostoli, quia loquitur de pontificatu Christi, qui est pontifex inquantum homo. Et sic consedet, quia humanitas assumpta habet quandam associationem ad deitatem, et consedet ad judicandum. *Ps.* 8.) *Elevata est magnificentia tua super cœlos.* (*Joan.* 5.) *Potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est.* Et sic apparet dignitas sacerdotis.

Consequenter cum dicit : *Sanctorum minister*, ostendit dignitatem officii ejus. Dicitur autem *Minister sanctorum*, id est, sanctarum ædium, sc. sanctuariorum. Ministri enim antiqui accipiebant ministerium, ut custodirent sacra, et servirent tabernaculo. Hoc autem excellentius habet Christus, qui est minister, non quidem inquantum Deus, quia sic est auctor, sed inquantum homo. (*Luc.* 12.) *Transiens ministrabit illis.* Humanitas enim Christi est, sicut organum divinitatis. Est ergo minister sanctorum, quia ministrat sacramenta gratiæ in præsenti, et gloriæ in futuro. Item, *Est minister tabernaculi veri*, quod est, vel ejus ecclesia militans. (*Ps.* 83.) *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum.* Vel triumphans. (*Is.* 33.) *Tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit.* (*Ps.* 14.) *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, etc.* Homo autem Christus minister est, quia omnia bona gloriæ per ipsum dispensantur. Dicit autem *Veri*, propter duo. Primo propter differentiam ad vetus, quod erat figurale istius, 1 Cor. 10. Omnia in figura illis contingebant. Istud autem est veritas istius. Est ergo verum, id est, veritatem continens respectu figuræ. Secundo quia illud factum est per hominem : istud autem, sc. vel gratiæ, vel gloriæ est a solo Deo. (*Ps.* 83.) *Gratiam et gloriam dabit Dominus.* (*Rom.* 6.) *Gratia Dei, vita æterna.* Et ideo dicit : *Quod fixit Deus, etc.* (2 *Cor.* 5.) *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quia ex Deo habemus domum non manufactam æternam in cœlis.*

Deinde cum dicit : *Omnis enim pontifex, etc.* explicat in speciali. Et circa hoc facit tria. Primo enim ostendit Christum esse ministrum aliquorum sanctorum. Secundo quod non veteris legis, ibi : *Si ergo esset.* Tertio quod aliquorum majorum, ibi : *Nunc autem melius.* Facit autem primo talem rationem: Omnis pontifex ad hoc constituitur, ut offerat munera et hostias, et secundum hoc dicitur, Minister sanctorum. Christus autem est pontifex, ut supra probatum est. Ergo necesse est ipsum habere aliqua, quæ offerat, sup. 5. Omnis pontifex ex hominibus assumptus, etc. Hostia est de animalibus, munera de quocumque alio. (*Lev.* 21.) *Incensum et panes Dei sui offerunt.* Quia vero necesse fuit Christum habere quod offerret, ipse seipsum obtulit. Fuit autem talis oblatio munda, quia caro ejus nullam

lam peccati habuit. (*Exod.* 12.) *agnus sine macula, masculus ulus.* Item fuit congrua, quia uum est, quod homo pro homine aciat. (*Inf.* 9.) *Obtulit semetipsum culatum Deo.* Item apta ad imidum, quia caro ejus mortalis (*Rom.* 8.) *Mittens Deus filium in similitudinem carnis peccati.* est idem ei cui offertur. (*Joan.* 20.) *t pater unum sumus.* Item unit los pro quibus offertur. (*Joan.* 17.) *mes unum sint, sicut tu pater, et ego in te, ut et ipsi in nobis sint.*

inde cum dicit : *Si ergo esset,* dit quod Christus non est mi- legalium. Et circa hoc facit tria: primo inducit quandam conseiam : secundo ostendit ipsam iem, ibi : *Cum essent.* Tertio it eam per auctoritatem, ibi : *responsum est Moysi.* Consequenro talis est : *Ergo si esset super m,* hoc est antecedens. *Nec esset dos,* et hoc est consequens. Unde quentia est una conditionalis. ;itur multis modis. Primo sic, t secundum Gloss. nec ponitur ominativus : et ideo sic intelli- Si enim illud quod offertur esset terram, etc. quod dupliciter igitur. Uno modo, ut sit sensus. id quod offertur esset aliquod ium, Christus non esset sacerdos, dicat : Nulla necessitas esset dotii ejus : quia multi essent qui offerrent. Sed nunquid caro Chrisrena non erat? Respondeo : diim est quod materialiter est ia. (*Job.* 9.) *Terra data est in s impii.* Sed dicitur non esse ia : primo ratione unionis. (*Joan.* *ui de cœlo venit, super omnes est,* t, filius Dei qui illam sibi univit. ratione virtutis activæ, sc. Spiritus Sancti, qui eam formavit. Item ratione fructus : quia oblatio ejus non ordinatur ad consequendum aliquid terrenum, sed cæleste. (*Joan.* 3.) *Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo*: hæc est prima expositio et melior. Secunda talis est. Etsi, id est, quamvis illud quod offertur, esset super terram, quia necessarium est aliquid offerri, non esset sacerdos, sed alius idoneus : quia nullus posset idoneus inveniri ad offerendum istud. Tres sunt aliæ lecturæ, in quibus subintelligitur offerens : et primo in generali, ut sensus sit. Si esset aliquis sacerdos terrenus, qui posset offerre pro cælestibus, Christus non esset sacerdos. Alia est de Christo specialiter, sic : Si Christus esset sacerdos terrenus, non competeret ei jus sacerdotii, cum essent qui secundum legem offerrent munera. Aliter sic : Si Christus adhuc esset super terram, ita sc. quod nondum ascendisset, non esset sacerdos, quia non complevisset sacerdotium suum. Sed secundum primam expositionem continuatur littera sic : et probat, quia multi essent, qui secundum legem offerrent talia munera, sc. illi, qui deserviunt exemplari et umbræ cælestium. Sacramenta legalia fuerunt figura aliorum, quantum ad duo, sc. quantum ad cognitionem, et quantum ad rerum expletionem. Quantum ad cognitionem, cum dicit : *Exemplari,* quia in veteri lege, quasi in quodam exemplari poterat legi id, ad quod nostra cognitio debet ferri. Sed videtur, quod loquatur improprie. Exemplar enim prius est exemplato, quod proprie dicitur exemplum. Sed cælestia sunt priora, nec facta sunt ad similitudinem veteris legis, sed magis e converso? Respondeo : dicendum est, quod prius dicitur dupliciter. Uno modo simpli-

citer, et sic procedit objectio. Vel quo ad nos, et sic verum est quod illa non sunt priora. Quantum ad secundum, dicit : *Umbræ*, quia sicut umbra repræsentat corpus : nec tamen illud attingit, ita et illa repræsentabant novum testamentum. (*Inf.* 10.) *Umbram habens lex futurorum, etc.*

Consequenter probat per auctoritatem, rationabilitatem consequentiæ, cum dicit : *Sicut responsum est Moysi*, sc. a Domino. (*Exod.* 25.) *Vide*, sc. diligenter considerando. *Et facito omnia secundum exemplar, etc.* Quia naturaliter inferiora tendunt in similitudinem superiorum. Dominus enim per sensibilia, voluit nos ad intelligibilia et spiritualia manuduci. (*Job.* 38.) *Nunquid nosti ordinem cœli, et pones rationem ejus in terra, etc.*

LECTIO 2.

Manifestat Christum fuisse ministrum meliorum, quam legalium, adduntur que conditiones novi testamenti.

6. *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.*
7. *Nam si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.*
8. *Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Juda testamentum novum.*
9. *Non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus.*
10. *Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mente eorum, et in corde eorum superscribam eas.*

Supra Apostolus probavit Christum esse pontificem, et per consequens ministrum sacramentorum, non tamen secundum veterem legem : hic ostendit ipsum esse ministrum majorum et meliorum, quam illa fuerint. Et circa hoc facit tria. Primo enim præmittit intentum : secundo assignat causam ejus : tertio probat secundum, ibi : *Quanto et melioris*. Tertium, ibi: *Nam si illud*. Dicit ergo : Dico quod non habet aliquid terrenum offerre. *Sed nunc*, id est, tempore gratiæ. *Sortitus est*, id est, sorte accepit, *Melius ministerium*, id est, dignius sacerdotium. Dicitur sacerdotium Christi ministerium, quia non competit nisi inquantum homo fuit minister. (*Rom.* 15.) Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse, etc. Dicit autem sortitus est, id est, sorte accepit, quia illud quod habetur per sortem expectatur a Domino. (*Ps.* 30.) *In manibus tuis sortes meæ.* Et ideo omnia, quæ fiunt secundum distributionem divini arbitrii, dicuntur sorte dari, et talia sunt effectus gratiæ. (*Eph.* 1.) *Sorte vocati sumus*, id est, divina electione, quia quando contingit deficere judicium humanum, solent se homines conferre ad electionem et dispositionem divinam, mittentes sortem, sicut patet (*Act.* 1.) de electione Matthiæ. Unde (*Prov.* 16.) *Sortes mittuntur in sinum*, sed a Domino temperantur. Christus quidem istud ministerium, sorte, id est, dispositione divina, consecutus est.

nde cum dicit : *Quanto et me-*
, *etc.* assignat causam quare
terium hoc majus est. Omnis
sacerdos mediator est. Iste au-
nediator est melioris fœderis, sc.
iis ad Deum. Mediatoris enim
ctrema conciliare. Iste vero ad
divina attulit : quia per ipsum
sumus divinæ consortes naturæ,
itur (2 *Pet.* 1.) Ipse etiam nostra
Deo. Et ideo dicit Apostolus :
m. 2.) *Mediator Dei et hominum*
Christus Jesus. Ibi promittebam-
mporalia. (*Is.* 1.) *Si volueritis*
lieritis me, bona terræ comedetis.
utem cælestia, sicut supra dic-
est. Sic ergo istud melius est
um ad id, quod Dominus homi-
promittit. Item in illo dicuntur
am, quæ pertinent ad cultum
it ista sunt ceremonialia : quædam
quæ ad rectitudinem vitæ, et
unt præcepta moralia, quæ ma-
alia vero, non. In novo autem
itur consilia illis præceptis, quæ
r perfectis, qui sunt capaces
ualium. Et sic manent præcepta
i, sed promissa diversa. Item
nenta sunt diversa : quia ibi
igura tantum, hic autem figuræ
is expressa. Per omnia ergo tes-
itum illud est melius.

nde cum dicit : *Nam si illud, etc.*
t quod illud testamentum, cujus
tus mediator est, melius est : et
alem rationem : Si primum tes-
itum non habuisset culpam, non
eretur aliud ad corrigendum de-
n ipsius, sed quæritur, ergo,
Antecedens ponitur, et patet in
i. Sed contra (*Rom.* 7.) Lex ergo
tum est? Absit. Ergo male dicit,
non vacabat a culpa. Respondeo:
dum est quod aliquid potest
nire legi dupliciter. Vel secun-
se, et sic erat bona, vel ratione
illorum quibus data est, et sic dicitur
habere culpam propter duo. Primo
quia non dabat virtutem ad purgan-
dum commissa. (*Inf.* 10.) *Impossibile*
est sanguine taurorum aut hircorum
auferri peccata. Secundo, quia non
dabat gratiam adjutricem ad vitandum
peccata, sed ad cognoscendum tantum:
et sic erat occasio peccati. (*Rom.* 7.)
Concupiscentiam nesciebam, nisi lex
diceret : Non concupisces, et sic dici-
tur non vacasse a culpa, quia homines
in ipsa relinquebantur in culpa. Sed
dicit : *Non inquireretur locus.* Sicut
enim corpus nunquam perfecte quies-
cit, sed semper movetur, quousque
pertingat ad locum suum : sic quam-
diu habetur aliquid imperfecte, non
quiescit desiderium, sed semper tendit
ultra, usque dum veniet ad perfectum.
Inquirebatur ergo locus istius ab
homine qui desiderabat, sed magis a
Deo, qui propter nostræ salutis desi-
derium dicitur inquirere.

Deinde cum dicit : *Vituperans enim,*
etc. probat veritatem consequentis,
sc. quod inquiritur locus testamenti,
et hoc per auctoritatem (*Jer.* 31.)
Ecce venient dies, etc. Et circa hoc
facit duo. Primo enim præmittit auc-
toritatem. Secundo arguit ex ipsa, ibi :
Dicendo autem novum. Prima in duas.
Primo enim præmittit prophetiam de
novi testamenti datione. Secundo des-
cribit ipsum, ibi : *Non secundum tes-*
tamentum, etc. Iterum prima in tres.
Primo enim ostendit temporis dationis
opportunitatem. Secundo novi tes-
tamenti perfectionem, ibi : *Consum-*
mabo testamentum novum. Tertio qui-
bus datum fuit, ibi : *Super domum*
Juda. Dicit ergo : *Vituperans enim*
Dominus, non quidem legem, sed *Eos,*
qui sc. erant sub lege dicit : *Ecce dies*
veniunt, etc. Hæc est auctoritas, quæ
est (*Jer.* 31.) et non habetur omnino

sub istis verbis, sed mutantur pauca. Ibi enim dicitur sic : Ecce dies veniunt dicit Dominus, et feriam domui Israel, et domui Juda fœdus novum non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris in die qua extendi manum meam ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum. Sic ergo patet quod pacta mutantur. Dicit ergo quantum ad temporis opportunitatem. *Ecce dies veniunt*, id est, tempus gratiæ, quod comparatur diei, quod illuminatum est a sole justitiæ. (*Rom.* 13.) *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Quantum ad perfectionem novi testamenti, dicit : *Consummabo novum testamentum.* Et dicit : consummabo, quod sonat ad perfectionem. (*Apoc.* 21.) *Ecce nova facio omnia.* Istud autem verbum, Consummabo, non habetur ibi, sed utitur eo Apostolus ad designandum perfectionem novi testamenti. (*Is.* 10.) *Consummationem* et abbreviationem faciet Dominus super terram. Fuit enim novum testamentum perfectum quantum ad eruditionem vitæ, quæ non extenditur tantum ad generalem justitiæ eruditionem, sed ad perfectam. (*Matth.* 5.) *Nisi abundaverit justitia vestra, etc.* Item in veteri testamento erant tantum figuralia : in novo vero, veritas figurarum : et ita novum consummat, et perficit vetus. Quantum ad tertium dicit : *Super domum Israel, et Juda.* Sed nunquid datur tantum Judæis? Non. (*Rom.* 9.) *Non omnes, qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ.* Et sequitur : *Non qui filii carnis, hi sunt filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine.* Illi ergo qui sortiti sunt gratiam Dei, sunt Israel per fidem, et Juda per confessionem. (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam, etc.* Dicitur autem : *Super domum, etc.* triplici ratione. Una, quia Christus in propria persona prædicavit Judæis, non Gentibus. (*Matth.* 15.) *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel.* Secunda, quia Gentiles facti sunt participes novi testamenti, sicut oleaster insertus in bonam olivam participat pinguedinem ejus. (*Rom.* 11.) Alia, quia tempore Roboam et Jeroboam divisus fuit regnum Juda, a regno decem tribuum, quæ quidem remanserunt in idololatria, sed regnum Juda magis adhæsit Deo, licet non ex toto. Et ideo utrosque tetigit.

Deinde cum dicit : *Non secundum testamentum*, describit novum testamentum : et primo per differentiam ad vetus : secundo per proprias conditiones, ibi : *Quia hoc est testamentum.* Iterum prima in duas. Primo ostendit distinctionem novi et veteris testamenti. Secundo infirmitatem veteris, ibi : *In die in qua.* Posset enim aliquis dicere : Nunquid istud novum est isti simile? Ideo quasi respondens dicit : Non. *Quia non secundum id quod feci cum patribus eorum*, in quo ostendit quod non est servandum vetus cum novo. (*Gal.* 5.) *State et nolite iterum jugo servitutis contineri.* (*Matth.* 9.) *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, etc.* (*Rom.* 7.) *Serviamus in novitate spiritus, et non in vetustate litteræ.* Quia si aliquid inveniatur in veteri, quod gentibus indicatur ad servandum, referendum est ad intellectum spiritualem, sicut dicitur (*Is.* 19.) *Colent eum in hostiis et muneribus* : quod totum est spiritualiter intelligendum.

Deinde cum dicit : *In die qua apprehendi, etc.* ostendit defectum veteris testamenti. Et primo ex ejus traditione; secundo ex eventu, ibi : *Quoniam ipsi.* Vetus enim testamentum traditum

rvis et infirmis. Servis quidem, uandoque exierunt de servitute ti. Et quantum ad hoc dicit: *icerem illos, etc.* (*Gal.* 4.) *Unum i in servitutem generans, etc.* quia erat lex timoris servilis.

8.) *Non accepistis spiritum itis iterum in timore, etc.* Au- Brevis differentia veteris et novi enti, timor et amor. Item in- quia per se non poterant se . Et quantum ad hoc dicit: *hendi manum eorum,* quod est orum. (*Ps.* 72.) *Tenuisti manum um meam.* (*Rom.* 8.) Quod im- ile erat legi in quo infirmabatur. autem : *Patribus eorum,* sc. m, Isaac et Jacob, cum quibus edus speciale. (*Ps.* 104.) *Memor seculum testamenti sui verbi, andavit in mille generationes, isposuit ad Abraham, etc.* Sed i exitu de Ægypto promisit i.

de cum dicit : *Quoniam ipsi tc.* ostendit defectum veteris nti ex eventu, et primo quan- culpam : et ideo dicit : *Quoniam i permanserunt in testamento* ia sc. non erat scriptum in cordi- orum. Unde statim post legem fecerunt vitulum conflatilem. 32 *et Ps.* 105.) Fecerunt vitu- Oreb, et adoraverunt sculptile. itum ad pœnam. Ideo dicit : *eglexi eos.* Illud enim aliquis negligere, quod permittit pe- sic neglexit eos, quia permisit re ab exterminatore, ut dici- Cor. 10 *et Ps.* 118.) *Sprevisti iscedentes a judiciis tuis.* Alia *Et ego dominatus sum eorum,* puniendo ostendi me esse n ipsorum.

e cum dicit : *Quia hoc est tum, etc.* describit conditio- nes novi testamenti. Et circa hoc facit duo. Primo ponit modum editionis ejus. Secundo effectum ipsius, ibi : *Et ero eis in Deum.* Dicit ergo: *Quia hoc est,* id est, tale est, *Testamentum quod disponam domui Israel, etc.* dispositio importat congruitatem ordinis. Et ideo dicit : *Post dies illos,* id est, post legem datam. Debuit enim post legem veterem dari nova lex, sicut primo datur pædagogus postea magister, ut prius homo recognoscat infirmitatem suam. In hoc ergo patet congruitas temporis dandi novum testamentum. Modus autem tradendi duplex est. Unus per exteriora, sicut proponendo verba ad cognitionem alicujus. Et hoc potest homo facere, et sic traditum fuit vetus testamentum. Alio modo interius operando. Et hoc proprium est Dei. (*Job.* 32.) *Inspiratio omnipotentis dat intelligentiam.* Et hoc modo datum est novum testamentum, quia consistit in infusione Spiritus Sancti, qui interius instruit. Non autem sufficit tantum cognoscere, sed requiritur operari. Et ideo primo illuminat intellectum ad cognoscendum. Et ideo dicit : *Dabo leges meas, etc.* Et dicit in plurali, propter diversa præcepta et consilia. Et hoc facit Spiritus Sanctus. (1 *Joan.* 2.) *Unctio ejus docet vos.* (*Joan.* 14.) *Ille vos docebit omnia, etc.* Item ad bene operandum inclinat affectum, unde imprimitur cordi. Et quantum ad hoc dicit: *In corde eorum superscribam eas,* id est, super cognitionem scribam charitatem. Super omnia autem charitatem habete, etc. (*Colos.* 3 *et Rom.* 5.) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, etc.* Et hæc est epistola, de qua subdit (2 *Cor.* 3.) *Non atramento, sed spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

LECTIO 3.

Excellentiores novi testamenti effectus ponuntur, qui sunt, hominis ad Deum conjunctio, perfecta Dei cognitioet peccatorum remissio.

10. *Et ero illis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.*
11. *Et non docebit unusquisque proximum suum, et unusquisque fratrem suum, dicens : cognosce Dominum: quoniam omnes scient me a minore usque ad majorem.*
12. *Quia propitius ero iniquitatibus eorum : et peccatorum eorum jam non memorabor.*
13. *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.*

Supra posuit Apostolus conditiones novi testamenti ex editione ipsius, nunc ponit tres effectus ipsius. Primus est hominis ad Deum perfecta conjunctio. Secundus est Dei perfecta cognitio, ibi : *Et non docebit.* Tertius est peccatorum remissio, ibi : *Quia propitius ero.* Circa primum sciendum est, quod ad hoc quod homo jungatur Deo, requiritur auxilium divinæ gratiæ, quia ad hoc non potest propria virtute. (*Jer.* 31.) *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans.* Primo ergo tangitur illa conjunctio ex parte Dei. Secundo ex parte hominis, ibi : *Et ipsi erunt.* Dicit ergo : *Ero illis in Deum.* Nomen Dei significat universalem providentiam. Tunc ergo est nobis in Deum, quando habet curam de nobis et corda nostra ad se trahit, et hoc est respectu justorum specialiter. Ex hoc ergo quod ero eis in Deum, sequitur secundum, sc. quod *Ipsi erunt mihi in populum,* id est, exhibebunt se mihi in populum. Sicut enim dicit Aug. 2 de civit. Dei, c. 22. Populus est cœtus multitudinis, juris consensu et utilitatis communione sociatus. Quando ergo consentiunt in jus divinæ legis, ut sint adinvicem utiles et tendant in Deum, tunc est populus Dei.(*Apoc.*21.) *Ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.*

Deinde cum dicit : *Et non docebit, etc.* ponit secundum effectum novi testamenti. Et circa hoc duo facit. Primo enim ponit signum effectus ipsius, ibi : *Quia omnes, etc.* Signum perfectæ cognitionis est, quando quis non indiget doceri, quia doctrina est via ad acquisitionem scientiæ, et ideo cessat doctrina, acquisita perfecte scientia. Sed nunquid in novo testamento unus non docet alium? Et videtur quod non per litteram istam. Sed contra, quia Apostolus vocat se doctorem Gentium. (*Tit.* 2 *et Eph.* 4.) *Alios pastores, et doctores.* (*Rom.* 12.) *Sive qui docet in doctrina.* Respondeo: dicendum est quod hoc quod dicitur hic, potest dupliciter intelligi. Uno modo de præsenti statu, et sic non verificatur universaliter de omnibus, sed tantum de primis fundatoribus novi testamenti, sc. Apostolis, qui immediate fuerunt instructi a Deo, quando aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. (*Luc. ult.*) Apostoli ergo facti sunt perfecte cognoscentes, et non ab aliis instructi, sed simul a Christo acceperunt sapientiam infusam. Alio modo, quod referatur ad statum patriæ futurum, ad quam per novum testamentum introducimur, non per vetus. Et sic universaliter

verum est quod dicitur hic. Sed contra. Homines beati sunt æquales angelis, non majores, sed secundum Dionys. unus angelus docet alium illuminando ipsum, ergo et homo beatus alium docebit. Respondeo : dicendum est, quod duplex est cognitio in beatis angelis. Una, quæ beatos facit, sc. cognitio divinitatis, quæ sola beatos facit : sicut dicit August. in lib. confes. Beatus qui te novit, etc. Alia est, quæ est omnium, quæ sunt aliud a Deo, cujusmodi sunt effectus Dei, et ista non beatificant. Quantum ergo ad primam unus non docet alium : quia unus non beatificatur mediante alio, sed a Deo immediate. (*Ps.* 35.) *In lumine tuo videbimus lumen*: sed quantum ad aliam, quæ est aliquorum mysteriorum, unus docet alium. Et hoc forte usque ad finem mundi, quamdiu durat executio effectuum Dei, et ideo addit dicens : *Cognosce Dominum*, quasi dicat: Non accipit Dei cognitionem. Et dicit : *Proximum suum et fratrem suum*, quia etsi secundum August. omnes homines sint ex charitate diligendi, si tamen non possis omnibus prodesse, tamen illis specialiter debes prodesse, qui tibi conjunguntur. Vel naturaliter, sicut sunt consanguinei, quos hic vocat fratres. Vel alia conjunctione, et sic proximus est. *Omnes enim scient me a minimo usque ad majorem eorum.* Hæc est causa quare unus non docebit alium, quia omnes noscent Dominum. (1 *Joan.* 2.) *Videbimus eum sicuti est.* In hac vero visione consistit beatitudo. (*Joan.* 17.) *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, etc.* (*Jer.* 9.) *In hoc glorietur qui gloriatur, scire et nosse me.* Et hanc doctrinam habent beati, non ab aliquo alio, sed a solo Deo tantum. (*Is.* 54.) *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.* Illud autem, quod dicit a minimo potest dupliciter intelligi. Uno modo quod dicantur majores sancti antiquiores. Et sic major et minor dicuntur secundum ordinem temporis. Omnes ergo cognoscent, quia singuli accipient singulos denarios. (*Matth.* 20.) Vel hoc dicit ad ostendendum differentiam præmiorum, quia licet omnes cognoscant, tamen unus magis alio cognoscet. (*Matth.* 5.) *Qui fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Præmium enim correspondet merito, et hoc contra illos, qui dicunt pœnas et omnia merita esse æqualia, et per consequens præmia æqualia. Contra quos dicitur (1 *Cor.* 15.) *Stella differt a stella in claritate.*

Deinde cum dicit : *Quia propitius, etc.* ponit tertium effectum, qui est culpæ remissio, quod non poterat vetus testamentum. (*Infra* 10.) *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.* Dicit ergo: *Propitius ero.* Differunt autem iniquitas et peccatum, quia iniquitas opponitur justitiæ, quæ quidem proprie semper est ad alium. Ideo iniquitas dicitur, qua quis nocet alteri. (*Job.* 35.) *Homini qui similis tui est, nocebit iniquitas tua.* Peccatum autem dicitur omnis defectus actionis, quia importat deordinationem, et sic iniquitas proprie est in proximum, sed peccatum est in seipsum, et hoc proprie loquendo, large tamen idem est iniquitas et peccatum. Et quantum ad hoc dicit : *Quia propitius ero iniquitatibus eorum*, sc. in præsenti pœnam relaxando. *Nec memorabor peccatorum eorum*, sc. in futuro peccata puniendo. (*Ezech.* 18.) *Omnium iniquitatum ejus quas operatus est non recordabor.* (*Ps.* 78.) *Propitius esto peccatis nostris, etc.* Item : *ne memineris iniquitatum nostrarum, etc.* (*Rom.* 11.) *Sine pœnitentia enim*

sunt dona et vocatio Dei, etc. id est, Deus non pœnitet, quod hic peccata remiserit, quasi iterum puniendo. Deinde cum dicit : *Dicendo autem novum, etc.* quasi posita auctoritate arguit ex ipsa, et facit talem rationem. Novum non dicitur nisi in comparatione ad vetus, sed omne quod dicitur vetus significat quasi sit prope cessationem, ergo *Dicendo novum veteravit prius*, id est, dedit intelligere quod prius sit vetus. *Quod autem antiquatur et senescit prope interitum est.* Si ergo illud est vetus, abjiciendum est. (*Lev.* 26.) *Novis supervenientibus vetera projicietis.* Dicendo ergo novum, designat cessationem veteris. Proprie autem nihil antiquatur, nisi quod subjacet tempori, quæ autem subjacent tempori cessant in tempore. Oportet ergo illud vetus cessare. Dicit autem : *Antiquatur*, propter res inanimatas, sed *Senescit*, propter animatas. Sciendum tamen est, quod ubi habemus, peccatorum, alia littera habet, peccati, et tunc refertur ad peccatum originale quod omnibus est commune.

CAPUT IX.

Veteris testamenti conditio describitur, cujus imperfectio respectu novi monstratur.

1. *Habuit quidem et prius, justificationes culturæ, et sanctum seculare.*
2. *Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta.*
3. *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum.*
4. *Aureum habens thuribulum, et arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti.*
5. *Superque eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium, de quibus non est modo dicendum per singula.*

Supra ostendit Apostolus dignitatem novi testamenti respectu veteris in generali : hic ostendit idem in speciali, descendendo ad singula, quæ erant in utroque testamento. Et circa hoc facit duo. Primo enim comparat ea, quæ sunt veteris testamenti ad ea quæ sunt novi, ut super hoc ostendat dignitatem novi. Secundo manifestat quædam, quæ supposuerat, 10 cap. ibi : *Umbram enim habens.* Circa primum tria facit, quia primo exponit illud, quod fuit in veteri testamento. Secundo ostendit significatum suum, ibi : *Hoc significante spiritu.* Tertio ex his arguit ad propositum, ibi : *Et ideo novi testamenti.* Iterum prima in duas. Primo enim describit conditionem veteris testamenti. Secundo prosequitur, ibi : *Tabernaculum enim factum.* Circa primum sciendum est quod tam vetus quam novum testamentum ad hoc instituta sunt, ut per ipsa anima accedat ad Deum. Ad hoc autem duo sunt necessaria, sc. recessus a peccato, et unio ad Deum. Primum fit per justificationem. Secundum per sanctificationem, et in utroque testamento fit justificatio, et sanctificatio. Unde dicit, sic dictum est, quod prius veteravit. Sed quale fuit illud vetus. Tale quod *Habuit quidem et prius justificationes culturæ*, sc. latriæ secundum Græcum. In veteri enim fuerunt

quædam ablutiones per quas mundabantur, non quidem a macula peccati, sed a quibusdam irregularitatibus quibus impediebantur a cultu Dei, sicut ex tactu mortui vel alicujus immundi, non poterant intrare tabernaculum, nisi expiati per aliquas ablutiones. Et ideo dicebantur justificationes culturæ, quia sc. per ea fiebat idoneus ad cultum divinum. Et de hoc habetur (*Lev.* 22.) Hier. Justificationes, id est, ablutiones, quibus purificatis licebat accedere. Sed sanctificatio eorum erat. *Et sanctum seculare*. Seculum quandoque sumitur pro quacumque duratione. (*Ps.* 110.) *In seculum seculi*. Quandoque significat mundum istum. (1 *Tim.* 4.) *Demas me dereliquit diligens hoc seculum*. Illa ergo sanctificatio potest dici secularis, quia temporalis erat : et non perpetua. Sed littera græca non sic accipit, quia dicit sanctum mundanum. Unde est differentia inter novum testamentum et vetus, quia licet utrumque sit corporale, tamen novum continet gratiam, et sacrum est, in quo sub tegumento rerum visibilium divina virtus salutem secretius operatur, quod non erat in veteri testamento, quoniam in se nullam continebat gratiam. (*Gal.*3.) *Quomodo iterum convertimini ad infirma et egena elementa?*

Deinde cum dicit : *Tabernaculum, etc.*, exponit illud quod dixit. Et primo quantum ad dispositionem tabernaculi. Secundo quantum ad ministerium sacerdotum, ibi : *His vero ita, etc.* Circa primum propter intellectum litteræ, sciendum est quod Dominus in deserto præcepit fieri tabernaculum, quod haberet 30 cubitos vel passus in longitudine, et decem in latitudine, ita quod ostium erat ad orientem, ante quod dependebat velum super quatuor columnas, et quoddam tentorium, in quo erat altare holocaustorum, sed de hoc nihil ad propositum, quia apostolus de hoc non facit aliquam mentionem, sed in tabernaculo versus occidentem spacio decem cubitorum longitudinis, et decem latitudinis appendebatur velum super quatuor columnas : et istud dividebat partem unam decem cubitorum ab alia 20 cubitorum. Pars autem 20 cubitorum dicitur sancta, et tabernaculum primum, sed illa decem dicitur sancta sanctorum, et tabernaculum secundum. Ista distinctio dupliciter potest exponi. Uno modo, quia ea quæ fuerunt in veteri testamento, fuerunt figura novi testamenti. Novum etiam est figura cælestis patriæ. Sic ergo per primum tabernaculum, vetus testamentum : et per secundum, novum. Alio modo per primum tabernaculum, præsens ecclesia : per secundum, cælestis gloria. Inquantum ergo significat vetus testamentum, est figura figuræ, sed inquantum significat præsentem ecclesiam, quæ adhuc significat futuram gloriam, est figura veritatis, quantum ad utrumque. Circa hoc ergo duo facit, quia primo describit illud quod erat in primo. Secundo illud, quod erat in secundo, ibi : *Post velamentum*. In primo autem tria erant, sc. candelabrum aureum ad meridiem, quod ita erat factum. Ex uno enim longo hastili procedebant sex calami, quasi sex brachia, sc. tres a dextris, et tres a sinistris. Et sic in summitate erant septem rami et in quolibet erat una lucerna, quæ ardebat. Item in quolibet calamo erant quatuor, sc. calamus, qui erat ex tribus partibus quasi tribus petiis, sc. cyphi, spherulæ, et lilia : quia ibi duæ partes jungebantur. In fine cujuslibet partis erat quasi quidam cyphus, in quo duo cyphi junguntur in nucis modum, et duæ spherulæ volubiles, et

duo quasi folia lilii hinc et inde. Item in parte Aquilonari erat mensa aurea in modum altaris, super quam ponebantur in sabbato 12, panes calidi, et super quemlibet thus lucidum in patena aurea. Et stabant illi panes, qui dicebantur propositionis usque ad diem sabbati, ubi oportebat illos amoveri et reponebantur alii loco illorum. Item in medio erat altare aureum ad adolendum thymiana boni odoris, et hoc ad litteram, ne domus fœteret propter multitudinem immolaticii sanguinis. Per candelabrum autem quod illuminat, et per mensam designatur ad litteram, quod qui altari servit de altari vivat. Dicit ergo : *Tabernaculum prius*, id est, anterior pars tabernaculi. *Factum est, in quo erant candelabra*, quæ unum erat quantum ad substantiam, sed plura quantum ad ramos, et hoc ad meridiem. *Et mensa* ad Aquilonem. *Et propositio panum*, id est, panes propositionis per hypallagen, sicut perflavit fistulla buccas, et ista pars *Dicitur sancta*. De hoc habetur diffuse (*Exod.* 25, 26 *et* 27.)

Deinde cum dicit : *Post velamentum, etc.* describit ea, quæ erant in secundo tabernaculo, sc. *Arca testamenti*, de lignis sethin imputribilibus. *Circumtecta ex omni parte*, id est, tam intus quam extra, *Auro*. In arca autem erant tria, sc. *Urna aurea habens manna*, et hoc in memoriam illius beneficii eis præstiti. (*Exod.* 16.) *Et virga Aaron quæ fronduerat.* (*Num.* 17.) In memoriam sacerdotii Aaron ne alius extraneus præsumeret accedere. *Et tabulæ testamenti.* (*Exod.* 25.) In memoriam legis. Item super arcam duo Cherubin qui tangebant se duabus alis, et tangebant alis duabus latera tabernaculi. Inter duas autem alas quibus tangebant se, erat tabula aurea ejusdem longitudinis et latitudinis, et arca, sc. duorum cubitorum in longitudine, cubiti et semis in latitudine, et erat supereminens, quæ dicebatur propitiatorium. Unde erat quasi sedes de qua Deus exaudiret ad repropitiandum populo. (*Ps.* 79.) *Qui sedes super Cherubim, etc.* Arca vero erat quasi scabellum pedum. Illi duo Cherubim versis vultibus ad seipsos respiciebant in propitiatorium. Hic autem addit Apostolus quartum, sc., *Thuribulum aureum*, de quo dicunt aliqui, quod erat altare inter sancta, ut dictum est. In sancta quod erat exterius introibant sacerdotes omni die ad expletionem mysteriorum, sed in sancta sanctorum sacerdos summus semel in anno cum sanguine, et tunc implebat thuribulum illud thymiamate, ita quod ex fumo ascenderet nebula, quæ operiret sancta sanctorum ne posset videri ab his qui extra erant. Ista ergo sunt illa, quæ erant post velamentum, quod erat secundum, quod dicitur sancta sanctorum pro dignitate, sicut dicitur virgo virginum antonomastice, aureum habens thuribulum, et arca in qua erat urna, etc. super quam sc. arcam, non quod haberet super eam pedes, sed alas tantum : *Cherubim gloriæ*, id est, gloriose facta. *Obumbrantia propitiatorium*, sc. alis suis. *De quibus non est modo dicendum*, id est, prosequendum, *Per singula*. Sed contra, quia (3 *Reg.* 8.) dicitur, quod in arca non est aliud nisi duæ tabulæ. Respondeo : dicendum est, quod verum est ex principali intentione, quia ad hoc fuit arca principaliter facta, sicut patet (*Exod.* 25.) Quid autem ista significent.

Sciendum est, quod omnes ceremoniæ legis ordinabantur ad usum, secundum statum illum : ad aliud vero secundum quod erant figurativa, prout sc. repræsentabant Christum. Quo ad

primum omnia instituta fuerunt ad repræsentandum magnificentiam Dei. Illa autem non repræsentabantur, nisi in effectibus. Isti autem effectus habent quasi duplex seculum. Unum superius, sc. substantiarum incorporearum, et istud repræsentatur per sancta sanctorum. Aliud est istius mundi inferioris sensibilis, et istud repræsentatur per sancta. In mundo autem superiori sunt tria, sc. Deus, rationes rerum, et angeli. Deus autem omnino est incomprehensibilis, et ideo erat sedes sine sedente, quia non potest comprehendi a creatura nisi ex effectibus. Illa autem sedes erat propitiatorium, ut dictum est. Angeli autem significantur per Cherubim propter sapientiam. Unde et philosophi angelos dicunt substantias intellectuales. Erant duo ad designandum quod non erant ibi positi ad colendum, quia dictum erat eis: (*Deut.* 4.) *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Quod respiciunt in propitiatorium designat, quod non recedunt a contemplatione Dei. (*Matth.* 18.) *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem patris, etc.* Rationes rerum signantur per arcam. Illa vero, quæ sunt in hoc mundo, vel pertinent ad sapientiam, quæ per tabulas significatur, vel ad potentiam, quæ per virgam, vel ad bonitatem, quæ per manna, quod erat dulce, quia quicquid est dulcedinis in creatura, totum est ex bonitate Dei. Quia vero rationes rerum, quæ sunt intelligibiliter in Deo, sunt sensibiliter in creaturis corporalibus, ideo sicut in tabulis erat lumen intellectuale, ita in sanctis erat lumen corporale. Ibi manna, hic panes, ibi virga, hic altare, quod pertinet ad officium sacerdotis. Sed inquantum per ista figurabatur Christus, omnia ista inveniuntur in ipso. Et primo quantum ad sancta. Ipse enim est candelabrum luminis. (*Joan.* 8.) *Ego sum lux mundi.* In isto sunt sex ordines, tres a sinistris, sc. perfecti veteris testamenti, et tres a dextris, sc. novi testamenti. Isti designantur : (*Ezech.* 13.) Per Noe prælati : per Daniel, contemplativi : per Job, activi. Isti calami lumen accipiunt, et infunduntur, quia sicut dicitur (1 *Pet.* 4.) *Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes.* Cyphi sunt propinantes potum sapientiæ. Spherulæ propter promptitudinem obedientiæ. Lilia propter finem vitæ æternæ. Septem lucernæ, sunt septem dona Spiritus Sancti. Item Christus est mensa refectionis. Duodecim panes, sunt doctrina duodecim Apostolorum et successorum suorum, qui ponuntur in sabbato spei usque ad sabbatum spei, etsi interim unus removetur per mortem, alter substituitur. Sed in magno sabbato removebuntur omnes. In inferiori erat propitiatorium, et Christus est propitiatio pro peccatis nostris. (1 *Joan.* 2.) Duo angeli, sunt duo testamenta concorditer Christum respicientia. Vel omnes angeli Christo servientes concorditer et unanimiter. (*Matth.* 4.) *Accesserunt angeli et ministrabant ei.* (*Dan.* 7.) *Millia millium ministrabant ei.* (*Supra* 1.) *Omnes sunt administratorii spiritus.* Ipsi desiderant in Christum prospicere. (1 *Pet.* 1.) Item obumbrant propitiatorium, id est, Christi ecclesiam custodiunt. Vel quia ipsorum ministerio fiebant visiones et apparitiones in quibus obumbratorie figurabatur Christus. Arca aurata de lignis sethin est caro Christi pura et pretiosissima, quæ et dicitur urna aurea propter sapientiam, plena dulcedine divinitatis. Tabulæ sunt ejus sapientia. Virga est sacerdotium ejus æternum. Vel virga

est potestas Christi. Manna dulcedo gratiæ, quæ datur per sacerdotium Christi, vel per obedientiam mandatorum, sicut homo obedit potestati. Sed quia nullus habet sic gratiam quin peccet, excepto Christo et matre ejus, ideo necesse est habere propitiatorium. Sciendum est autem quod Glos. super locum istum multum diffuse ista exponit.

LECTIO 2.

Sacerdotum officium ponitur, quo in parte tabernaculi sancta nuncupata fungebantur, et Pontificis in sancta sanctorum.

6. *His vero ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes.*
7. *In secundo autem semel in anno solus pontifex, non sine sanguine, quem offerret pro sua et populi ignorantia.*
8. *Hoc significante Spiritu Sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.*
9. *Quæ parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodo in cibis, et in potibus.*
10. *Et in variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.*

Supra descripsit Apostolus ea, quæ pertinent ad vetus testamentum quantum ad dispositionem tabernaculi : hic prosequitur de officio ministrorum. Et primo de his, quæ spectant ad sancta. Secundo autem de his, quæ spectant ad sancta sanctorum, ibi : *In secundo autem.* Ad intellectum autem litteræ hujus, sciendum est quod sicut supra dictum est, in parte anteriori ipsius tabernaculi circa medium erat altare thymiamatis vel incensi, quod idem est, et candelabrum. Ex parte vero meridionali, et ex opposito mensa propositionis. Sacerdos ergo quolibet die, mane, et vespere, intrabat sancta propter duo, sc. ad parandum lucernas, et adolendum thymiama, ut lumen et bonus odor jugiter esset in sanctis. Dicit ergo : *His vero*, sc. quæ pertinent ad speciem tabernaculi, *Ita compositis*. id est, ordinatis, *Semper*, id est, quotidie, mane, sc. et sero, *Intrabant sacerdotes consummantes officia sacrificiorum*, non quod in sancta sacrificarent, quia sacrificabant super altare holocaustorum, quod erat ante fores tabernaculi sub dio, sed adoletionem thymiamatis et devotionem offerentium, vocat sacrificium.

Deinde cum dicit ; *In secundo autem*, ponit officium ministrorum quantum ad sancta sanctorum. Circa quod sciendum est quod sicut dicitur (*Lev.* 16.) Summus sacerdos in die expiationis, quæ fiebat decima die septimi mensis, sc. septembris, qui septimus est a martio nostro, qui apud Hebræos concurrit pro parte cum aprili, in quo incipiunt anni : (*Exod.* 11.) *Mensis iste principium vobis mensium, primus erit in mensibus anni* : ipsi enim incipiunt mensem in lunatione, quæ semper incipit in Martio, nisi impediat embolismus, offerebat pro se et tota domo sua vitulum, et hircum pro peccato populi, et istis immolatis

ebat de sanguine ipsorum et
bat thuribulum prunis altaris
ıustorum, quod erat in atrio ante
tabernaculi, et cum omnibus
ıtrabat in sancta sanctorum, et
ıanguine expiebat tabernaculum
gendo sanguinem contra velum,
ıt egrediebatur. Et cum eodem
ine liniebat cornua altaris thy-
atis : hoc autem semel in anno fa-
.. Unde dicit : *In secundo autem,*
ıbernaculo, quod dicitur sancta
ɔrum, *Semel in anno intrabat*
pontifex. Gloss. dicit quod plu-
poterat sine sanguine sed non
sanguine, nisi semel. De hoc
ı non habetur nisi tantum quando
nda sunt castra, quia tunc intra-
Aaron et filii ejus et involvebant,
ıpensabant onera Levitarum, sicut
(*Num.* 4.) *Semel tamen in anno*
bat summus sacerdos solus cum
ıine, quando offerebat pro sua et
li ignorantia, id est pro peccatis
is. (*Prov.* 14.) *Errant qui operan-*
alum. Omnis enim malus ignorat,
ıbetur (3. *Ethic.*) De hoc habetur
. 16.) ubi traditur ritus iste.
ice vero per primum tabernacu-
designatur præsens ecclesia, in
ideles debent seipsos sacrificare.
. 12.) *Exhibeatis corpora vestra*
am viventem, sanctam, Deo pla-
m. (*Ps.* 50.) *Sacrificium Deo*
ıus contribulatus. Item debent sa-
are sua in eleemosynis (*Infra* 13.)
ıus enim hostiis promereretur
, sed in sancta sanctorum, id est,
triam cœlestem intrat solus pon-
sc. Christus in anima et corpore.
ın secundum litteram intentio
toli est, quod per sancta intel-
ır vetus lex, per sancta sancto-
status novi testamenti et cælum,
per novam legem intratur in
m. Et ideo subdit: *Hoc significante*
Spiritu Sancto. Ubi exponit quid significatur per hoc. Et primo quantum ad vetus testamentum. Secundo quantum ad novum, ibi: *Christus assistens.* Item in prima parte primo ponit officium ministrorum quantum ad primum. Secundo subdit positionis rationem, *Juxta quam munera.* Sciendum autem quod in primo intrabat sacerdos quotidie : sed in secundo quod erat ultra velum, non nisi pontifex solus semel in anno. Unde quantum ad ministros illos erant ibi duo. Unum quod in primo quotidie intrabant. Aliud quod ante secundum erat eis velum. Unde interpositio veli significat quod cælestia erant eis velata. Item quod non intrabant, significat quod vetus testamentum non est via intrandi cælum ante adventum Christi. Dicit ergo : Dico quod hoc sic perfectum est hoc significante Spiritu Sancto. (2 *Pet.* 1.) *Non humana voluntate allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.* Et hoc est contra hæreticos, qui dicunt vetus testamentum non esse a Spiritu Sancto, sed a Deo malo. Quid significante? *Nondum propalatam esse sanctorum viam adhuc priore tabernaculo.* id est, veteri testamento significato per primum tabernaculum, *Habente statum.* Durante enim veteri testamento, via sanctorum sc. Christus qui dicit (*Joan.* 14.) *Ego sum via,* nondum venerat, ipse enim est ostium per quod patet introitus in sancta sanctorum. (*Joan.* 10.) *Ego sum ostium.* Sed non erat propalatus, quia adhuc latebat sub figuris litteræ obumbratus. (*Infra* 10.) *Umbram habens lex futurorum, etc.* — *Quæ parabola est instantis,* id est, præsentis, *Temporis.* Vel instantis, id est, ducens nos ad ea, quæ contingunt in præsenti tempore.

Deinde cum dicit : *Juxta quam*, ponit rationem quare durante statu veteris legis non patebat introitus in sancta sanctorum. In illa enim sancta nullus intrat nisi perfectus. (*Is.* 35.) *Via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus*. Et ideo ibi non erat mundatio et perfectio, nec erat introitus in illam. Sed vetus testamentum non poterat perfectum facere servientem, quia nondum erat oblatum sacrificium satisfaciens pro peccato totius humani generis. Et ideo dicit : *Juxta quam*, sc., vel parabolam vel figuram, *Offeruntur munera et hostiæ*. Quod refertur ad illud quod dicit sacrificiorum officia consummantes : quia oblationes et munera, quæ sunt de omnibus : hostiæ autem, quæ tantum sunt de animalibus, non offerebantur in sancta sanctorum, sed in sancta vel ad fores tabernaculi. Ista autem non poterant mundare, quia *Non possunt facere perfectum servientem* servitute latriæ, quæ pertinet ad cultum divinum. Perfectum dico, *juxta conscientiam*. Est enim duplex mundatio. Una a macula, et reatu peccati. Et quantum ad conscientiam, hoc non potest lex. (*Infra* 10.) *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. (*Is.* 1.) *Ne offeratis ultra sacrificium frustra*. (*Mich.* 6.) *Nunquid placari potest Deus in millibus arietum ant in millibus hircorum pinguium ?* Alia mundatio erat quantum ad culturam, ut scilicet liceret eis ministrare in illis sacrificiis: et sic mundabat. Sed nunquid in veteri lege fuerunt multi perfecti? Et videtur quod sic. Dictum est enim Abrahæ (*Gen.* 17.) *Ambula coram me et esto perfectus*. Moyses etiam et multi alii valde sancti et perfecti fuerunt. Respondeo : dicendum est, quod licet tunc multi perfecti et sancti fuerint, hoc tamen non fuit ex operibus legis. (*Supra* 7.) *Nihil ad perfectum adduxit lex*. Sed hoc fuit per fidem Christi. (*Gen.* 15). *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam*. Hoc ergo non erat virtute cerimoniarum aut legalium. Unde frequenter ibi dicitur : Orabit pro eo sacerdos et dimittetur illi. (*Lev.* 5.) Et in multis aliis locis. Quod ergo mundaret, hoc erat ex fide. Sed in novo testamento dicitur (*Matth. ult.*) *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*. Sine sacramentis enim novæ legis non est salus. (*Joan.* 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, etc.* Sed quare non mundabant conscientiam : quia consistebant in cibis et potibus, peccatum vero est in conscientia. Illud autem, quod est pure corporale non mundat animam, quia non agit in animam. In sacrificiis autem illis erant cibi et potus, etc., quæ pertinent ad corpus, et ideo non poterant mundare conscientiam. Dicit ergo: *In cibis et potibus*, id est, in discretione ciborum et potuum interdictorum in veteri lege, quia abstinere ab his non mundat conscientiam, vel ut hoc referatur ad usum sacrificiorum, quia comedebantur a sacerdotibus illa, quæ offerebantur pro peccatis, et ab aliis, quæ pro aliis, Ista enim non mundabant conscientiam. (*Jer.* 9.) *Nunquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas ? Et variis baptismatibus*, id est, lotionibus, quia sicut dicitur (*Matth.* 7.) *Judæi servabant baptismata calicum et urceorum, et a foro redeuntes non comedunt nisi baptizentur*. Contra quos dicit Dominus (*Matth.* 23) *Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ qui mundatis, quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem estis pleni rapina et immunditia*. Verum tamen Apostolus non loquitur hic de superstitionibus Pharisæorum, et ideo oportet currere ad

alias lotiones præceptas in lege : sicut est de aqua in qua lavabantur sacerdotes, et de aqua purificationis in mundatione leprosi vel polluti. Unde frequenter dicitur: Lavabant vestimenta sua, etc. Et hæc dicuntur hic baptismata. *Et justitiis carnis.* Ad hoc addit universaliter de omnibus. Vocat ista ceremonialia justitias carnis, id est, carnales, quis pertinebant tantum ad corporalem munditiam, nec erat in eis aliqua virtus spiritualis. Et ne aliquis dicat: quare ergo instituta sunt si non poterant perficere, quia jam videretur, quod Deus ea inutiliter instituerit. Hoc removet cum dicit : *Usque ad tempus correctionis impositis,* quasi dicat : Hoc verum est quod fuissent inutiliter instituta si semper deberent durare. Sed sicut puero primo oportet dare pædagogum, quando autem jam pervenit ad ætatem perfectam, tunc datur ei modus se habendi secundum judicium rectoris reipublicæ. Ita in veteri lege ea, quæ spectant ad imperfectionem instituta fuerunt, sed quando venit tempus perfectum, tunc debuerunt institui illa, quæ ducunt ad perfectionem. Et ideo dicit : Usque ad tempus correctionis, id est, in quo corrigeretur, non quidem sicut mala, sed sicut imperfecta. Lex enim bona est. (*Rom.* 7. *Ps.* 89.) *Supervenit mansuetudo, et corripiemur.*

LECTIO 3.

Quia ingressus summi sacerdotis in sancta sanctorum figurabat Christum, ideo, ingressus ille describitur, et ad Christum applicatur.

11. *Christus autem assistens pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis.*
12. *Neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa.*
13. *Si enim sanguis hircorum, aut taurorum, et cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis.*
14. *Quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi?*

Supra posuit Apostolus significationem eorum, quæ pertinent ad vetus testamentum et primum tabernaculum : hic ponit conditiones eorum, quæ pertinent ad secundum tabernaculum, quod repræsentabat novum testamentum. Et circa hoc duo facit. Primo enim ponit illam significationem. Secundo probat quoddam quod supposuerat, ibi : *Si enim sanguis hircorum.* Sciendum est autem quod si considerentur supradicta, quinque dicta sunt de secundo tabernaculo sc. quis intrabat, quia solus pontifex. Secundo dignitas et conditio loci quo intrabat, quia dicebatur sancta sanctorum. Tertio quomodo intrabat, quia cum sanguine. Quarto quando intrabat, quia semel in anno. Quinto quare intrabat, quia pro expiatione peccatorum. Hic autem Apostolus illa quinque explicat. Et primo quis sit ille, qui intrat, quia Christus. Pontifex enim est princeps sacerdotum. Talis autem est Christus. (*1 Pet.* 5.) *Cum apparuerit princeps pastorum, etc.* (*Supra* 4.) *Habentes ergo pontificem*

magnum qui penetravit cœlos Jesum,etc. Sed quilibet pontifex dispensator est alicujus testamenti. In quolibet autem testamento duo consideranda sunt, sc. finis repromissus in illo testamento, et ea, quæ traduntur in illo. Bona autem repromissa in veteri testamento erant bona temporalia. (*Is.* 1.) *Si volueritis et audieritis me, bona terra comedetis.* Ille ergo pontifex erat bonorum temporalium. Sed Christus est pontifex bonorum cælestium. (*Matt.* 5.) *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.— Est ergo pontifex futurorum bonorum*, quia per pontificatum ejus introducimur in bona futura. (*Ps.* 64.) *Replebimur in bonis domus tuæ.* Item in veteri dispensabantur figuralia, sed Christus dispensat spiritualia, quæ per illa figurabantur. (*Luc.* 11.) *Pater vester de cœlis dabit spiritum bonum petentibus se.* Sic ergo per bona futura possunt intelligi vel bona cælestia, et hoc respectu novi testamenti. Vel bona spiritualia respectu veteris, quod eorum figura erat. Iste pontifex non est negligens, sed *Assistens.* Pontifex enim mediator est inter Deum et populum : Christus vero mediator est. (1 *Tim.* 2.) *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* (*Deut.* 5.) *Ergo medius et sequester fui inter Dominum et vos.* Et ideo ipse assistit patri ad interpellandum pro nobis. (*Supra* 7. *Rom.* 8.) *Christus Jesus qui etiam interpellat pro nobis.* Item assistens nobis ad auxiliandum. (*Ps.* 15.) *A dextris est mihi ne commovear.* (*Act.* 7.) *Ecce video cœlos apertos et Jesum stantem a dextris Dei.* Sic ergo patet quis intrabat. Secundo ostendit dignitatem interioris tabernaculi, quia dicit : *Per amplius*, et conditionem, quia et *Perfectius*, utpote quia est immobile. (*Is.* 35.) *Oculi tui videbunt Jerusalem civitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam ultra transferri poterit.* Hoc autem est tabernaculum cælestis gloriæ. (*Ps.* 14.) *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Dicitur autem tabernaculum, quia est locus peregrinorum. Non enim debetur nobis ex conditione naturæ : sed tantum per gratiam. (*Is.* 32.) *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta.* Est ergo peramplius propter multitudinem bonorum immensam, quod designatur in auctoritate prædicta. Sedebit, etc. (*Bar.* 3.) *O Israel, quam magna est domus Dei!* Illud autem quod dicitur peramplius dupliciter legitur. Uno modo, quod sit una dictio, quasi valde peramplius, et sic construitur littera. Christus assistens pontifex futurorum bonorum intravit in sancta sanctorum, dico quæ sunt tabernaculum peramplius. Alio modo, quod ly per, sit præpositio, quod magis exprimitur in Græco, et tunc construitur sic : Christus introivit in sancta per tabernaculum amplius, id est, magis amplum et perfectum. Item perfectius, quia ibi cessabit omnis imperfectio. (1 *Cor.* 13.) *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Item est alterius conditionis, quia istud factum fuit manu hominis, hoc autem non : sed manu Dei. (*Exod.* 15.) *Sanctuarium tuum, Domine, quod fundaverunt manus tuæ, etc.* (2 *Cor.* 5.) Scimus enim, quia si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manufactam sed æternam in cælis. (*Infr.* 11.) Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cujus artifex est et conditor Deus.

Et ideo dicit : *Non manufactum*, id est, non hujus creationis, quia non est manufactum, sicut vetus : nec est

hujus creationis, id est, in bonis sensibilibus creatis, sed est in bonis spiritualibus. Vel per tabernaculum potest Christi corpus intelligi, in quo contra diabolum pugnavit. (*Ps.* 18.) *In sole posuit tabernaculum suum.* Quod est peramplius : quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. (*Col.* 1.) Item perfectus est, quia vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratiæ et veritatis. (*Joan.* 1.) Item non manufactum, quia non ex virili semine. (*Dan.* 2.) Abscisus est lapis de monte sine manibus. Tertio ostendit quomodo intrabat, quia non sine sanguine, sed ille cum sanguine vitulorum et hircorum, sicut dicitur (*Lev.* 16.) Christus vero non sic sc. sanguine alieno, ideo dicit : *Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem*, quem pro salute nostra immolavit in cruce. (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis meus novi testamenti qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Dicit autem pluraliter, *Vitulorum et hircorum*, non quod simul essent plures, sed quia per diversos annos pluries intrabat. Christus autem significatur per hircum propter similitudinem carnis peccati. (*Rom.* 8.) Item per vitulum propter fortitudinem. Et quia utitur duobus testamentis tanquam duobus cornibus. (*Abac.* 3.) *Cornua in manibus ejus.* Quarto quando intrabat : quia semel in anno : Christus autem per totum tempus, quod est quasi annus. *Introivit semel in sancta*, et semel etiam fudit sanguinem suum. (1 *Pet.* 3.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* (*Rom.* 6.) *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel.* Item semel intravit, nam ex quo intravit cælestia, semper est ibi. Et ideo dicit quod intravit semel in sancta. Quinto ostendit quare intravit, quia ad offerendum pro populi ignorantia, non pro sua, quia non habebat. Sanguis enim Christi magis quam ille valet ad hoc, quia per ipsum *inventa est æterna redemptio :* quasi dicat : Per istum sanguinem redempti sumus, et hoc in perpetuum, quia virtus ejus est infinita. (*Infra* 10.) *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.* (*Ps.* 110.) *Redemptionem misit Dominus populo suo.* Hoc autem quod dicit : *inventa*, ad duo potest referri, sc. et ad desiderium Dei, quod habebat de salute nostra. (*Job.* 23.) *Inveni in quo ei propitier.* (*Ezech.* 18.) *Nolo mortem peccatoris.* Item ad desiderium patrum, quo desiderabant redimi. Nullus autem invenit modum ita congruum sicut Christus. Et ideo signanter dicit : *Inventa.*

Deinde cum dicit : *Si enim sanguis, etc.* probat unum quod supposuit, sc. istud ultimum. Æterna redemptione inventa, quasi dicat : Ita dixi, quod per proprium sanguinem fecit æternam redemptionem, in quo apparet ejus maxima efficacia. Quod autem ita sit probo per locum a minori, quia si sanguis brutorum animalium faciebat quod minus est, sanguis Christi poterit facere, quod majus est. Unde circa hoc facit duo. Primo enim ponit antecedens. Secundo consequens, ibi : *Quanto magis sanguis Christi?* Circa primum sciendum est, quod in veteri lege erat duplex mundatio. Una quæ fiebat in die expiationis, de qua habetur (*Lev.* 16.) Et de ista jam dictum est. Et ista videbatur directe ordinari ad emundationem a peccato. Alia erat contra irregularitatem legis, de qua dicitur (*Num.* 16.) Quod præcepit Dominus quod Eleazar acciperet vaccam rufam a Moïse sine macula, ætatis integræ, quæ non

traxisset jugum, et eductam extra castra immolaret in conspectu populi, et tingeret digitum in sanguine ejus et aspergeret septies contra tabernaculum, et quod combureret totam, scilicet carnem, pellem, et etiam fimum ejus cum hyssopo, ligno cedrino et cocco bis tincto, quo facto vir mundus colligebat cineres, et in loco mundo effundebat extra castra. Et de ipsis ponebantur in aqua, qua immundus, qui sc. tetigisset cadaver mortui, aspergebatur die tertio et septimo cum hyssopo, et ita mundabatur, nec aliter poterat mundari. Ista est sententia Apostoli. Itaque quantum ad primum dicit : *Si enim sanguis hircorum aut aurorum.* Quantum vero ad secundum dicit : *Et cinis vitulæ aspersus sanctificat inquinatos*, non gratiam conferendo, sed *Ad emundationem carnis*, id est, ab irregularitate, quia carnaliter impediebantur, quasi immundi a cultu divino, non tamen auferebant peccata. Sed tantum, ut dicit Augustinus, aliquando virtute illius aspersionis mundabantur a lepra corporali. Et ideo dicit : Ad emundationem carnis.

Deinde cum dicit : *Quanto magis, etc.* ponit consequens, quasi dicat : Si sanguis et cinis hoc possunt, quid poterit sanguis Christi ? Certe multo plus. Et ponit Apostolus tria, quæ ostendunt efficaciam sanguinis Christi. Primo quis est ille cujus est sanguis ille, qui sc. est Christus. Ex quo patet quod ejus sanguis mundat. (*Matth.* 1.) *Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Secundo causam quare Christus sanguinem suum fudit, quia hoc fuit Spiritus Sanctus, cujus motu et instinctu sc. charitate Dei, et proximi, hoc fecit. (*Is.* 59.) *Cum venerit quasi fluvius violentus quem Spiritus Domini cogit* spiritus autem mundat. (*Is.* 4) *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, et sanguinem Hierusalem laverit de medio ejus in spiritu judicii et spiritu ardoris.* Et ideo dicit : *Per Spiritum Sanctum obtulit semetipsum.* (*Ephes.* 5.) Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis. Tertio conditionem ejus, quia est immaculatus. (*Exod.* 12.) *Erit agnus absque macula masculus anniculus.* (*Eccl.* 34.) *Ab immundo quis mundabitur?* Sed nunquid sacerdos immundus potest mundare? Respondeo : dicendum est quod non, si ageret in propria virtute : sed agit virtute sanguinis Christi, qui est sicut causa prima. Et ideo non egisset, nisi fuisset immaculatus. Sciendum tamen quod sanguis illorum animalium mundabat tantum ab exteriori macula, sc. acontactu mortui, sed sanguis Christi mundat interius conscientiam, quod sit per fidem. (*Act.* 15.) *Fide purificans corda eorum*, inquantum sc. facit credere quod omnes qui Christo adhærent per sanguinem ejus mundantur. Ergo iste emundat conscientiam. Item ille emundabat a tactu mortui, sed iste ab operibus mortuis, sc. peccatis, quæ tollunt Deum ab anima, cujus vita est per unionem charitatis. Item ille mundabat ut possent accedere ad figurale ministerium, sed sanguis Christi ad spirituale obsequium Dei. (*Ps.* 100.) *Ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.* Et ideo dicit : *Ad serviendum Deo.* Item Deus est vita. (*Joan.* 14.) *Ego sum vita.* Et (*Deut.* 32.) *Vivo ego in æternum.* Conveniens ergo est ut serviens ei sit vivens. Ideo dicit : *Viventi.* Et secundum rectorem vel judicem populi, sic et ministri ejus ut dicitur. (*Eccl.* 10.) Qui ergo vult Deo digne servire debet esse vivens sicut et ipse. Totam istam figuram diligenter exponit Gloss. est Augustini de quæstionibus Numer.

LECTIO 4.

Concluditur, quod Christus est mediator novi testamenti, quod suo sanguine confirmavit, ideo excellentius veteri esse infertur.

15. *Et ideo novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt æternæ hæreditatis.*
16. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.*
17. *Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit qui testatus est.*
18. *Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est.*
19. *Lecto enim omni mandato legis a Moïse universo populo: accipiens sanguinem vitulorum et hircorum cum aqua et lana coccinea et hyssopo, ipsum quoque librum et omnem populum aspersit,*
20. *Dicens: Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.*
21. *Etiam tabernaculum et omnia vasa ministerii sanguines imiliter aspersit.*
22. *Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur: et sine sanguinis effusione non fit remissio.*

Supra exposuit Apostolus illa, quæ agebantur in veteri testamento, et aperuit illorum mysticam expositionem, hic ex his arguit ad propositum, sc. quod novum testamentum præfertur veteri: quia potest quod non poterat vetus. Et circa hoc facit duo. Primo enim proponit conclusionem intentam. Secundo probat quoddam quod supposuerat, ibi: *Ubi enim testamentum*. Iterum prima in duas. Primo enim concludit ex dictis, quod Christus est mediator. Secundo hoc ostendit, non potuisse vetus testamentum, ibi: *Quæ erant sub priori*. Dicit ergo: *Et ideo*, quia sc. Christus intravit in sancta, æterna redemptione inventa, id est, perducens ad æterna, quod vetus non poterat facere, unde oportet quod istud testamentum sit aliud ab illo, sicut novum a veteri. (*Jer.* 13.) *Feriam domui Israel et domui Juda, etc.* (*Apoc.* 21.) *Ecce nova facio omnia.* — *Ideo hujus novi testamenti mediator est Christus* inter Deum et hominem. (1 *Tim.* 2.) *Mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus.* In omni autem testamento est aliquid quod promittitur et aliquid per quod testamentum confirmatur. In novo autem testamento promittuntur cælestia et spiritualia. Item ista promissio per mortem Christi confirmata est. Et ideo Christus mediator est novi testamenti, ut repromissionem æternæ beatitudinis ac hæreditatis æternæ, *Recipiant qui vocati sunt.* Et dicit vocati, quia hoc munus non est ex operibus, sed ex vocatione Dei. (*Rom.* 8.) *Quos autem prædestinavit, hos et vocavit.* (1 *Thess.* 2.) *Contestati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam.* Unde dicit: Æternæ hæreditatis, id est, æternæ gloriæ, quæ est hæreditas nostra. (1 *Pet.* 1.) *Regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, et incontaminatam, et immarcescibilem conservatam in cœlis.* (*Ps.* 126.) *Ecce hæreditas Domini.* Item, *Dominus pars hæreditatis meæ.* Istam autem hæreditatem habemus

per mortem Christi. Unde dicit : *Ut morte intercedente.* (1 *Pet.* 3.) *In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis.* Hujus mortis effectus est redemptio a prævaricatione peccati. (1 *Pet.* 1.) *Non corruptibilibus auro et argento redempti estis de vestra vana conversatione, sed pretioso sanguine agni immaculati.* Sed nunquid in veteri testamento poterat fieri ista redemptio a peccatis ? Et respondet, quod non, quia *Illæ prævaricationes erant sub priori testamento,* quasi dicat: Quia virtute sacramentorum prioris testamenti removeri non poterant. (*Rom.* 3.) *Causati sumus Judæos et Græcos omnes sub peccato esse.* Sed contra, quia David et multi alii sancti habuerunt remissionem peccatorum. Respondeo : dicendum est, quod quantum ad istum effectum, qui est introitus cæli, non, quia per mortem Christi aperta est janua vitæ. Nullus enim ante mortem Christi intravit. (*Zach.* 9.) *Tu vero in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Sed quantum ad maculam, sic ipsi consecuti sunt : sed non virtute sacramentorum veteris legis, sed in fide Christi. Sic ergo novum testamentum est excellentius quam vetus, quia confirmatum est morte Christi per quam remittuntur peccata, et quia exhibet promissionem.

Deinde cum dicit : *Ubi enim testamentum,* probat illud, quod supposuit, sc. quod novum testamentum fit confirmatum per mortem Christi. Et primo probat hoc per auctoritatem legis humanæ. Secundo per auctoritatem legis divinæ, ibi : *Unde nec primum.* Dicit ergo, dictum est, quod novum testamentum confirmatur per mortem Christi intercedentem, quia *Ad hoc quod testamentum valeat oportet, quod mors testatoris interveniat,* et ideo novum testamentum non haberet robur, nisi intervenisset mors Christi. Unde dicitur (*Joan.* 11.) *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo.* Mors autem testatoris ad duo necessaria est. Primo ut testamentum habeat firmitatem, quia cum sit expressivum ultimæ voluntatis, potest semper mutari ante mortem. Unde dicit, quod *Testamentum confirmatum est in mortuis,* id est, per mortem. Et isto modo confirmatum est novum testamentum per mortem Christi. (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis meus novi testamenti,* sc. confirmator et dedicator. Secundo necessaria est mors testatoris ad hoc, ut testamentum valeat et habeat efficaciam. Unde dicit : *Alioquin nondum valet,* quia nullus potest petere aliquid, nec etiam hæredes hæreditatem ex vi testamenti, nisi post mortem testatoris. Ideo Christus voluit mortem suam pro nobis interponere.

Deinde cum dicit : *Unde nec primum.* Hoc idem probat per auctoritatem legis divinæ, sc. per illud quod habetur in veteri testamento. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit convenientiam inter utrumque testamentum. Secundo ostendit differentiam, ibi *Necesse est ergo.* Circa primum duo facit, quia primo proponit. Secundo manifestat, ibi : *Lecto enim.* Dicit ergo : Ita dictum est, quod ad hoc, quod testamentum valeat, necesse est, quod mors testatoris interveniat. Nec hoc debet videri mirum, quia *Nec primum testamentum dedicatum,* id est, confirmatum est, sine sanguine. Ille autem sanguis figurabat sanguinem Christi. Omnia enim in figura contingebant illis. (1 *Cor.* 10.)

Deinde cum dicit : *Lecto enim,* probat propositum, sc. quod illud testa-

mentum non est confirmatum sine sanguine. Et probat hoc quantum ad tria, in quibus fuit usus sanguinis. Primo quantum ad legis editionem. Secundo quantum ad tabernaculi consecrationem, ibi : *Etiam tabernaculum.* Tertio quantum ad vasorum expiationem, ibi : *Et omnia pene in sanguine.* Circa primum sciendum est, quod Apostolus tangit hic historiam, quæ habetur (*Exod.* 24.) Ubi dicitur, quod postquam Moyses legerat coram populo mandata Domini, ipsisque respondentibus, omnia quæ locutus est Dominus faciemus et erimus obedientes. accepit Moyses sanguinem quem præceperat servare de duodecim vitulis, et aspersit librum legis et populum quasi in confirmationem testamenti. Et ideo dicit : Lecto enim omni mandato, etc. quia necessarium fuit ut legeretur. Illa enim lectio fuit legis promulgatio. Oportebat enim legem promulgari, *Accipiens, etc.* Hic est duplex objectio litteralis. Una quia (*Exod.* 24.) nulla fit mentio de hirco, sed de duodecim vitulis. Secunda, quia ibi etiam non fit mentio de aqua et cocco et hyssopo. Responsio ad ista duo est duplex. Una, sc. quia Apostolus nutritus erat in lege. Unde sciebat, quod ille usus erat in emundationibus secundum legem, quod aspersio fiebat de sanguine hircorum et vitulorum et aqua admixta cum hyssopo et lana coccinea, tanquam aspersorio, et ideo licet non agatur de his in Exodo, tamen Apostolus hoc accepit ex consuetudine ritus legalis. Vel potest dici, quod ista fuit prima consecratio. Et ideo quasi virtute continebantur in ipsa aliæ sanctificationes futuræ, inter quas potissime fuit illa, quæ fiebat in die expiationis, de qua (*Lev.* 16.) Et alia de vitula rufa. (*Num.* 16.) In prima autem erat sanguis vituli et hirci. In secunda vero aqua et lana coccinea et hyssopus. Quia ergo illa in prima continebat istas duas, ideo Apostolus totum retulit ad istam. Dicit ergo : *Accipiens sanguinem, etc.* librum et omnem populum aspersit, dicens : *Hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus,* sc. confirmator testamenti. (*Eccl.* 24.) *Legem mandavit nobis Moyses in præceptis justitiarum.* Iste enim sanguis fuit figura sanguinis Christi, per quem novum testamentum confirmatum est. Et ideo Christus verbis istis usus est. (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis novi testamenti,* sc. confirmativus. Figurabatur autem per sanguinem hirci propter similitudinum carnis peccati, et vituli propter fortitudinem. Miscetur autem cum aqua, quia baptismus a sanguine Christi efficaciam habet : aspergitur autem cum hyssopo, qui mundat pectus, per quod significatur fides. (*Act.* 15.) *Fide purificans corda eorum.* Et lana coccinea, quæ est rubei coloris, per quam significatur charitas. (*Cant.* 5.) *Dilectus meus candidus et rubicundus,* quia per fidem et dilectionem passionis Christi mundatur populus. Aspergitur et liber legis, quia passio Christi adimplevit legem. (*Joan.* 19.) *Consummatum est.* (*Matth.* 5.) *Non veni solvere legem, sed adimplere.*

Deinde cum dicit : *Etiam tabernaculum,* ponit consecrationem tabernaculi, quia *Tabernaculum et omnia vasa ministerii similiter aspersit sanguine.* Sed contra, quia nondum factum erat tabernaculum, sed 25 cap. mandatur de consecratione tabernaculi. Respondeo : dicendum est, quod licet non sit idem sanguis quo aspersus est populus et tabernaculum, tamen etiam tabernaculum *Mundatum est sanguine.* Unde potest sic construi : usus est sanguine, etiam quando

sanctificavit tabernaculum. Sed contra, quia (*Num. et Lev.* 8.) dicitur, quod unxit tabernaculum oleo. Respondeo : dicendum est, quod non loquitur de illa sanctificatione qua primo consecratum est tabernaculum et vasa ejus, sed de illa, quæ fiebat in die expiationis. Vel melius dicendum est, quod etiam in prima usus est sanguine, quia ibi dicitur quod unxit illud oleo, et postea quod aspergit. Oleum autem non est aspersum, unde intelligitur quod primo unxit illud : et postea aspersit sanguine. Et ista duo sunt necessaria ad sanctificationem, sc. virtus sanguinis Christi, et oleum misericordiæ, quibus sanctificatur tabernaculum, id est ecclesia, et vasa, id est ministri.

Deinde cum dicit : *Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur*, exequitur de cæteris mundationibus legalibus. Erat autem duplex mundatio. Una a corporali macula sicut lepra. Alia a spirituali, sc. peccato : prima poterat pertinere ad res inanimatas, sicut patet de lepra domorum. Et mundatio ab ista immunditia fiebat cum sanguine animalis immolati, vel aqua expiationis, quæ erat confecta cum sanguine vitulæ rufæ. Et ideo dicit : *Pene omnia*, et non omnia simpliciter, vel pene omnia, ita quod ly pene sit determinativum de ly mundantur, id est, pene mundantur, quia non perfecté mundabantur : hoc tantum fit per sacramentum novæ legis. Vel potest determinare ly omnia : non enim omnia mundabantur sanguine, quia ut dicitur (*Num.* 31). Quicquid potest ignem sustinere purgatur per ignem : quæ vero non poterant, purgantur aqua expiationis. Sed ad mundationem a macula peccati, necessaria est sanguinis effusio, quia requirebatur ad sacrificium. Et ideo dicit : quod *Sine sanguinis effusione non fit peccatorum remissio*. Per quod figurabatur quod remissio peccati erat fienda per sanguinem Christi. Unde in veteri lege non virtute sacramenti, sed virtute fidei Christi fiebat remissio peccatorum. Unde frequenter ibi dicitur : Rogabit pro eo sacerdos, et remittetur.

LECTIO 5.

Mundatio quæ in novo testamento fit, ea quæ in veteri fiebat melior esse ostenditur.

23. *Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium, his mundari : ipsa autem cœlestia, melioribus hostiis, quam istis.*

24. *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.*

25. *Neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in sansta per singulos annos in sanguine alieno.*

26. *Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi : nunc autem semel in consummatione seculorum ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.*

27. *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium.*

28. *Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata secundo sine peccato apparebit omnibus expectantibus se, in salutem.*

pra ostendit Apostolus, quid sit
ıune novo et veteri testamento,
ıntum vetus et novum conve-
, hic ostendit differentiam utrius-
Et circa hoc duo facit. Primo
ostendit, quod in novo est me-
nundatio. Secundo quod perfec-
ibi : *Neque ut sæpe.* Iterum pri-
n duas. Primo enim ostendit,
quantum ad illud quod mun-
, et quantum ad id quo munda-
fficitur, sit melior mundatio in
. Secundo manifestat quod dixit,
Non enim in manufacta. Dicit
Necesse est ergo exemplaria cœ-
m, sc. ipsum tabernaculum,
quoad nos, est exemplar, licet
liciter sit exemplatum et figura
, et ideo minoris dignitatis, quia
atum nobilius est quam figura,
corpus quam umbra. *His sc.*
ficiis mundari, ipsa autem cœ-
, sc. novum testamentum, *Me-*
ıus hostiis quam istis, melioribus
em, quia alia mundabantur san-
animalium, sed in novo testa-
o fit mundatio sanguine Christi.
ıer autem meliora melioribus
dantur. Ista autem erant cæles-
d est, figura cælestium. Si ergo
nundabantur sanguine, oportet
cælestia mundari meliori san-
. Sed contra, in cælo nulla est
ınditia. Respondeo: dicendum est,
cælestia intelliguntur secundum
. ea quæ pertinent ad statum
entis ecclesiæ, quæ dicuntur
tia. Item homines fideles gerunt
inem cælestium, inquantum men-
nversantur in cælis. Vel aliter et
ıs, quod per cælestia intelligatur
tis patria. Et loquitur hic Apos-
eo modo quo in veteri testa-
o dicebatur emundari taberna-
n, non quod haberet in se ali-
ı immunditiam, sed quia mun-
dabantur quædam irregularitates, quibus impediebantur accedere ad sanctuarium. Et dicuntur mundari cælestia, inquantum per sacramentum novæ legis purgantur peccata, quæ impediunt ab ingressu cælestium. Item dicit : Hostiis in plurali. Contra: quia tantum est una hostia Christi. (*Infra.* 10.) Una enim oblatione consummavit in æternum sanctificatos. Respondeo: licet una sit in se, tamen pluribus hostiis veteris legis figurabatur. Ex hoc loco habetur, quod hostiæ veteris legis erant bonæ. Melius enim non dicitur nisi respectu boni.

Deinde cum icit : *Non enim in manufactis, etc.*, ostendit, quod cælestia mundantur melioribus hostiis. Pontifex enim expiabat sanctuarium, quod erat manufactum, sed *Christus intravit non in manufacta sancta*, quæ erant quo ad nos *Exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum*, quod non in se, sed quo ad nos expiavit, ut dictum est, sed non expiavit carnalibus hostiis, quia Christus non venit ad offerendum talia. (*Ps.* 39.) *Holocaustum et pro peccato non postulasti.* Item : *holocaustis non delectaberis* Item (*Supra* 7.) Manifestum, quod de tribu Juda ortus est Dominus, de qua nullus præsto fuit altario, sed introivit in ipsum cælum. (*Matth. ult.*) *Dominus quidem Jesus assumptus est in cœlum.* (*Act.* 1.) *Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum.* Sed quare? *Ut appareat pro nobis vultui Dei.* Et loquitur Apostolus alludendo ritui veteris legis, secundum quam pontifex qui intrabat sancta sanctorum, stabat coram propitiatorio ut oraret pro populo, ita et Christus intravit cælum, secundum quod homo, ut astaret Deo pro salute nostra. Sed ista differenter, quia sacerdos impediente

fumo, qui ascendebat de thuribulo non videbat sancta sanctorum, nec videbat aliquem vultum, sed Christus apparet vultui Dei, non quod sit ibi facies corporalis, nec aliqua nebula, sed cognitio manifesta. Sed numquid Christus existens in terra, non poterat apparere vultui Dei, cum Deus omnia videat? Respondeo: dicendum quod sicut August. loquens Deo dicit: mecum eras, et tecum non eram, quia sc. Deus est in omnibus per essentiam, præsentiam, et potentiam, mali autem non sunt cum Deo per gratiam, ita dicitur Christus introisse ut appareat vultui Dei: quia licet semper videret eum clara visione, ut perfecte beatus, tamen status viatoris inquantum hujusmodi non habet hoc, sed tantum status cælestis. Et ideo quando ascendit perfecte beatus in corpore et anima intravit, ut appareat vultui Dei, id est, intravit locum ubi Deus manifeste videtur, et hoc pro nobis. Ad hoc enim ascendit ut pararet nobis viam. (*Joan.* 14.) *Vado parare vobis locum. Iterum autem veniam et assumam vos ad meipsum.* (*Mich.* 12.) *Ascendit pandens iter ante vos.* Corpus enim debet sequi caput suum. (*Matth.* 24.) *Ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilæ.*

Deinde cum dicit: *Neque ut sæpe*, ostendit quod mundatio novi testamenti est perfectior quam veteris. Hoc autem ostendit per duo. Primo per hoc quod illa reiterabatur quolibet anno, hæc autem tantum semel. Item quantum ad effectum, quia illa non poterat auferre peccata, quod ista potest. Circa hoc ergo duo facit. Primo enim ostendit primum. Secundo secundum, ibi: *Umbram habens.* Sciendum est autem quod Apostolus supra dixerat tria de Christo. Primo sc. quod est pontifex. Secundo, quæ sit dignitas loci quem intravit. Tertio quomodo introivit, sc. cum sanguine, ista autem tria jam declaravit: hic declarat quando intravit, quia sicut pontifex legalis semel in anno, Christus semel tantum. Et hoc erat quartum. Unde circa hoc tria facit. Primo enim ostendit quid fiebat in veteri testamento. Secundo quod esset inconveniens istud fieri in novo testamento, ibi: *Alioquin*. Tertio ostendit quid fiat in novo testamento, ibi: *Nunc autem semel.* In veteri enim testamento pontifex licet non intraret nisi tantum semel in anno, tamen quolibet anno ex præcepto legis oportebat ipsum intrare cum sanguine alieno, sicut dicitur (*Lev.* 16.) *Christus autem intravit non in manu facta, etc. — Nec ut sæpe offerat seipsum quemadmodum pontifex intrabat in sancta per singulos annos cum sanguine alieno.*

Deinde cum dicit: *Alioquin oportebat, etc.*, probat quod esset inconveniens istud fieri in novo testamento, quia sequeretur maximum inconveniens, quia cum Christus intraret per proprium sanguinem, *Sequeretur quod oportuisset eum frequenter pati ab origine mundi.* Non sic autem est de veteri hostia, quia illa offerebatur pro peccatis filiorum Israel. Ille autem populus incœpit spiritualiter quando data fuit lex, et ideo non oportet eam offerri ab origine mundi. Christus autem seipsum obtulit pro peccatis totius mundi, quia ipse propitiatio nostra factus est pro peccatis nostris et totius mundi. (1 *Joan.* 2.) Et sic, si sæpe offerretur, oportuisset ipsum nasci, et pati ab origine mundi, quod fuisset maximum inconveniens. Sed contra (*Apoc.* 13.) *Agnus, qui occisus est ab origine mun-*

:spondeo : verum est occisus, præfiguratus ab origine mundi sicut in occisione Abel.

ıde cum dicit : *Nunc autem*, os- quid fiat in novo, et circa hoc luo. Primo quare non iteratur in novo testamento, dat duas ;. Secundo explicat eas, ibi : *emadmodum, etc.* Dicit ergo : *ergo Christus semel apparuit in nmatione seculorum.* (1 *Cor.* 10.) *ımus in quos fines seculorem de- ınt.* Et hoc dicit propter nume- ınnorum, quia jam sunt plus mille anni ex quo hoc dixit. s enim mundi accipiuntur se- m ætates hominis, quæ princi- · distinguuntur secundum sta- ›roficiendi, non secundum nu- n annorum. Ita prima ætas fuit liluvium, in qua nec lex scripta, ınitio, sicut infantia. Alia a Noe ad Abraham, et sic de aliis, od ultima ætas est status præ- post quem non est alius status ;, sicut nec post senium. Sicut in aliis ætatibus hominis est ·us annorum determinatus, non in senio, quia senium incipit nno, et aliqui vivunt per 100 ınti annos, ita non est deter- ım, quantum iste status mundi ·durare, tamen est consummatio rum, quia non restat alius ad m. In isto autem Christus se- ›parunt, cujus ponit duas ratio- uia sc. semel tantum offereba- rima est, quia in veteri testa- non auferebantur peccata, quod · hostiam Christi. Alia est, ɜacerdos legalis non offerebat um sanguinem, sicut Christus. licit : quod *Apparuit ad desti- ım peccati per hostiam*, sc. sui ip- et ideo illa reiteratur, non ista. (1 *Pet.* 3.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.*

Deinde cum dicit : *Et quemadmodum*, explicat istas rationes. Et primo secundam. Secundo primam, ibi : *Umbram habet lex.* Secundam explicat per similitudinem aliorum hominum. Unde circa hoc facit duo. Primo enim ostendit, quid accidit aliis hominibus. Secundo ostendit, quid accidit in Christo, ibi : *Sic et Christus semel.* In quolibet enim homine duo invenimus, sc. necessitatem moriendi. Item quod resurgat, non ut emundetur, sed ut judicetur de factis ejus. Primum tangit, cum dicit : *Et quemadmodum statutum est hominibus semel mori.* Sed contra, videtur quod hoc non sit statutum, sed magis homo peccando hoc fecerit, quia (*Sapient* 1.) dicitur, quod Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Et paulo post : Impii autem manibus et verbis accersierunt sibi illam. Respondeo : dicendum est, quod in morte tria sunt consideranda, sc. causa naturalis, et quantum ad hoc ex conditione naturæ, statutum est hominem semel mori, inquantum componitur ex contrariis. Secundo donum inditum, et quantum ad hoc in conditionem datum' est homini beneficium originalis justitiæ, per quam anima continebat corpus, ut posset non mori. Tertio meritum mortis, et sic homo peccando meruit illud beneficium amittere, et sic mortem incurrit. Unde dicit, quod impii manibus, sc. pomum vetitum contrectando, accersierunt mortem. Homo ergo demerendo causa est mortis, sed Deus, ut judex. Stipendia enim peccati mors. (*Rom.* 6.) Semel : Quod quidem verum est de communi consuetudine, licet aliqui fuerint resuscitati, sicut Lazarus et filius viduæ, qui postea mortui

sunt. Quantum autem ad secundum dicit : *Post hoc autem judicium*, quia postquam resurgent, non iterum morientur, sed statim judicium sequetur. Omnes enim manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, ut dicitur (2 *Cor.* 5.)

Deinde cum dicit : *Sic et Christus, etc.* ostendit quomodo hæc conveniunt Christo. Et quantum ad primum dicit, quod , *Sic et Christus semel oblatus est.* Et in hoc convenit cum aliis. Sed differt in duobus : primo, quia cum Christus non descenderit ab Adam per rationem seminalem, sed quantum ad corpulentam substantiam, non contraxit peccatum originale , et ideo non fuit debitor illius status. (*Gen.* 2.) *In quacumque die comederis ex eo , morte morieris.* Sed propria voluntate mortem assumpsit. (*Joan.* 10.) *Nemo tollit a me animam meam, et cætera.* Ideo dicit, quod oblatus est. (*Is.* 53.) *Oblatus est quia ipse voluit.* Et (1 *Pet.* 3.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Secundo differt , quia mors nostra est effectus peccati. (*Rom.* 6.) *Stipendia peccati mors.* Sed mors Christi est destructiva peccati. Ideo dicit : *Ad multorum exhaurienda peccata* , id est removenda. Nec dicit omnium, quia mors Christi, etsi sit sufficiens pro omnibus , non tamen habet efficaciam, nisi quantum ad salvandos. Non enim omnes subjiciuntur ei per fidem et bona opera. Quantum ad secundum dicit : *Secundo autem sine peccato apparebit.* De secundo adventu dicit duo. Primo ponit differentiam ejus ad primum, quia secundus erit sine peccato. In primo enim etsi peccatum non habuerit, tamen venit in similitudinem carnis peccati. (*Rom.* 8.) Item in primo factus est hostia pro peccato. (2 *Cor.* 5.) *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit.* In secundo vero ista non erunt, ideo dicit, quod apparebit sine peccato. Secundo ponit illud, quod est proprium secundo adventui, quia non apparebit ut judicetur , sed ut judicet remunerans pro meritis. Unde dicit, quod apparebit. Et quidem licet omnibus, etiam his qui eum pupugerunt secundum carnem, tamen secundum divinitatem solum electis, *Expectantibus se* per fidem, *In salutem* eorum. (*Ps.* 30.) *Beati omnes , qui expectant eum.* (*Phil.* 3.) *Salvatorem expectamus Dominum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.*

CAPUT X.

Probatur vetus testamentum non potuisse a maculis peccatorum hominem abluere , cujus ratio, et ratione, et scripturæ testimonio fulcitur.

1. *Umbram enim habens lex , futurorum bonorum, ipsam imaginem rerum, per singulos annos eisdem ipsis hostiis quas offerunt indesinenter , numquam potest accedentes perfectos facere.*
2. *Alioquin cessassent offerri, ideo quod nullam haberent ultra conscientiam peccati cultores semel mundati.*
3. *Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit.*
4. *Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata.*

5. *Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.*

6. *Holocaustomata et pro peccato, non tibi placuerunt.*

7. *Tunc dixi: ecce venio: In capite libri scriptum est de me: ut faciam Deus voluntatem tuam.*

8. *Superius dicens, quia hostias, et oblationes, et holocaustomata et pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ sēcundum legem offeruntur.*

9. *Tunc dixi: ecce venio ut faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, ut sequens statuat.*

10. *In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Christi Jesu semel.*

11. *Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie ministrans, et easdem sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata.*

12. *Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei.*

13. *De cætero expectans, donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.*

14. *Una enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos.*

15. *Contestatur autem nos et Spiritus Sanctus. Postquam enim dixit:*

16. *Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, et in mentibus eorum superscribam eas.*

17. *Et peccatorum, et iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.*

18. *Ubi autem horum remissio; jam non est oblatio pro peccato.*

Supra Apostolus consideratis his, quæ aguntur in utroque testamento, ostendit præeminentiam novi testamenti ad vetus, hic probat unum quod supponit, sc. quod vetus non poterat mundare peccata. Et hoc est ultimum illorum quinque, quæ præmiserat de Christo. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit defectum veteris testamenti circa abolitionem culpæ. Secundo ex hoc comparat sacerdotem novi testamenti ad sacerdotem veteris testamenti, ibi: *Omnis quidem sacerdos.* Iterum prima in duas. Primo enim proponit, quod intendit. Secundo probat per auctoritatem scripturæ, ibi: *Ideo ingrediens mundum.* Item prima in duas. Primo enim proponit intentum suum. Secundo probat, ibi: *Alioquin cessassent.* Circa primum sciendum est, quod Apostolus ex conditione et ritu veteris legis concludit ipsum defectum. Per peccatum autem fit privatio futurorum bonorum, et ideo quasi illud peccatum pertineat ad bona futura, sc. cælestia. Ad illa bona se habet lex vetus sicut umbra ad corpus, sed nova lex sicut imago. Umbra autem et imago quantum ad hoc conveniunt quod utrumque repræsentat, sed umbra in communi: et quantum ad naturam speciei; imago vero in particulari, et quantum ad naturam individui, et in speciali. Sic etiam nova lex quantum ad bona futura repræsentat expressius, quam vetus. Primo quia in verbis novi testamenti fit expressa mentio de bonis futuris et promissio, non autem in veteri, sed tantum de carnalibus. Secundo quia virtus novi testamenti consistit in charitate, quæ est plenitudo legis. Et ista charitas licet sit imperfecta, [illegible] tione fidei cui inhaeret, [illegible] similis charitati [illegible] Unde nova lex dicitur lex [illegible] imago, quia [illegible]

pressam bonorum futurorum. Sed lex vetus illam repræsentat per quædam carnalia, et valde a remotis. Et ideo dicitur umbra. (*Col.* 2.) *Quæ sunt umbra futurorum.* — *Hæc est ergo conditio veteris testamenti, quod habet umbram futurorum, non rerum imaginem.* Ritus autem erat, quod per singulos annos offerebant in festo expiationis easdem hostias, sc. sanguinem hircorum et taurorum pro eodem, sc. pro peccato, sicut patet (*Lev.* 23.) Ex his duobus concludit intentum, sc. quod *Lex habens umbram futurorum bonorum, non rerum imaginem, non potest facere perfectos accedentes*, sc. pontifices, *Eisdem hostiis, quas offerunt indesinenter*, id est, per singulos annos. (*Supra* 7.) *Neminem ad perfectum adduxit lex.* Sed ista perfectio reservatur novæ legi, quæ consistit in charitate, quæ est vinculum perfectionis. (*Col.* 2.) Ideo dicitur (*Matth.* 2.) *Estote ergo perfecti.*

Deinde cum dicit : *Alioquin cessassent*, probat ex duobus intentum : et primo ex ritu : secundo ex conditione oblatorum, ibi : *Impossibile enim.* Ad probandum autem quod lex non mundabat perfecte, assumit duo. Primum est quod in ipsa fiebat frequens reiteratio earumdem hostiarum, et est ratio talis : *Cultores si fuissent per easdem hostiæ semel mundati, quia non haberent ultra conscientiam peccati, cessassent offerre*, et si cessassent, non offerre indigerent. Tunc autem non cessabant, quia ut dictum est, per singulos annos easdem hostias offerebant. Quia ergo non cessabant idem semper offerre, signum est quod non mundabantur. (*Matth.* 9.) *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Sed contra quia posset dici : quod ratio non est efficax. Posset enim dici, quod mundabat illa oblatio a præteritis, non a futuris, et ideo quia frequenter peccabant, oportebat frequenter iterari oblationem. Respondeo : dicendum est, quod modus loquendi Apostoli hoc excludit : quia cum peccatum sit quoddam spirituale, quod opponitur cælesti, oportet illud per quod mundatur peccatum, esse spirituale et cæleste, et per consequens habere virtutem perpetuam. Unde supra loquens de virtute sacrificii Christi, attribuit ei virtutem perpetuam, dicens, æterna redemptione inventa. Quod autem habet virtutem perpetuam sufficit ad committenda, et commissa, et ideo non oportet ipsum amplius iterari. Unde Christus una oblatione mundavit in æternum sanctificatos, sicut dicitur infra. Item hoc quod hic dicitur, quod non iteretur, contra, quia nos quotidie offerimus. Respondeo : dicendum est, quod non offerimus aliam quam illam quam Christus obtulit pro nobis, sc. sanguinem suum. Unde non est alia oblatio, sed est commemoratio illius hostiæ quam Christus obtulit. (*Matth.* 26.) *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundum quod præmittit est, quia in veteri testamento fiebat commemoratio per singulos annos de peccatis suis et populi, ergo non erant abolita. Unde dicit, quod *In ipsis fit commemoratio, etc.* quod verum est. In generali enim fiebat mentio de peccatis, sc. quod erat conscius peccati, sed in speciali fit mentio in novo. (*Jacob.* 5.) *Confitemini alterutrum peccata vestra.*

Deinde cum dicit : *Impossibile est enim, etc.* probat idem ex conditione oblatorum. Solemnius enim quod erat inter ipsa, erat oblatio hircorum et vitulorum, quæ fiebat in die expia-

Et cum ista esset quædam re-
ntatio obscura et imperfecta cæ-
n, sicut umbra, *Impossibile est*
ine istorum auferri peccatum.
verum est propria virtute. Sed
ui dimittebantur, hoc erat vir-
sanguinis Christi, qui in illo
;urabatur. (*Jer.* 11.) *Numquid*
; *sanctæ auferent a te malitius*
in quibus gloriata es? Quasi di-
Non.
nde cum dicit: *Ideo ingrediens*
um, etc. inducit auctoritatem
uræ, et circa hoc facit duo.
, enim ponit eam. Secundo ex-
eam, ibi: *Superius dicens.* Ista
ritas potest dividi in duas se-
ım Gloss. quia primo agit de
ıatione Christi præfigurata in le-
ıs. Secundo de passione Christi,
Tunc dixi. Tamen secundum in-
nem Apostoli potest aliter dici,
primo tangit illud, quod per-
ad reprobationem veteris testa-
. Secundo, illud quod pertinet
:eptionem novi testamenti, ibi:
dixi. Ista autem auctoritas con-
Christo secundum quod ingre-
in mundum, ergo quia illa non
ant auferre peccata, ideo *Fi-*
Dei ingrediens in mundum, dicit.
'a, quia dicitur, (*Joan.* 1.) *In*
'o erat. Respondeo: dicendum
quod verum est, quod erat in
lo, quasi regens totum inquan-
dicitur esse in omnibus per es-
ım, præsentiam, et potentiam,
st extra mundum, quia a mundo
comprehenditur, sed habet boni-
ı separatam a toto mundo, a quo
ıtur bonitas universi. Sed quia
ter nos factus est humanæ naturæ
ositum, dicitur ingredi in mun-
propter ejus assumptionem, si-
(*Supra* 1.) *Cum iterum intro-*
primogenitum in orbem terræ,
etc. Ingrediens ergo in mundum dicit.
Sed quid dicit? *Hostiam et oblationem*
noluisti. Ponit autem quatuor, quæ
erant in veteri testamento, quia sa-
crificium, aut erat de inanimatis, puta
pane vel thure, et tunc dicebatur
oblatio. Vel de animatis, et tunc vel
ad placandum Deum, et dicitur holo-
caustum, quod erat dignissimum,
quia totum comburebatur et cedebat
in honorem Dei. Aut erat pro emun-
datione peccati, et dicitur sacrificium
pro peccato. Et istud habebat dupli-
cem partem, quia una pars combure-
batur in altari, altera cedebat in usum
ministrorum. Aut erat pro beneficiis
Dei, et istud minus dignum, quia
tantum tertia pars comburebatur,
et dabatur ministris una, alia offe-
rentibus. Et istud dicitur sacrificium
pacificorum. Istis omnibus in novo
testamento respondet oblatio corporis
Christi, quia per corpus Christi
placatus est Deus, sc. in oblatione
ipsius in cruce. (*Rom.* 5.) *Cum ini-*
mici essemus reconciliati sumus Deo
per mortem filii ejus. Item per ipsum,
ablatum est peccatum. (1 *Pet.* 3.)
Christus semel pro peccatis nostris
mortuus est. Item per ipsum intro-
ducimur in bona æterna, et promo-
vemur ad beneficia Dei. Dicit ergo:
Hostiam, sc. *sacrificium, et oblatio-*
nem noluisti. Et interponit post: *Cor-*
pus autem aptasti mihi, id est, aptum
fecisti immolationi. Et hoc quantum
ad duo. Primo quia fuit purissimum,
ut deleret omne peccatum. (*Exod.* 12.)
Erit agnus absque macula. Item quia
fuit passibile, ut posset immolari.
(*Rom.* 8.) *Misit Deus filium suum in*
similitudinem carnis peccati. Istud
autem corpus est vera hostia et vera
oblatio. (*Ephes.* 5.) *Tradidit semetip-*
sum pro nobis oblationem et hostiam
Deo in odorem suavitatis. — *Holo-*

caustomata et pro peccato non tibi placuerunt. Majus est placere quam velle, quia illa placent quæ in se habent aliquid ut ea velimus. Volumus autem aliquando aliqua non propter se, sed propter aliud. Quia ergo holocausta digniora erant, de quibus tamen dicit, quod non placuerunt, ergo multo minus alia. Sed contra, quia (*Lev.* 1.) dicitur quod adolebat ea sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. Præterea si noluit ea, quare præcepit hæc sibi offerri. Respondeo : dicendum est quod hoc, quod Deus dicit illa nolle, potest dupliciter intelligi. Uno modo, quod non vult ea pro tempore isto, in quo adveniente veritate cessat umbra, unde modo peccaret qui ea offerret. Alio modo quod non vult ea propter peccata offerentium. (*Is.* 1.) *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Tertia responsio ad quam Apostolus tendit, est, quia ista numquam secundum se placuerunt Deo, nec accepta fuerunt, sed propter duo dicuntur accepta. Primo quia erant figura Christi, cujus passio Deo accepta fuit. Non enim delectabatur in occisione animalium, sed in fide passionis ejus. Omnia enim in figura contingebant illis. (1 *Cor.* 10.) Secundo ut nos ab idololatria revocaret per ista sacrificia : unde in prima legis datione nulla fit mentio de sacrificiis, sed tantum postquam fecerunt vitulum. Unde (*Jer.* 7.) Non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustorum et victimarum.

Deinde cum dicit : *Tunc dixi, etc.* prosequitur de approbatione novi testamenti, et secundum Gloss. sic legitur, *Tunc*, sc. quando aptasti corpus mihi, sc. in conceptione dixi : *Ecce venio*, id est, venire proposui, sc. ad passionem. (1 *Joan.* 5.) *Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus.* Vel melius est, quod referatur ad adventum in mundum sic, *Tunc*, sc. quando holocausta non placuerunt tibi, *Dixi venio* per incarnationem. (*Joan.* 16.) *Exivi a patre, et veni in mundum.* Et hoc ut offerrem me ad passionem. Et ideo dicit : *Ecce.* Sed numquid istud sacrificium erit acceptum ? Certe sic, quia *In capite libri scriptum est de me.* Iste liber est Christus secundum humanam naturam, in quo scripta sunt omnia necessaria homini ad salutem. (*Is.* 8.) *Sume tibi librum grandem.* Caput autem Christi est Deus. (1 *Cor.* 11.) *In capite libri*, id est in ordinatione Dei qui est caput Christi, qui est liber : scriptum est quod filius Dei incarnari deberet et mori. Vel liber, id est, psalterium, cujus primus psalmus est de Christo. Vel melius liber vitæ, qui nihil aliud est quam notitia, quam Deus habet de prædestinatione sanctorum, qui salvantur per Christum. Ergo in isto libro scriptum est de me, quia sancti per me prædestinati sunt. (*Ephes.* 1.) *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* (*Rom.* 8.) *Quos præscivit et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Si ergo prædestinatio dicitur liber, manifestum est quod Christus caput est libri. (*Apoc.* 21.) *Qui non sunt scripti in libro vitæ agni.* Qui simpliciter est prædestinatus. (*Rom.* 1.) *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Ergo in capite libri, id est, in me, secundum divinam naturam, scriptum est de me secundum naturam humanam, *Ut faciam voluntatem* sc. *tuam*, id est, hoc præordinatum est, ut per gratiam tuam faciam voluntatem tuam offerendo meipsum

edemptionem humani generis. inde cum dicit : *Superius di-*, exponit auctoritatem præmis- et circa hoc facit duo. Primo assignando ordinem dicendorum differentiam inter novum et ve- testamentum. Secundo exponit aliter quoddam suppositum in ritate, ibi : *In qua voluntate.* m est autem, quod duo tangeban- ı auctoritate allegata. Unum, quod net ad reprobationem veteris nenti. Aliud autem ad approba- m novi testamenti. Reprobatur ı vetus testamentum dupliciter, quia Deus sacrificia ejus non tum quia sibi non placent, et avid propheta. *Dicens superius,* t, in principio, et quid dicit ? *hostias et oblationes, et holo- omata, et pro peccato noluisti.* .) *Holocaustum arietum, et adi- pinguium, et sanguinem vitulo- et agnorum et hircorum, nolui, ·era.*— *Noluisti*, verum est se- ım se. *Nec placita sunt tibi, secundum legem offeruntur*, id in his non delectaris. (*Ps.* 50.) *austis non delectaberis*, nisi quia figura, vel inquantum per ipsa ıebantur ab idololatria. Hoc ergo) dicens subjungit. *Tunc dixi*, sc. lo carnem aptasti mihi ad pas- m, vel quando ista non placue- *Ecce venio,* vel ad incarnationem l passionem, sed ad quid ? *Ut n voluntatem tuam.* (*Joan.* 6.) *ndi de cœlo, ut faciam volunta- jus qui misit me.* (*Joan.* 4.) *Meus est, ut faciam voluntatem ejus ıisit me.* Propheta ergo hoc di- : *Aufert primum ut sequens sta-* In quo ostendit differentiam ve- et novi testamenti, quia loquens ɔteri dicit, quod non vult, nec ıt Deo, sc. secundum se. Ergo auferuntur, sed quando de novo loquitur, dicit quod vult, quia ad hoc venio ut faciam voluntatem tuam. Ergo novum statuitur, id est, firmatur esse secundum voluntatem Dei. (*Lev.* 16.) *Vetera novis supervenientibus projicietis.*

Deinde cum dicit : *In qua voluntate,* exponit illud quod dixerat de voluntate Dei, ad quam implendam venit Christus, sc. quæ sit illa voluntas. Hæc autem est sicut dicitur (1 *Thess.* 4.) *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*, ideo dicit : *In qua voluntate sanctificati sumus*, et hoc, *Per oblationem corporis Christi Jesu,* sc. factam. (*Ephes.* 1.) *Obtulit semetipsum oblationem et hostiam Deo.* Et hoc, *Semel.* (1 *Pet.* 3.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.*

Deinde cum dicit : *Et omnis quidem sacerdos,* ostendit comparationem sacerdotis novi, et veteris testamenti. Sciendum autem, quod in lege erant duo solemnia sacrificia. Unum in die expiationis, quod fiebat per solum summum pontificem, de quo multa jam dicta sunt. Aliud erat juge sacrificium, in quo unus agnus offerebatur in mane, et alius in vespere, de quo (*Num.* 28.) De isto etiam intendit hic Apostolus, et circa hoc tria facit. Primo enim ponit illud quod pertinet ad sacerdotem veteris testamenti. Secundo ponit illud quod pertinet ad sacerdotem novi. Tertio confirmat per auctoritatem. Secundum, ibi : *Hic autem unam.* Tertium, ibi : *Contestatur autem.* Dicit ergo. Omnis sacerdos, etc. Dicit, *Omnis,* ad differentiam sacrificii expiationis, quod tantum per summum sacerdotem fiebat, sed in isto, *Omnis sacerdos præsto est*, tota die ministrans, et sæpe offerens easdem hostias, quia

semper offerebat agnum. *Quæ*, sc. hostiæ feriales, *Non poterant auferre peccata*, quia iterabantur. (*Jer.* 11.) Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas in quibus gloriata es? Per istud juge sacrificium figuratur Christus, et æternitas ejus qui est agnus immaculatus.

Deinde cum dicit: *Hic autem unam pro peccatis*, ostendit illud quod pertinet ad sacerdotium Christi. Et circa hoc facit duo. Primo enim ponit intentum. Secundo assignat rationem, ibi: *Una enim*. Dicit ergo: *Hic autem*, scilicet Christus, *Offerens unam hostiam pro peccatis*, auferentem, sc. peccata. Illa vero vetus lex multas offerebat hostias non expiantes peccata: hic ergo, sc. Christus, offerens unam hostiam, quia semel pro peccatis nostris semetipsum obtulit, *Sedet*, non tanquam minister sicut sacerdos legalis qui semper præsto est, sed tanquam Dominus. (*Ps.* 109.) *Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.* (*Matth. ult.*) *Sedet a dextris Dei.* — *In dextera Dei* patris, quantum ad æqualitatem potestatis secundum divinitatem, sed in potioribus bonis secundum humanitatem. (*Supra* 1.) *Sedet ad dexteram majestatis, etc.* Et hoc, *In sempiternum.* Non enim iterum morietur, quia Christus resurgens ex mortuis, etc. (*Rom.* 6. *Dan.* 7.) *Potestas ejus, potestas æterna.* — *De cætero expectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus.* Ista expectatio non innuit aliquam anxietatem in Christo, sicut in hominibus. Spes quæ differtur affligit animam, ut dicitur (*Prov.* 13.) Sed designat voluntatem miserendi, quam Deus habet erga nos. (*Is.* 30.) *Expectat Dominus, ut misereatur nostri.* Subjiciuntur ergo pedibus ejus, id est humanitati Christi aliqui volentes, et in hoc salus ipsorum consistit, sc. in faciendo voluntatem ejus. (*Exod.* 10.) *Usquequo non vis mihi subjici?* Sed mali, nolentes ipsi subditi sunt, quia etsi voluntatem ejus per se non implent, tamen de ipsis impletur quantum ad opus justitiæ. Et sic omnia sunt ei subjecta aliquo istorum modorum. (*Ps.* 8.) *Omnia subjecisti sub pedibus ejus.*

Deinde cum dicit: *Una enim oblatione*, assignat rationem, sc. quare sedet tanquam Dominus, et non tanquam minister, sicut sacerdos legalis, quia ille per hostiam unam non auferebat peccata, et ideo oportebat plures alias offerre et frequenter. (*Supra.* 5.) Omnis enim pontifex ad offerenda munera et hostias constituitur: sed hostia, quam Christus obtulit, aufert omnia peccata. (*Supra* 9.) *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Et ideo dicit: quod *Una oblatione consummavit*, id est, perfecit, quod fecit reconciliando et conjungendo nos Deo tanquam principio. *Sanctificatos in sempiternum*, quia hostia Christi, qui Deus est et homo, habet virtutem æternam sanctificandi. (*Infra.* 13.) *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum, et cætera.* Per Christum enim perficimur, et conjungimur Deo. (*Rom.* 5.) *Per quem accessum habemus ad Deum.*

Deinde cum dicit: *Contestatur autem*, confirmat quod dixerat per auctoritatem, quæ sumpta est ex (*Jer.* 31.) quæ quia supra octavo exposita est, ad præsens intermittatur. Et tamen potest dividi in duas partes. Primo ponit auctoritatem. Secundo ex ea arguit, ibi: *Ubi autem horum remissio.* Et facit talem rationem, in novo testamento remittuntur peccata per oblationem Christi, quia in remissionem

ıtorum effusus est sanguis Chris-
'go in novo testamento, in quo
ıta et iniquitates remittuntur, ut
m est in auctoritate. *Non est*
:o pro peccato, supple, amplius
iteranda. (*Matth.* 9.) *Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.* Ubi ergo est horum remissio, et cætera. Fieret enim injuria hostiæ Christi.

LECTIO 2.

:, ut fide, spe, et charitate inhæreamus sacerdotio Christi, cujus excellentia, et dignitas iterum declaratur.

ıbentes itaque fratres fiduciam
introitu sanctorum in sanguine
'isti.
uam initiavit nobis viam novam et
ntem per velamen, id est carnem
m.
: sacerdotem magnum super do-
n Dei.
ccedamus cum vero corde in ple-
dine fidei, aspersi corda a cons-
tia mala, et abluti corpus aqua
ıda.
meamus spei nostræ confessio-
indeclinabilem : fidelis enim est,
repromisit.
: consideremus invicem in provo-
nem charitatis, et bonorum ope-
.
m deserentes collectionem nos-
ı sicut consuetudinis est quibus-
, sed consolantes, et tanto magis
ıto videritis appropinquantem
t.

quam ostendit Apostolus mul-
m eminentiam sacerdotii Christi
tu sacerdotii legalis, hic juxta
tudinem suam concludit, monen-
d isti sacerdotio fideliter inhæ-
n est. Hoc enim semper supra fe-
od post commendationem ponit
itionem, quia ad hoc susceperat
ndare gratiam Christi, ut alliciat
obediendum Christo, et rece-
n a ceremonialibus legis. Circa
'go duo facit, quia primo po-
nit monitionem, secundo assignat rationem, ibi : *Voluntarie enim.* Sciendum est autem circa primum quod duo dixerat de sacerdotio Christi, sc. virtutem ritus ejus, quia per proprium sanguinem. Item dignitatem ipsius, quia pontifex in æternum. Et ideo in monitione sua, resumit ista duo. Unde monendo, quod fideliter obediendum est Deo Christo. Primo ponit illa duo. Secundo ponit suam monitionem, ibi : *Accedamus cum bono corde.* Item prima in duas, quia primo resumit ritum sacerdotii ejus : secundo dignitatem, ibi : *Et sacerdotem magnum.* Dicit ergo : *Itaque fratres*, sc. per mutuam charitatem. *Habentes fiduciam in introitu, etc.* (*Ephes.* 3.) *In quo habemus fiduciam et accessum in confidentia, etc.* (*Exod.* 15.) *Introduces eos, et plantabis in monte hæreditatis tuæ firmissimo habitaculo, etc.* (*Ps.* 121.) *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* Et hoc *In sanguine Christi*, quia hic est sanguis novi testamenti, id est, novæ promissionis, sc. cælestium. Sed quomodo habeamus fiduciam introeundi, ostendit, quia Christus per suum sanguinem *Initiavit*, id est, inchoavit, *Novam viam nobis.* (*Mich.* 2.) *Ascendit pandens iter ante eos.* (*Joan.* 14.) *Si abiero et præparavero vobis locum, etc.* (*Is.* 35.) *Sancta via vocabitur, et pollutus non transibit*

per illam. Hæc est ergo via eundi in cælum. Et est *Nova*, quia ante Christum nullus invenit eam, quia nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo. (*Joan.* 3.) Et ideo qui vult ascendere, debet ipsi tanquam membrum capiti suo adhærere. (*Apoc.* 2.) *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*. Et c. 3. *Et scribam super eum nomen novum, et nomen civitatis novæ Jerusalem*, quia sc. de novo introducuntur. *Viventem*, id est, semper perseverantem, in quo apparuit virtus deitatis, quia semper vivit. Sed quæ sit ista via ostendit subdens : *Per velamen*, id est, carnem suam. Sicut enim sacerdos per velum intrabat in sancta sanctorum, ita si volumus intrare sancta gloriæ oportet intrare per carnem Christi, qui fuit velamen deitatis. (*Is.* 45.) *Vere tu es Deus absconditus*. Non enim sufficit fides de deitate, si non adsit fides de incarnatione. (*Joan.* 14.) *Creditis in Deum, et in me credite*. Vel per velamen, id est, per carnem suam datam nobis sub velamento speciei panis in sacramento. Non enim proponitur nobis sub specie propria propter horrorem, et propter meritum fidei.

Consequenter commendat dignitatem sacerdotis, cum dicit : *Et sacerdotem magnum*, qui sc. nobis initiavit viam, quasi dicat : Habentes fiduciam intrandi per sacerdotem, sc. Jesum. (*Ps.* 109.) *Tu es sacerdos in æternum*. Qui dicitur magnus, quia sacerdotium ejus non est tantum super unum populum, sicut Aaron, sed *Super domum Dei* totam, sc. ecclesiam militantem et triumphantem. (1 *Tim.* 3.) *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est ecclesia*. Et dicit super, quia Moyses fuit fidelis in omni domo, tanquam famulus (*Num.* 12.) Sed Christus super totam domum, sicut filius, qui est dominus omnium. (*Matth. ult.*) *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra*. De hoc etiam (*Supra* 3.)

Deinde cum dicit : *Accedamus*, ponit monitionem suam, ut sc. ex quo talis et tantus est, fideliter est ei adhærendum, quod fit tribus modis, sc. per fidem, spem, et charitatem. (1 *Cor.* 13.) *Nunc autem manent fides, spes, charitas*. Primo ergo monet ad ea, quæ sunt fidei. Secundo ad ea, quæ sunt spei, ibi : *Teneamus spei*. Tertio ad ea, quæ sunt charitatis, ibi: *Et consideremus*. Sed quantum ad primum duo sunt necessaria, sc. ipsa fides, quia sine fide impossibile est placere Deo. Et fidei sacramentum. Quantum ad primum dicit : *Accedamus* ad ipsum, *Cum vero*, non ficto, *Corde*. (4 *Reg.* 20. *et Is.* 38.) *Memento quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto*. Hoc autem fit quando opus concordat cordi. *Accedamus etiam in plenitudine fidei*. (*Infra* 11.) *Accedentem ad Deum oportet credere, etc.* Nec sufficit qualiscumque fides, sed requiritur fides plena, quod fit duobus modis, sc. et quantum ad materiam fidei, ut credantur omnia, quæ proponuntur ad credendum, et quod sit fides formata, quod est per charitatem. (*Rom.* 15.) *Plenitudo enim legis est dilectio*. Quantum ad sacramentum fidei dicitur : *Aspersi corda* vestra, quod alludit ei, quod dicitur (*Num.* 19.) Ubi ponitur ritus vitulæ rufæ, de cujus aqua aspergebatur mundandus die tertio, sed die septimo alia aqua lavabatur corpus ejus, et vestimenta. Per aspersionem aquæ vitulæ rufæ figurabatur passio Christi, quia die tertia, sc. in fide Trinitatis in baptismo mundamur a peccatis. Et quantum ad hoc

aspersi corda, non corpora. ,12.) *Accessistis ad sanguinis as-ıem.* Aspersi ergo corda non a nortui, sicut per aquam vitulæ ;ed *A conscientia mala.* De ablu-ıutem, quæ fiebat septima die, *Et abluti corpus aqua munda.* nim in baptismo operatur tan-irtus passionis, sed etiam in-ntur in ipso dona Spiritus Sanc-de in septima die, id est, in ıdine donorum Spiritus Sancti, homo abluitur intus et extra ab peccato tam actuali quam ori-quod est quasi corporale, quia ipsum contrahit per unionem nem fœdam. Dicitur autem Spi-ıanctus aqua quia mundat. (*Act.*3) *urificans corda ipsorum.* (*Ezech.* *'ffundam super vos aquam mun-et mundabimini ab omnibus in-mentis vestris, et ab universis vestris mundabo vos.* (*Zach* 13) *'ons patens domui David, et ha-ıibus Jerusalem, in ablutionem ıoris et menstruatæ.* (*Tit.* 3.) *ıvacrum regenerationis et reno-ıis Spiritus Sancti.* Et in hujus m super Christum baptizatum ndit Spiritus Sanctus in corpo-ıecie.

inde cum dicit : *Teneamus spei æ*, ponit illud quod pertinet ad . Et circa hoc facit duo. Primo hortatur ad spei certitudinem. ıdo subdit rationem, ibi : *Fides est quæ.* Sciendum est autem, per fidem Christi datur nobis salutis æternæ, et introitus in m. (1 *Pet.* 1.) *Regeneravit nos in vivam.* Unde dicit : *Teneamus,* n dicit spem, sed *Spei nostræ ssionem,* quia non sufficit habere in corde, sed etiam oportet con-ore. (*Rom.* 10.) *Corde creditur stitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Item oportet confiteri eam non solum verbo, sed etiam factis, contra quosdam, de quibus (*Tit.* 1.) *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Fit autem ista confessio per opera, per quæ tenditur ad res speratas. (*Apoc.* 3.) *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* — *Indeclinabilem,* id est, ut ab ista confessione non declinemus, neque per prospera, neque per adversa. (*Ps.* 124.) Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem. (*Is.* 30.) *Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.* Et ratio hujus est, quia *Ille qui repromisit, est fidelis*, et ideo mentiri non potest. (*Ps.* 104.) *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* (*Deut.* 32.) *Deus fidelis, et absque ulla iniquitate.*

Consequenter cum dicit : *Et consideremus, etc.*, ponit illud quod pertinet ad charitatem, et circa hoc facit tria. Primo enim facit, quod dictum est. Secundo removet contrarium charitati, ibi : *Non deserentes.* Tertio assignat rationem ex congruitate temporis, ibi : *Et tanto magis, etc.* Circa primum sciendum est, quod licet charitas principaliter inhæreat Deo, tamen manifestatur per charitatem proximi. (1 *Joan.* 4.) *Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere ?* Ergo ad charitatem pertinet, quod diligatur proximus. Ideo dicit : *Consideremus invicem,* ut sc. ea, quæ proximi sollicite faciamus. (*Eccl.* 17.) *Et unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Sed quia aliqui ea, quæ sunt proximi considerant zelo invidiæ, aliqui vero zelo odii. Contra quos dicitur (*Prov.* 24.) Ne quæras impietatem in domo justi, ideo dicit : *In pro-*

vocationem charitatis, id est, ut provocemus eos ad charitatem. (*Rom.* 11.) Quandiu Apostolus Gentium sum, ministerium meum honorificabo, si quo modo ad æmulandum provocem carnem meam, et salvos faciam aliquos ex illis. Ista autem provocatio procedit ex dilectione, quæ extenditur ad opus exterius. (1 *Joan.* 3.) *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate*. Sicut enim dicit Greg. Non est amor Dei otiosus. Operatur enim magna si est. Si autem operari renuit, amor non est. Probatio ergo dilectionis, exhibitio est operis. Ideo subdit: *Et bonorum operum.* (*Col.* 1.) *In omni opere bono fructificantes.*

Deinde removet contrarium charitati, cum dicit : *Non deserentes, etc.* Quia enim charitas est amor, proprium autem amoris est unire, quia ut dicit Dionys. Amor est vis unitiva, (*Joan.* 17.) *Ut sint unum sicut et nos unum sumus, et cognoscat mundus, quia dilexisti eos sicut et me dilexisti.* Ideo recedere ab invicem, est directe oppositum charitati. Et ideo dicit : *Non deserentes collectionem nostram*, sc. ecclesiæ, quam aliqui deserunt tripliciter, sc. propter persecutiones apostantes a fide. Et isti significantur per illos, de quibus dicitur (*Joan.* 6.) Quod abierunt retro, et jam cum illo non ambulabant. (*Matth.* 13.) *Facta tribulatione et persecutionibus propter verbum continue scandalizantur.* (*Luc.* 8.) *Ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.* Secundo mali prælati, qui dimittunt oves in periculo. (*Joan.* 10.) *Mercenarius fugit, quia mercenarius est.* Aliqui vero ex superbia, quia cum possent esse utiles ad regendum, cum nota superbiæ ab aliis se separant. (*Judæ* 1.) *Hi sunt qui segregant se ab aliis, animales, spiritum non habentes.* Quasi sub specie majoris perfectionis. Et forte tales erant in tempore illo. Ideo sequitur: *Sicut consuetudinis est quibusdam.* Contra quos dicitur (1 *Cor.* 11.) *Si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus in ecclesia Dei.* Sed quid debent facere, subdit. *Sed consolantes*, quasi dicat. Si videas, quod socius tuus male se habet, non deseras eum, sed consolare, non sicut illi qui deserunt collectionem, de quibus dicit: Sicut est consuetudinis quibusdam, etc.

Consequenter cum dicit : *Et tanto magis*, assignat causam hujus. Posset enim aliquis dicere, quare debemus nos in fide proficere, quia motus naturalis quanto plus accedit ad terminum, magis intenditur. Contrarium est de violento. Gratia autem inclinat in modum naturæ, ergo qui sunt in gratia quanto plus accedunt ad finem, plus debent crescere. Et ideo dixit: Non deserentes sicut quidam, sed consolantes. Et hoc, *Tanto magis quanto videritis appropinquantem diem*, id est terminum. (*Rom.* 13.) *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* (*Prov.* 4.) *Justorum semita, quasi lux splendens proficit, et crescit usque ad perfectum diem.*

LECTIO 3.

Ne irritam faciant ejus monitionem, minatur frustra sacrificari peccantibus, ac eos futuri judicii horrore deterret.

26. *Voluntarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*
27. *Terribilis autem quædam expectatio judicii et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.*
28. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus vel tribus testibus moritur.*
29. *Quanto magis putatis, deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et spiritui gratiæ contumeliam fecerit?*
30. *Scimus enim qui dixit: Mihi vindictam, et ego retribuam. Et iterum, quia judicavit Dominus populum suum.*
31. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.*

Supra Apostolus posita commendatione excellentiæ sacerdotii Christi, et subjuncta admonitione ut illius sacerdotio adhæreant per fidem et charitatem, hic probat monitionem suam per rationem. Et hoc facit dupliciter, primo terrendo, secundo demulcendo, ibi: *Rememoramini autem pristinos dies.* Circa primum duo facit: quia primo terret eos ad observandum monitionem suam propter subtractionem remedii: secundo propter expectationem judicii, ibi: *Terribilis autem.* Dicit ergo: voluntarie, etc. Quod dupliciter exponitur. Uno modo secundum Gloss. quæ videtur facere differentiam inter peccantes volentes et voluntarie, ita quod volens peccat, qui quasi passione ductus consentit in peccatum, de quo ante non cogitavit: voluntarie autem qui ex certa malitia, cujus voluntas prona est ad peccandum, ut statim cedat. (*Jer.* 8.) *Omnes conversi sunt ad cursum suum quasi equus vadens impetu ad prælium, nec postea pœnitet.* (*Prov.* 2.) *Lætantur cum malefecerint, et exultant in rebus pessimis.* Ergo *Voluntarie peccantibus*, id est, in voluntate peccandi permanentibus. Et exaggerando subdit: *Post acceptam notitiam veritatis.* (2 *Pet.* 2.) *Melius erat illis viam justitiæ non agnoscere, quam post agnitionem retrorsum converti.* — *Jam non relinquitur hostia pro peccatis*, id est, hostia quam Christus obtulit pro remissione peccatorum, non est nobis utilis, quia illis dimittuntur peccata, qui de ipsis pœnitent. (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur*, sc. efficaciter, sed de malis dicitur (*Is.* 49.) *In vacuum laboravi sine causa, et vane fortitudinem meam consumpsi.* (*Jer.* 6.) *Frustra conflavit conflator, malitiæ ejus non sunt consumptæ.* Sed melius potest dici, et secundum intentionem Apost. quia secundum August Liberum arbitrium habet multiplicem statum, quia in statu extra gratiam antequam reparetur per gratiam, non est in potestate nostra peccare mortaliter vel non peccare, et hoc propter præconceptionem finis, et habitum inclinantem: quod quidem verum est secundum magnum tempus, sed per aliquam moram, si operetur ex præmeditatione, potest vitare hoc peccatum vel illud. Sed

postquam per gratiam reparatus est homo omnino, in potestate ejus est vitare peccatum mortale, et etiam veniale in particulari, non autem omnino in universali, et hoc est propter auxilium gratiæ salvantis. Et ideo dicit : *Nobis peccantibus voluntarie post acceptam notitiam veritatis,* id est, post acceptam gratiam, per quam habetur notitia peccati, quia ante notitiam peccati peccatum nostrum a Deo nobis non imputatur. Unde quasi dicitur ipsum ignorare, quia non imputat nobis. Sed post, *Jam non est pro peccatis hostia ;* ante enim reparationem, quæ facta est per Christum, relinquebatur hostia ista, quæ expectatur, sed nunc jam non expectatur alia mors ejus, ita nec post baptismum semel acceptum expectatur alius baptismus.

Deinde cum dicit : *Terribilis autem,* deterret expectatione divini judicii. Et circa hoc duo facit : primo enim terret, secundo subdit rationem, ibi : *Irritam quis faciens.* Sic ergo dictum est, quod non relinquitur ultra hostia. Quid ergo ? Illud quod supra dictum est 9 cap. quod post mortem est judicium. (*Job.* 19.) *Scitote esse judicium.* Istius judicii expectatio est valde terribilis, tum propter conscientiam peccatorum. (*Jac.* 3.) *In multis offendimus omnes* ; tum etiam propter imperfectionem justitiarum nostrarum. (*Is.* 64.) *Justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ.* (*Ps.* 118.) *A judiciis tuis timui.* (*Abac.* 3.) *Audivi et conturbatus est venter meus.* Est afflictiva. Unde dicit : Et ignis æmulatio, id est pœna ignis, quæ infligitur ex zelo et æmulatione divinæ justitiæ. (*Exod.* 20.) *Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes, etc.* zelus autem est amor sponsi. Sicut ergo sponsus non parcit sponsæ malæ, sic nec Deus animæ peccatrici. (*Prov.* 6.) *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Sequitur: *Quæ consumptura est adversarios.* (*Ps.* 96.) Ignis ante ipsum præcedet et inflammabit in circuitu inimicos ejus, quia ignis qui præcedet faciem judicis, corpora viventium incinerabit, et reprobos detrudet in infernum, et corpora eorum consumet, non (1) totaliter consumendo, sed in perpetuum cruciando.

Consequenter cum dicit : *Irritam quis faciens,* probat quod dixerat de terrore judicii, et primo per locum a minori, secundo per auctoritatem, ibi : *Scimus autem illum.* Primum accipit ex lege. Tanto enim aliquis est reus majoris pœnæ, quanto rem magis sacram contemnit. Cum ergo vetus testamentum non sit ita sanctum sicut novum, et transgressor illius gravissime puniebatur, ergo transgressor novi, longe gravius debet puniri. Circa istud argumentum duo facit : primo enim ponit istud quod fiebat in veteri : secundo illud quod fiendam est in novo. ibi : *Quanto magis.* Quantum ad vetus ponit culpam et pœnam. Culpam, cum dicit : *Irritam quis faciens legem Moysi.* Irritum dicitur, quod non sortitur debitum finem. Lex autem non solum vetus, sed etiam quælibet datur ut inducat homines ad virtutem, et faciat abstinentes a vitiis. Et ideo qui transgreditur legem, et vacat vitiis, quantum est in se, legem irritam facit. (*Matth.* 15.) *Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras.* (*Gen.* 17.) *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Et pœnam os-

(1) Alibi corporaliter.

tendit, cum dicit : *Sine ulla miseratione.* Et ista pœna est valde gravis, quia infligit mortem. Unde dicit : *Moritur.* (*Exod.* 22.) *Maleficos non patieris vivere.* Item quia irremissibilis. Unde dicit : *Sine ulla miseratione.* (*Deut.* 19.) *Morietur, nec misereberis ejus.* Sed numquid lex Dei excludit misericordiam ? Constat quod non. (*Oseæ* 6.) *Misericordiam volui, et non sacrificium.* Respondeo : dicendum est, quod differunt misericordia, clementia et venia : quia misericordia est quando homo ex quadam passione cordis et animi movetur ad remittendum pœnam, et hoc aliquando est contra justitiam, et istam prohibet. Venia autem est, quando propter aliquam utilitatem publicam remittit aliquid de pœna debita. Clementia est quando non solum de pœna aliquid, sed etiam de culpa remissius judicat. Ista duo non prohibentur, sed misericordia primo modo dicta, quia est contra justitiam, et inducit dissolutionem. Moritur ergo et hoc, *Duobus vel tribus testibus*, supple convictus. (*Deut.* 17.) *In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Causa autem quare lex numerum testium determinat secundum Aug. est, ut per hoc designetur immobilitas veritatis, quæ est in sancta Trinitate. Nec refert si nominentur duæ personæ vel tres, quia semper in duabus intelligitur tertia, sc. Spiritus Sanctus, qui est nexus amborum. Ista ratio mystica est, sed litteralis est, ut quia in judicio unus affirmat, alter negat, non plus credendum est uni quam alteri. Multitudini autem est credendum. Omnis autem multitudo completur numero ternario. Et ideo sufficit, quod sint duo cum accusante, sed tertius testis superadditur ex abundanti.

Deinde cum dicit : *Quanto magis*, ponitur id quod spectat ad novum testamentum. Et primo ponit pœnam, secundo culpam, ibi : *Qui filium Dei.* Quantum ad pœnam dicit : *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia.* Quia enim in novo testamento per Christum prædicatum est, ideo peccans in ipso, gravius punitur. (*Matth.* 11.) *Verumtamen dico vobis, quod Tyro et Sydoni remissius erit quam vobis in die judicii.* Sed numquid plus punitur peccator Christianus, quam infidelis ? Quia si sic, melius esset quod omnes essent infideles. Respondeo : dicendum est, quod aliud est de illis qui fidem contemnunt, quia isti proprie sunt contemptores. Aliud de illis, qui ex ignorantia fidem non annuntiatam, non tenent, et talibus peccatum infidelitatis non imputatur. Sed qui fidem annuntiatam contemnit, gravius punitur, quia peccatum infidelitatis maximum est. Si ergo comparamus Christianum et Judæum qui non contemnit, et uterque sit adulter, tunc gravius punietur Christianus quam Judæus, quia non solum pro adulterio, sed etiam quia magis ingratus est. Sed numquid universaliter verum est, quod semper idem peccatum in specie gravius punitur in majori ? Respondeo: dicendum est, quod dupliciter peccatur. Uno modo ex surreptione. Et sic quando aliquis dat se operibus divinis, si ex surreptione peccat, minus punitur. (2 *Paral.* 20.) *Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Deum patrum suorum.* (*Ps.* 36.) *Cum ceciderit non collidetur.* Sed si ex contemptu, magis peccat, quia cum sit in statu altiori, magis contemnit. Et de talibus loquitur hic, qui sunt magis ingrati. Quantum vero ad culpam dicit : *Qui fi-*

lium Dei conculcaverit. Sciendum vero est, quod Apostolus gravitatem culpæ eorum, qui peccant in novo testamento, ostendit ex beneficiis nobis a Deo in illo collatis. Deus autem nobis dedit quicquid maximum et pretiosum habebat, sc. filium suum unigenitum. (2 *Pet.* 1.) *Per quem maxima nobis et pretiosa promissa donavit.* Dedit etiam Spiritum Sanctum. (*Joel.* 2.) *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* (*Rom.* 5.) *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ingratitudo autem super tantis beneficiis aggravat peccatum.

Circa ingratitudinem vero super datione filii duo consideranda sunt ac ponderanda, sc. mysterium incarnationis, in qua datus est nobis. (*Is.* 9.) Et sacramentum passionis, in qua pro nobis se obtulit. (*Supra* 6.) *Sanguis Christi, qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, etc.* Et ideo quantum ad primum dicit : *Qui filium Dei,* sc. pro nobis incarnatum, *Conculcaverit,* id est, vilipenderit, sc. non credendo quod fides filii Dei sit sufficiens ad salutem, sicut illi qui legalia servabant. (*Gal.* 3.) *Ante quorum oculos Christus proscriptus est.* Item non obediendo ejus mandatis, nec vivendo secundum doctrinam ejus. (1 *Reg.* 10.) *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quantum ad secundum dicit : Et sanguinem testamenti, id est, Christi sanguinem confirmativum novi testamenti. (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis meus novi testamenti, etc.* — *Pollutum duxerit,* id est, reputaverit pollutum, ut sc. non possit mundare, sicut pollutus in se non mundat. (*Eccl.* 34.) *Ab immundo quis mundabitur?* quasi dicat : Nullus sc., secundum quod mundatio tantum fiebat per sanguinem animalium. Item pollutum duxit, qui virtute ejus in baptismo ablutus, peccat redeundo ad vomitum. (*Apoc.* 1.) *Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* Et ideo dicit : *In quo sanctificatus est*, id est, per quem sanctificatus est. (2 *Cor.* 6.) *Abluti estis, sanctificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi.* (*Mal.* 1.) *In omni loco offertur oblatio munda nomini meo, quia magnum est nomen meum in Gentibus.* Item qui peccat post alia sacramenta, etiam potest dici sanguinem Christi pollutum ducere. Item aggravatur peccatum ex contemptu Spiritus Sancti. Et ideo dicit : *Et spiritui gratiæ, injuriam fecerit*, id est, contumeliam quam facit, qui non credit, quod gratia Spiritus Sancti sit data per Christum, ut habetur (*Joan.* 14.) *Rogabo patrem, et alium paraclitum dabit vobis,* qui sufficiat ad salutem sine legalibus ut sc., remissionem peccatorum adscribat observantiæ legis. Vel *Conculcat Christum*, qui libere absque timore. *Sanguinem Christi polluit*, qui eo indigne communicat *Spiritui* gratis dato. (*Ephes.* 2.) Donum enim Dei est, et non ex operibus. *Contumeliam,* injuriam facit, qui Christum per peccatum a se abjicit. (*Sap.* 1.) Corripietur, id est. expelletur, a superveniente iniquitate (*Ephes.* 4.) *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei.* (1 *Thess.* 5.) *Spiritum nolite extinguere.*

Deinde cum dicit : *Scimus enim, etc.* probat quod dixit per auctoritates. Et circa hoc facit duo : primo enim probat ponendo auctoritates : secundo concludit ex eis, ibi : *Horrendum est.* Dicit ergo : Scimus illum qui dixit. (*Deut.* 32.) Secundum aliam litteram, *Mihi vindictam,* supple servate. Littera nostra habet. Mea

est ultio. Et nunquid reddes? immo *Et ego retribuam.* Sed contra. Si soli Deo servatur vindicta, quare judices vindicant? Respondeo : ad hoc respondet Apost. (*Rom.* 13.) *Quod judex est minister Dei.* Unde non judicat, propria auctoritate, sed Dei. Secunda auctoritas est ibidem : *Judicabit Dominus populum suum.* Si suum, ergo multo magis inimicos. (1 *Pet.* 4.) *Si justus vix salvatur, impius et peccator ubi parebit?* Vel populum suum, id est, qui fidem suam non contemnunt, quia infideles damnabuntur, et non judicabuntur judicio discussionis. In judicio enim, ut dicit Gregor. quatuor erunt ordines. Quidam qui non judicabuntur, sed judicabunt et salvabuntur, sc. Apostoli, et apostolici viri. Quidam qui judicabuntur et salvabuntur, ut mediocriter boni. Quidam, qui judicabuntur et damnabuntur, ut mali fideles. Quidam, qui non judicabuntur, et damnabuntur, ut omnes infideles.

Deinde cum dicit : *Horrendum est,* ponit conclusionem. Ex quo enim vindicta reservanda est Deo, qui judicabit populum suum. *Horrendum est incidere in manus Dei viventis.* Quanto enim judex justior et fortior est, tanto magis timendum est. (*Ps.* 5.) *Deus judex justus et fortis.* Ergo horrendum est incidere in manus ejus. (*Dan.* 13.) *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras.* (*Eccl.* 2.) *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, et non in manus hominum.* Sed contra (2 *Reg. ult.*) David tanquam melius præelegit incidere in manus Dei. Respondeo : dicendum est, quod homo peccat offendendo hominem, et offendendo Deum. Melius autem est incidere in manus hominis offendendo ipsum, quam in manus Dei ipsum offendendo. Vel dicendum est, quod melius est peccantem et contemnentem incidere in manus hominis, peccantem vero sed pœnitentem in manus Dei. Et sic elegit David. Vel dicendum est, quod usque ad judicium non est horrendum in manus Dei incidere, qui judicat misericorditer quandiu est pater misericordiarum, sed post judicium horrendum est incidere in manus Dei, quando sicut Deus ultionum justitias judicabit. Modo enim sicut circumdatus infirmitate, quam aliquando expertus est, ex compassione misericorditer judicat.

LECTIO 4.

Bona ab eis facta in memoriam revocat, ac ad patientiam exhortatur, adhærereque Christo monet, quem cito venturum prædicit.

32. *Rememoramini autem pristinos dies : in quibus illuminati, magnum certamen sustinuistis passionum.*

33. *Et in altero quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti.*

34. *Nam et vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam.*

35. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.*

36. *Patientia enim vobis necessaria est : ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem.*

37. *Adhuc enim modicum aliquantulumque qui venturus est veniet et non tardabit.*

38. *Justus autem meus ex fide vivit: quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ.*

39. *Nos autem non sumus subtractionis filii in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ.*

Supra Apostolus monuit ad inhærendum Christo per fidem, spem, et charitatem, ad quod induxit per rationes terrentes: hic ponit rationes demulcentes, sicut bonus medicus postquam secuit, ponit unctiones lenientes. Inter omnia enim commendatio de bene gestis, est unum quod maxime provocat ad bonum incœptum continuandum. Virtus enim laudata cressit in immensum. Pondus et immensum gloria calcar habet; et circa hoc facit duo: primo enim commemorat eis bona, quæ fecerant. Secundo hortatur ad implendum, quod restat, ibi: *Nolite itaque amittere.* Circa primum facit tria: primo enim in generali commemorat tribulationes, quas pro fide passi sunt: secundo describit tribulationum modos, ibi: *Et in altero*; tertio exponit eas in speciali, ibi: *Nam et vinctis.* Quia ergo ex bene gestis homo exercitatur ad melius, sicut aliquando ex malis e contrario desperat de seipso, ideo recitat bona eorum, dicens: *Rememoramini.* (*Jer.* 7.) *Recordatus sum tui,* id est, bonorum, quæ egisti. *Dies pristinos,* id est primordia conversionis vestræ. *In quibus illuminati* per fidem, quæ illuminat animam et purgat. (*Act.* 15.) *Fide purificans corda eorum.* (*Is.* 60.) *Surge illuminare Jerusalem.* Hoc autem est per fidem Christi. (*Ephes.* 3.) *Habitare Christum per fidem, etc.* (*Luc.* 1.) *Illuminare his qui in tenebris, et in umbra mortis sedent.* Primum enim lumen animæ est fides, *Sustinuistis magnum certamen passionum*, id est magnas passiones contra vos certantes, vobis illatas ab his, qui Christum persequebantur in vobis. (*Act.* 9.) *Saule, Saule, quid me persequeris?* me, inquam, in membris meis, quia ut dicit August. in sermone super verbo isto, membris in terra positis caput de cælo clamat. (*Sap.* 10.) *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* (1 *Tim.* 4.) *Certavi bonum certamen.* Sicut enim dicitur (*Act.* 8.) Facta est persecutio magna in ecclesia post mortem Stephani. (1 *Thess.* 2.) *Vos enim imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa, quoniam eadem passi estis vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi a Judæis.* Si ergo a principio incœpistis sustinere: vituperabile esset modo deficere.

Consequenter cum dicit: *Et in altero,* ostendit quæ fuerint illæ tribulationes. Dupliciter enim patitur aliquis, sc. in se tribulationem sustinendo, et in alio alienæ tribulationi compatiendo. Utroque autem modo illi passi sunt. Quantum ad primum dicit: *In altero,* sc. quantum ad vos, *Facti estis spectaculum opprobriis* quod gravissimum est sapienti. Quod enim unus fatuus irridetur, non est grave, etiam si multa ei irrisio ab aliis inferatur: sapienti vero grave est; sed si tribuletur et irrideatur a tribulante, hoc gravissimum est. In hoc ergo ostendit magnitudinem afflictionis ipsorum, quia facti erant spectaculum, id est, quia nullus eis compatiebatur, immo magis irrisori congaudebant in afflictionibus ipsorum, sc. in opprobriis. (*Ps.* 68.) *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* — *Et tribulationibus.*

Multæ tribulationes justo- *Cor.* 4.) *Spectaculum facti* *ndo*, sc. ad irrisionem, *et* d congratulationem, *et homini-* ratione utentibus ad imita- Quantum ad secundum dicit: *altero effecti sunt socii taliter* *ntium*, id est eorum, qui ebantur : et hoc per com- m, et per subministrationem. 2.) *Necessitatibus sanct. etc.* e cum dicit: *Nam et vinctis* i *estis*, ponit quod dixerat, et quantum ad secundum, sc. o sunt compassi. Inter Judæos ulti erant vincti, sicut de icitur (*Act.* 8.) Quod devas- clesiam tradens in custodiam mulieres. Istis compassi sunt ndo necessaria. (*Matth.* 25.) *ere eram, et venistis ad me.* n ad primum dicit: *Et rapi-* *orum vestrorum*, sc. pro hac ictam, quia, sc. vinctis minis- . *Cum gaudio suscepistis.* (*Jac.* *e gaudium existimate fratres,* *t.* 3.) *Ibant Apostoli gauden-* c. Sed quare cum gaudio? id amandæ sunt tribulationes? idetur, quod non, quia dicit . Tolerari jubes eas, non ama- spondeo : dicendum est, quod nantur propter se, sed propter et sic isti amabant eas. Unde : *Cognoscentes vos habere me-* *et manentem substantiam*, sc. vitias principaliores, quæ au- ex subtractione istarum, qui- icuntur meliores. Temporales ranæ sunt, quia sunt in his, sunt infra hominem, spiri- autem in ipso Deo, sc. in ne Dei. (*Is.* 33.) *Divitiæ salutis* *tia et scientia*, *timor Domini* *st thesaurus ejus.* Item sunt tes, quia istæ deficiunt in se et auferri possunt, illæ vero non. (*Matth.* 6.) *Nolite thesaurizare vobis thesau-* *ros in terra*, *ubi ærugo et tinea de-* *molitur, et ubi fures effodiunt, etc.*

Deinde cum dicit : *Nolite itaque*, ostendit quid eis restat faciendum, sc. confidentiam acceptam ex bonis operibus conservare. Et circa hoc facit tria : primo enim ponit monitio- nem : secundo docet modum moni- tionem servandi, ibi : *Patientia enim.* Tertio probat per auctoritatem, ibi : *Adhuc enim modicum.* Dicit ergo : Ex quo tot bona in primordiis conver- sationis vestræ operati estis, ex qui- bus multam confidentiam debetis ha- bere apud Deum. *Nolite itaque amit- tere confidentiam vestram*, quod pro- fecto sequeretur si a bonis desiste- retis. *Quæ magnam habet remune- rationem.* (*Matth.* 5.) *Gaudete in illa die et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* (*Gen.* 15.) *Ego protector tuus sum et merces tua ma- gna nimis.* Modus servandi est pa- tientia. Unde dicit : *Patientia enim vobis necessaria est.* Sicut autem man- suetudo est moderativa iræ, ita pa- tientia ponit modum in tristitiis, ut sc. non excedant modum rationis. Contingit autem aliquando tristitia ex malis illatis, aliquando vero ex bonis dilatis. (*Prov.* 13.) *Spes quæ differtur affligit animam.* Quantum autem ad primum dicitur patientia, sed quan- tum ad secundum dicitur longanimi- tas : hic accipitur patientia pro utro- que, et quantum ad sufferentiam ma- lorum, et quantum ad longanimitatem bonorum dilatorum. Dicit ergo, quod quantum ad utrumque, patientia nobis necessaria est. (*Prov.* 16.) *Melior est patiens forti viro.* (*Luc.* 21.) *In pa- tientia vestra possidebitis animas ves- tras.* (*Jac.* 1.) *Patientia opus per- fectum habet.* Et ad quid est neces-

saria ? *Ut voluntatem Dei facientes reportetis repromissionem*, id est, implentes voluntatem Dei, quæ fit per impletionem mandatorum Dei, quia mandata sunt signa voluntatis Dei, unde facientes voluntatem Dei, sc. voluntatem signi. (Sic enim aliquando accipitur voluntas Dei in scriptura. (*Ps.* 102.) *Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.*) Et sic reportabitis promissionem, id est, rem promissam, quæ operantibus datur. (*Matth.* 20.) *Voca operarios, et redde illis mercedem.* (*Luc.* 21.) *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* (*Matth.* 24.) *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* (*Jer.* 18.) *Repente loquar adversus gentem, et adversus regnum, ut eradicem et disperdam illud, etc.*

Deinde cum dicit : *Adhuc autem modicum*, probat quod dixit per auctoritatem. Et circa hoc facit duo : Primo enim ponit eam : secundo applicat ad propositum, ibi : *Nos autem.* Prima in tres. Primo enim proponit proximum adventum remunerationis. Secundo ostendit conditionem remunerationis, ibi : *Justus autem meus.* Tertio declarat periculum, ne perdatur remuneratio, ibi : *Quod si subtraxerit.* Circa primum sciendum est, quod auctoritas ista sumpta videtur de (*Habac.* 2.) Tamen principium sumptum est de Aggæo 2 cap. Quod ideo forte fecit, quia utrumque intellexit de eodem adventu. Habacuc enim sic dixit : Adhuc visus procul. Aggæus autem : Adhuc modicum. Et ideo utitur verbis unius quasi verbis alterius. Vel melius, quia Apostolus loquitur de tempore suo, sc. post incarnationem et resurrectionem, a quo minus restat usque ad judicium quam a tempore prophetæ. Et ideo magis utitur verbo Aggæi quantum ad principium, tamen in fine auctoritates concordant. Vel etiam potest dici, quod loquitur quasi ex seipso, cui non minus credendum est, quam prophetæ. Est autem duplex adventus Domini secundum duplex judicium. Unus generalis, sc. in fine in universali judicio. Alius specialis in morte uniuscujusque. Quantum ergo ad utrunque dicit : *Adhuc modicum*, quantum ad brevitatem temporis. Et quidem quantum ad primum, et si multum sit quantum ad tractum temporis et quo ad nos, breve tamen est quantum ad æternitatem. (*Ps.* 89.) *Mille anni ane oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit.* (*Apoc. ult.*) *Ecce venio cito.* Sed quantum ad specialem, qui est in morte, de quo (*Joan.* 14.) *Iterum veniam et accipiam vos ad meipsum* : non multum refert utrum sit parum, vel multum, quia talis erit unusquisque in judicio qualis exibit. Et ideo studendum est, ut in morte appareamus boni, quia ubi te invenero, ibi te judicabo. Et ideo dicit : *Modicum et aliquantulum*, quia tribulationes non sunt multum magnæ duratione, quia si multum premunt, interimunt : si vero parum premunt, non cito finiuntur. (2. *Cor.* 4.) Id enim, quod in præsenti est tribulationis momentaneum et leve, supra modum operatur in nobis æternum gloriæ pondus. Veniet ergo cito, *Et non tardabit*, sive in morte, sive in judicio. (*Jac.* 5.) *Ecce judex ante januam assistit.* Qui sunt etiam remunerandi, ostendit cum subdit: *Justus autem meus ex fide vivit.* Hæc eadem auctoritas habetur (*Rom.* 1. *et Gal.* 3.) Solis autem justis debetur remuneratio. (*Ps.* 36.) *Salus autem justorum a Domino.* Est autem duplex justitia. Una, quo ad humanum judicium. (*Rom.* 10.) *Ignorantes Dei*

et suam quærentes statuere. [uo ad divinum. (*Luc.* 1.) *utem justi ante Deum.* Istam justitiam requirit Deus. Et it : *Justus meus*, sc. justitia, me ordinatur, id est, qui est tus et propter me. Illud au- quod homo justificatur, est *om.* 3.) *Justitia Dei est per esu Christi.* Cujus ratio est, r hoc est homo justus quod r in Deum : illud autem per mo homo ordinatur in Deum, . Et ideo dicit : Justus meus. (*Infra* 11.) *Accedentem ad ortet credere.* Nec solum per stitia, sed etiam per fidem us *vivit.* Sicut enim per ani- vit corpus, ita anima per Inde sicut per illud per quod unitur anima corpori, vivit ita per id per quod primo Deus animæ, vivit anima, em est fides, quia fides est in vita spirituali. (*Is.* 7.) *redideritis, non permanebitis, nus non permanet destructo nto.* (*Gal.* 2.) *Quod autem o in carne, in fide vivo filii* es autem si non est formata , mortua est, et ideo non animam sine charitate. (*Gal.* *quæ per charitatem operatur.* 3) *Nos scimus, quia trans- us de morte ad vitam, quo- ligimus.* Vel justus meus ex , id est, apud me reputatur vitam gloriæ, sine actuali , si non datur opportunitas

e cum dicit : *Quod si sub- traxerit se,* ostendit periculum imminens non permanenti in justitia fidei. Quia enim in potestate habentis fidem est ipsam perdere, vel servare, ideo dicit : *Si subtraxerit se,* sc. a fide et a justitia. *Non placebit animæ meæ.* Littera nostra habet, non erit recta anima ejus. Et est idem sensus. Dicit Hieron. quod ubicumque aliter scriptum est in Hebræo, quam in septuaginta, Apostolus utitur sicut didicit a Gamaliele, ad cujus pedes didicit legem. Non placebit ergo animæ meæ, id est, voluntati meæ. Voluntas enim Dei debet esse regula actionum nostrarum. Qui ergo non concordat voluntati Dei, non est recta anima ejus.

Deinde cum dicit : *Nos autem non sumus,* adaptat ad propositum, quasi dicat : Sic erit his, qui se fidei subtrahunt. Sed *Nos non sumus filii subtractionis in perditionem.* Ille dicitur filius alicujus, quod in ipso dominatur. Et sic dicitur aliquis filius mortis, sc. in quo dominatur illud per quod a Deo reprobatur. Canonica Judæ : hi sunt, qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes. In perditionem, sc. animæ. (*Ps.* 72.) *Perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* (*Ps.* 1.) *Et iter impiorum peribit. Sed filii Dei,* id est, renati in Christo per fidem. *In acquisitionem*, id est, in salutem, *Animæ.* Qui enim mandata Dei custodit, salvat animam suam. (*Matth.* 19.) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (1 *Thess.* 5.) *Non sumus filii noctis neque tenebrarum.* Ergo non deficiamus a fide.

CAPUT XI.

Fidei descriptio ponitur, quæ licet obscura, tamen completa est.

1. *Est autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.*

Supra Apostolus multipliciter ostendit excellentiam Christi præferens ipsum angelis, Moysi et Aaron, et monuit fideles debere conjungi ipsi Christo, quæ conjunctio, quia præcipue et inchoative fit per fidem. (*Ephes.* 3.) *Habitare Christum per fidem in cordibus vestris.* Ideo Apostolus procedit ad commendationem fidei. Et circa hoc facit tria : primo enim describit fidem : secundo ponit exempla diversa de ipsa, ibi : *In hac enim.* Tertio hortatur ad ea, quæ sunt fidei. 12 cap. ibi : *Ideoque vos tantam.* Diffinitionem fidei ponit complete quidem, sed obscure. Unde sciendum est, quod volens perfecte diffinire virtutem aliquam, oportet, quod tangat materiam ejus propriam circa quam est, et finem ejus : quia habitus cognoscitur per actum, et actus per objectum. Et ideo oportet tangere actum et ordinem ad objectum et finem. Sicut volens diffinire fortitudinem, oportet tangere propriam ejus materiam circa quam est, sc. timores et audacias, et finem, sc. bonum reipublicæ, ut dicatur, quod fortitudo est virtus moderativa illorum, propter bonum reipublicæ : cum autem fides virtus theologica habeat idem pro objecto et fine, sc. Deum : primo ergo ponit ordinem et finem : secundo materiam propriam, ibi : *Argumentum non apparentium.* Sciendum vero est, quod actus fidei est credere, qui est actus intellectus determinati ad unum, ex imperio voluntatis. Unde credere est cum assensu aliquid cogitare, ut dicit August. in libr. de prædestinatione sanctorum. Et ideo objectum fidei et finis voluntatis oportet sibi correspondere. Veritas autem prima est objectum fidei, in quo quidem consistit finis voluntatis, sc. beatitudo, quæ differenter est in via et in patria, quia in via veritas prima non est habita, et per consequens nec visa, quia in his, quæ sunt supra animam, idem est videre et habere, ut dicit Augustinus 83. Quæstion. sed tantum est sperata. (*Rom.* 8.) *Quod enim non videmus, speramus.* Quod enim videt quis quid sperat? Ergo veritas prima non visa, sed sperata est finis voluntatis in via, et per consequens objectum fidei, quia idem est sibi pro fine et objecto. Finis autem ultimus simpliciter ipsius fidei in patria, quem intendimus ex fide, est beatitudo, quæ in aperta visione Dei consistit. (*Joan.* 17.) *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, etc.* Et 20. *Beati qui non viderunt et crediderunt.* Hujusmodi autem est spes fidelium. (1 *Pet.* 1.) *Regeneravit nos in spem vivam.* Finis ergo fidei in via est assecutio rei speratæ, sc. beatitudinis æternæ. Et ideo dicit : *Sperandarum rerum.* Sed quæritur hic quare cum fides sit prior, quam spes, diffinitur per ipsam : quia posterius debet diffiniri per prius, et non e converso?

Respondeo : dicendum est, quod ex jam dictis patet solutio, quia dictum est, quod idem est objectum et finis

Cum ergo assecutio rei speratæ is ejus, oportet quod etiam sit .um ipsius. Dicebatur autem , quod omnis habitus debet .ri per ordinem actus ad objec- Verum autem et bonum et si in ısiderata convertantur quantum pposita, tamen inquantum dif- t ratione, diverso ordine se ha- ıd invicem, quia et verum est dam bonum, et bonum est quod- verum. Et similiter intellectus luntas, quæ distinguuntur penes ıctionem veri et boni, habent se diversum ordinem. Inquan- ınim intellectus apprehendit ve- m et quicquid in ipsa continetur, erum est quoddam bonum, et ıt bonum sub vero. Sed inquan- voluntas movet, sic verum est ono. In ordine ergo cognoscendi ectus est prior, sed in ordine ndi, voluntas est prior. Quia intellectus movetur ad actum ex imperio voluntatis, ut dictum in ordine movendi voluntas est . Ideo non diffinitur prius per rius, quia ut dictum est in dif- one fidei, oportet ponere ordi- actus ad objectum, quod idem uod finis. Finis autem et bonum sunt, ut habetur 2 Physicorum. dine autem ad bonum voluntas, ; est spes sicut subjecti, est prior. e autem non dicit diligendarum, sperandarum? Ratio est, quia tas est præsentium et absentium. ergo finis non habitus, est ob- m fidei, ideo dicit sperandarum n. Nec obstat, quod res speranda bjectum spei. Quia oportet, quod sicut ad finem ordinetur ad ob- m illarum virtutum quibus per- r voluntas, cum fides pertineat ıtellectum secundum quod im- ur a voluntate.

Sed cum fides sit una, quia ab unitate objecti dicitur habitus unus, quare non dicitur rei sperandæ, sed rerum sperandarum? Respondeo: dicendum est, quod beatitudo, quæ in se essentialiter est una, quia consistit in Dei visione, quæ in se est una, est principium et radix beatitudinis, ex qua multa bona derivantur, quæ sub ipsa continentur: sicut dotes corporis, societas sanctorum et multa alia. Ut ergo ostendat omnia ista pertinere ad fidem, loquitur in plurali. Illud autem, quod dicitur: *Substantia*, potest multipliciter exponi. Uno modo causaliter, et tunc habet duplicem sensum. Unum quod est substantia, id est, faciens in nobis substare res sperandas, quod facit duobus modis. Uno modo quasi merendo. Ex hoc enim, quod captivat et submittit intellectum suum his, quæ sunt fidei, meretur quod aliquando perveniat ad videndum hoc, quod sperat. Visio enim est merces fidei. Alio modo quasi per suam proprietatem præsentialiter faciat, quod id quod creditur futurum in re, aliquo modo jam habeatur dummodo credat in Deum. Alio modo exponi potest, substantia essentialiter, quasi fides sit substantia, id est, essentia rerum sperandarum. Unde in Græco habetur hypostasis rerum sperandarum. Essentia enim beatitudinis nihil aliud est, quam visio Dei. (*Joan.* 17.) *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum, etc.* Unde primo de Trinitate cap. 10. dicit August. Hæc contemplatio promittitur nobis actionum omnium finis, etc. Ipsa ergo plena visio Dei est essentia beatitudinis. Hoc autem videmus in scientiis liberalibus, quod si quis aliquam velit addiscere, oportet eum primo accipere principia ipsius, quæ opor-

tet credere cum sibi traduntur a magistro. Oportet enim credere, eum, qui discit ut habetur primo poster. Et in illis principiis quodammodo continetur tota scientia, sicut conclusiones in præmissis, et effectus in causa. Qui ergo habet principia illius scientiæ, habet substantiam ejus, puta geometriæ. Et si geometria esset essentia beatitudinis, qui haberet principia geometriæ, haberet quodammodo substantiam beatitudinis. Fides autem nostra est, ut credamus, quod beati videbunt et fruentur Deo. Et ideo si volumus ad hoc pervenire, oportet ut credamus principia istius cognitionis. Et hæc sunt articuli fidei, qui continent totam summam hujus scientiæ, quia beatos nos facit visio Dei trini et unius. Et hic est unus articulus. Unde hoc credimus, et ideo dicit: Substantia rerum sperandarum. (1 *Cor.* 13.) *Videmus nunc per speculum et in ænigmate, tunc autem facie ad faciem,* quasi dicat : Tunc erimus beati quando videbimus facie ad faciem, illud quod nunc videmus in speculo et in ænigmate. In his ergo verbis ostenditur ordo actus fidei ad finem, quia fides ordinatur ad res sperandas quasi quoddam inchoativum, in quo totum quasi essentialiter continetur, sicut conclusiones in principiis.

Consequenter cum dicit ; *Argumentum non apparentium*, tangit actum fidei circa propriam ejus materiam. Actus autem proprius fidei, et si sit in ordine ad voluntatem, ut dictum est, tamen est in intellectu sicut in subjecto, quia objectum ejus est verum, quod proprie pertinet ad intellectum. In actibus autem intellectus differentia est. Quidam enim sunt habitus intellectus, qui important omnimodam certitudinem ad completam visionem ejus, quod intelligitur, sicut patet de intellectu, qui est habitus primorum principiorum, quia qui intelligit, quod omne totum est majus sua parte, videt hoc et est certus. Hoc etiam facit habitus scientiæ, et sic talis habitus intellectus, et scientia, faciunt certitudinem et visionem. Quædam vero alia sunt, quæ neutrum faciunt, sc. dubitatio et opinio. Fides vero tenet medium inter ista, quia dictum est, quod fides facit assensum in intellectu, quod potest esse dupliciter. Uno modo, quia intellectus movetur ad assentiendum ex evidentia objecti, quod est per se cognoscibile, sicut in habitu principiorum, vel cognitum per aliud quod est per se cognoscibile, sicut patet in scientia astronomiæ. Alio modo assentit alicui non propter evidentiam objecti a quo non movetur sufficienter. Unde non est certus, sed vel dubitat, sc. quando non plus habet rationem ad unam partem quam ad aliam. Vel opinatur, si habet quidem rationem ad unam partem, non omnino quietantem ipsum, sed cum formidine ad oppositum. Fides autem neutrum horum dicit simpliciter, quia nec cum primis est sibi evidens, nec cum duobus ultimis dubitat, sed determinatur ad alteram partem, cum quadam certitudine et firma adhæsione per quandam electionem voluntariam. Hanc autem electionem facit divina auctoritas, per quam electionem determinatur intellectus, ut firmiter inhæreat his, quæ sunt fidei, et eis certissime assentiatur. Et ideo credere, est cum assensu cognoscere. Propria ergo materia habitus fidei sunt non apparentia. Apparentia enim agnitionem habent, non autem fidem ut dicit Gregorius. Actus autem fidei est certa adhæsio, quam vocat Apos-

argumentum, accipiens causam
ffectu, quia argumentum facit
de re dubia. Est enim argu-
ım ratio rei dubiæ faciens fidem,
it Boet. Vel si sequamur etymo-
n nominis qua dicitur, argu-
ım quasi arguens mentem, tunc
t effectum pro causa, quia ex
udine rei provenit, quod mens
ır ad assentiendum. Unde ar-
ntum dicitur non apparentium,
st certa apprehensio eorum,
non videt. Quod si quis velit
ista ad debitam formam redu-
posset dicere, quod fides est
ıs mentis, qua inchoatur vita
a in nobis, faciens intellectum
tire non apparentibus. Ubi enim
argumentum habemus, habet
ttera convictio, quia per auctoı-
m divinam convincitur intellec-
d assentiendum his, quæ non
Patet ergo, quod Apostolus
lete diffinit fidem, licet obscure.
stam enim diffinitionem distin-
r fides ab omnibus, quæ perti-
ad intellectum. Per hoc enim,
dicitur argumentum, distin-
r fides ab opinione, dubitatione
spicione, quia per ista non ha-
firma adhæsio intellectus ad
d. Per hoc autem, quod dicitur
pparentium, distinguitur ab ha-
principiorum et scientia. Et
oc, quod dicitur rerum sperann,
n, distinguitur a fide communi-
ımpta, quæ non ordinatur ad
udinem. Nam per propriam
tionem unumquodque innotes-
t distinguitur a quolibet alio,
est hic. Unde et ad istam omnes
reducuntur. Sed videtur, quod
male dicat, non apparentium, quia ut
dicitur (*Joan.* 20.) Thomas vidit et
credidit. Item credimus esse Deum
unum, quod tamen demonstratur a
Philosophis. Respondeo : dicendum
est, quod fides dupliciter accipitur.
Uno modo proprie, et sic est non vi-
sorum et non scitorum, ut patet ex
prædictis. Et propterea, quod non
potest major certitudo haberi de con-
clusione, quam de principio a quo
elicitur, quia semper principia sunt
notiora conclusionibus, ideo cum
principia fidei non habeant eviden-
tiam, nec per consequens conclusio-
nes. Et ideo intellectus non assentitur
conclusionibus tanquam scitis nec
tanquam visis. Alio modo communi-
ter, et sic excludit omnem certam co-
gnitionem, et sic loquitur Augustinus
in quæst. evangelii, quod fides est de
quibusdam, quæ videntur. Aposto-
lus autem loquitur de prima. Et qui-
dem de Thoma dicendum est, quod
sicut dicit Gregorius : Aliud vidit,
aliud credidit, quia vidit humanita-
tem, et credidit divinitatem. Ad istud
de demonstratione, dicendum est,
quod nihil prohibet aliquid esse visum
uni quod est creditum alteri, sicut
patet in diversis statibus. Quod enim
non est visum in via, videtur in pa-
tria. Unde quod ego credo, angelus
videt. Similiter quod est visum a Pro-
phetis, ut quod Deus est unus incor-
poreus, hoc est credendum ab idiotis,
sicut idiota credit eclipsim, quam as-
trologus videt. Et de talibus est fides
secundum quid tantum. Quædam au-
tem sunt, quæ simpliciter excedunt
statum præsentis viæ, et de talibus
est fides simpliciter.

LECTIO 2.

Hanc fidem non novam, sed antiquam exemplo patrum esse affirmat, sine qua nec placere Deo possumus.

2. *In hac enim testimonium consecuti sunt senes.*

3. *Fide, intelligimus aptata esse secula verbo Dei : ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

4. *Fide, plurimam hostiam Abel quam Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo, et per illam defunctus adhuc loquitur.*

5. *Fide, Enoch translatus est ne videret mortem, et non inveniebatur : quia transtulit illum Deus. Ante translationem enim, testimonium habuit placuisse Deo.*

6. *Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*

7. *Fide, Noë responso accepto de his quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in salutem domus suæ, per quam damnavit mundum, et justitiæ quæ per fidem est, hæres est institutus.*

Supra posuit descriptionem fidei, hic ostendit eam per exemplum. Et circa hoc facit duo. Primo enim in generali manifestat propositum suum. Secundo in speciali, ibi : *Fide intelligimus.* Quantum ad primum sic continuatur. Sic ergo describo et commendo fidem, nec hoc est de novo, *In hac enim,* sc. fide, *Senes,* id est sancti patres, testimonium consecuti sunt, id est, crediderunt, et per fidem instituti sunt. (*Gen.* 15.) *Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam.* (*Ps.* 115.) *Credidi propter quod locutus sum.* Inter omnes autem patres veteris testamenti, illi duo specialiter, sc. David et Abraham, habent testimonium fidei. Fide intelligimus, etc. In speciali declarat per exempla antiquorum. Et primo quantum ad id quod crediderunt et docuerunt. Secundo quantum ad id quod fecerunt, ibi : *Fide Abel.* Tertio quantum ad id quod passi sunt, ibi : *Alii autem distenti sunt.* Doctrina autem in veteri testamento duplex fuit. Una aperte posita. Alia vero sub velamine figurarum et mysteriorum velata fuit. Prima de unitate Dei et creatione mundi. Secunda de mysterio incarnationis et reparationis. Unde sicut ipsi in memoriam creationis colebant sabbata, ita nos in memoriam resurrectionis servamus Dominicam. Quantum ergo ad doctrinam de mundi creatione, dicit : *Fide intelligimus, etc.* Quod potest dupliciter legi. Uno modo, quod verbo Dei sit ablativi casus. Et est sensus, *Nos* sicut antiqui, *Fide,* id est, per doctrinam fidei, sc. veteris testamenti. (*Gen.* 1.) *Dixit Deus : Fiat, etc.* (*Ps.* 32.) *Ipse dixit, et facta sunt.* Intelligimus secula esse aptata, id est, disposita, *Verbo Dei,* id est, per imperium Dei. Hoc autem pertinet ad fidem, quod sc. hoc intelligimus, quia cum fides sit de invisibilibus, etiam secula facta sunt de invisibilibus, sc. de materia prima, quæ nuda et privata omni forma invisibilis est, et omni specie et dispositione carens. Ideo dicit : *Ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Sed hoc est satis ru-

dictum, licet sit verum. Secundo, quod verbo sit dativi casus. ınc est sensus, intelligimus per ı, ut prius secula essent aptata, ;, convenientia et correspondenerbo, ut ex invisibilibus, etc. .er quod sciendum est, quod ım Dei est ipse conceptus Dei, seipsum et alia intelligit. Deus ı comparatur ad creaturam, sicut ; ad opus suum. Hoc autem vi- ıs, quod artifex, illud quod pro- extra, producit in similitudi- conceptus sui. Unde facit do- in materia ad similitudinem s, quam in mente sua formavit, si domus extra conveniat domui ɔnceptæ, est opus debito modo atum, si non, non. Quia vero :reatura optime disposita est, e producta ab artifice, in quo ıotest cadere error, vel aliquis :us, ideo plenissime secundum m suum convenit divino con- i. Unde Boetius de consolatione : rum pulcherrimus ipse mundum ı gerens, similique imagine ns. Ideo dicit : *Intelligimus fide* ı, id est, totam universitatem ıræ, *Aptata*, id est, convenien- ıspondentia, *Verbo*, id est con- i Dei, sicut artificiatum arti suæ. . 1.) *Effudit illam*, sc. sapien- ɜuam, super omnia opera sua. tur, ut ex invisibilibus, etc. ɟuia apud antiquos communis conceptus erat, quod ex nihilo fit. (2 *Physic.*) Ideo quando vi- t aliquod novum opus, dicebant esset factum ex aliquibus invi- ɔus. Unde vel ponebant quodli- se in quolibet, sicut Empedocles axagoras, de quo nihil ad præ- Alii vero latitationem formarum, ipse Anaxagoras. Alii ab ideis, Plato. Alii ab intelligentia. sicut Avicenna. Unde secundum omnes istos visibilia facta sunt ex invisibilibus rationibus idealibus. Nos autem dicimus secundum modum prædictum, quod ex invisibilibus rationibus idealibus in verbo Dei, per quod omnia facta sunt, res visibiles sunt productæ. Quæ rationes, et si realiter idem sunt, tamen per diversos respectus connotatos respectu creaturæ differunt secundum rationem. Unde alia ratione conditus est homo, et alia equus, ut dicit Augustinus in libr. 83. q. Sic ergo secula aptata sunt verbo Dei, *Ut ex invisibilibus* rationibus idealibus in verbo Dei. *Visibilia*, id est omnis creatura, *Fierent*. Omnia autem ista verba expresse sunt contra Manichæos. Ipsi enim dicunt, quod non est curandum quid homo credat, sed tantum quid faciat. Sed Apostolus principium omnis operis ponit fidem. Unde dicit : quod est substantia, id est fundamentum. Sine fide ergo frustra sunt opera. Item dicunt, quod non est credendum nisi unde habetur ratio. Contra quod dicit : non apparentium. Item damnant vetus testamentum dicentes, quod a malo principio, sc. a diabolo conditum sit. Contra quod dicit, quod in hac fide testimonium consecuti sunt senes.

Deinde cum dicit : *Fide Abel, etc.* ostendit quid patres antiqui fecerunt. Et primo hoc ostendit de patribus qui fuerunt ante diluvium. Secundo de patribus, qui fuerunt ante legem, ibi : *Fide qui vocatur Abraham*. Tertio de his, qui fuerunt sub lege, ibi : *Fide Moyses*. Ante diluvium fuerunt tres specialiter Deo accepti, sc. Abel. (*Gen.* 4.) Enoch. (*Gen.* 5.) Noë. (*Gen.* 6.) Primo ergo ponit fidem Abel. Secundo fidem Enoch, ibi : *Fide Enoch*. Tertio fidem Noë, ibi : *Fide Noë*. De

Abel autem ostendit, quid per fidem fecerit, et quid inde consecutus sit. Per fidem Abel obtulit sacrificium. Unde sicut confessio est testimonium fidei interioris, ita ex cultu exteriori in sacrificio commendatur fides ejus. Et ex eo quod obtulit sacrificium electum, quia de primo genitis gregis et de adipibus eorum, ostenditur electa fides ejus. Optimum enim sacrificium signum fuit electæ fidei et probatæ. (*Mal.* 1.) *Maledictus fraudulentus, qui habet in grege suo masculum, et votum faciens immolat debile Domino.* De sacrificio autem Caïn nulla fit mentio quantum ad excellentiam, sed solum, quod obtulit de fructibus terræ. Dicit ergo, quod *Abel fide obtulit plurimam hostiam*, non quantitate, sed pretiositate, *Quam Caïn*, id est, meliorem hostiam obtulit, quam Caïn, sc. *Deo*, quia ad honorem Dei. Aliter enim non placuisset Deo. Gloss. dicit: Fide plurima, sed hoc non habetur in Græco, quia plurima est ibi accusativi casus : quod patet ex modo loquendi, qui est comparativus, nisi dicatur fide plurima, id est, meliore et præstantiore, quam Caïn obtulisse, quia ut dictum est, sacrificium exterius signum fuit fidei interioris. Ex fide autem duo consequuntur, unum in vita, sc. testimonium justitiæ. Unde dicit : *Consecutus est testimonium esse justus*, sc. per fidem. (*Matth.* 23.) *A sanguine Abel justi, etc.* Tamen non propter hoc testimonium Christi dicit ipsum consecutum fuisse testimonium justitiæ, quia non intendit hic introducere nisi auctoritates veteris testamenti, sc. propter id quod dicitur (*Gen.* 4.) *Respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus* : quia respectus Domini est specialiter super justos. (*Ps.* 33.) *Oculi Domini super justos.* Et hoc, *Testimonium perhibente Deo muneribus ejus.* Quod forte fuit, quia igne cælesti incendebantur munera. Et hoc fuit respectus Dei. Prius tamen respexit ipsum offerentem, quam oblationem ejus, quia ex bonitate offerentis acceptatur oblatio, quæ non est sacramentalis, quia sacramentalem bonitatem non immutat malitia ministri : quantum autem ad offerentem ut sibi prosit oblatio, requiritur bonitas in ipso. Aliud testamentum consecutus est post mortem. Unde dicit : *Et per illam defunctus adhuc loquitur*, quia ut dicit Gloss. post mortem adhuc commendatur fides ejus, quia datur nobis materia loquendi de ipso, ut de fide ejus, et patientia, demus exempla ad exhortandum alios ad patientiam. Sed hæc non est intentio Apostoli, quia omnia, quæ accepit, hic sumit ex scripturis. Unde intelligitur de eo, quod dicitur (*Gen.* 4.) *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* (*Infra* 11.) *Melius loquentem quam Abel.* Hoc enim accepit per illam, id est, per meritum fidei, quod defunctus, id est, sanguis defuncti, clamet ad Deum et loquatur Deo.

Deinde cum dicit : *Fide Enoch, etc.* commendat Enoch. Et primo ponit intentum suum. Secundo probat, ibi: *Et non inveniebatur.* Non facit autem Apost. mentionem de operibus ejus, quia scriptura modicum loquitur de hoc, sed tantum ostendit quid ei fecerit Deus, quia *Fide*, id est, per meritum fidei. *Translatus* a conversatione hujus vitæ, in alia conservatur a morte. Unde dicit : *Ne videret mortem.* (*Gen.* 5.) *Non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et verum est, quod nondum est mortuus, sed tamen quandoque morietur, quia sententia, quam Dominus primis parentibus peccantibus inflixit, quocumque die comede-

ris, etc. In omnes qui quocumque modo nascuntur ex Adam permanebit, sicut etiam in Christo. (*Ps.* 88.) *Quis est homo, qui vivet et non videbit mortem ?* Mors autem duorum dilata est, sc. Enoch et Eliæ. Et ratio est, quia doctrina veteris testamenti ordinatur ad promissa novi testamenti, in quo nobis spes vitæ æternæ promittitur. (*Matth.* 4.) *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Et ideo data sententia mortis voluit Dominus ducere homines in spem vitæ : quod fecit in patribus utriusque status, sc. naturæ, legis, et gratiæ. Unde in primo statu dedit spem evadendi necessitatem mortis, et hoc in Enoch. In lege, in Elia. In tempore gratiæ, in Christo, per quem datur nobis effectus hujus promissionis. Et ideo alii morientur, sed Christus resurgens ex mortuis jam non moritur. Sed duo primi morientur per antichristum. Sic ergo translatus est ne videret mortem, non solum, ut non sentiret mortem, et hoc in illa generatione.

Deinde cum dicit : *Et non inveniebatur, etc.* probat quod hoc habuit per meritum fidei : et primo probat quod translatus est, secundo quod hoc propter fidem habuit, ibi : *Ante translationem enim.* Et primum probat per auctoritatem. (*Gen.* 5.) Quam sub aliis verbis ponit, quia ibi dicitur : non apparuit, quia tulit eum Deus Hic autem dicit : *Et non inveniebatur, quia translulit eum Deus.* Et idem est sensus. (*Sap.* 4.) *Placens Deo factus est dilectus, et vivens inter peccatores translatus est.* Sicut enim conveniens fuit quod homo propter peccatum expelleretur de paradiso, ita quod justus introduceretur. Iste enim per Seth septimus ab Adam optimus fuit, sic Lamech per Caïn septimus ab Adam pessimus fuit, utpote, qui contra naturam primus introduxit bigamiam.

Deinde cum dicit : *Ante translationem,* probat, quod propter meritum fidei fuerat translatus, quia antequam transferretur, dicit de ipso scriptura, quod ambulavit cum Deo, quod est consentire et placere Deo, propter hoc autem tulit eum Deus : sed sine fide impossibile est ambulare cum Deo, et Deo placere, ergo, etc. Totam istam rationem quantum ad præmissas ponit. Et primo majorem, quia *Habuit testimonium ante translationem placuisse Deo.* Et ideo : *Translulit eum Deus.* (*Eccl.* 44.) *Enoch enim placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus sapientiam.* Quod autem placuerit ostendit scriptura, quæ dicit, quod ambulavit cum Deo. (*Mal.* 2.) *In pace et æquitate ambulavit mecum.* (*Ps.* 100.) *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Minorem subdit, dicens : *Sine fide autem impossibile est placere Deo.* (*Eccl.* 1.) *Bene placitum est illi fide.* (*Rom.* 3.) *Arbitramur justificari hominem per fidem.* Probat autem minorem cum dicit : *Accedentem ad Deum oportet credere.* Nullus enim potest Deo placere, nisi accedat ad ipsum. (*Jac.* 4.) *Appropinquate Deo et appropinquabit vobis.* (*Ps.* 33.) *Accedite ad eum et illuminamini.* Sed nullus accedit ad Deum nisi per fidem, quia fides est lumen intellectus. Ergo nullus potest Deo placere nisi per fidem. Accedentem autem per fidem oportet credere Domino. Sicut enim videmus in quolibet motu naturali, quod oportet, quod mobile ex motu duo intendat ne motus sit frustra, sc. aliquem certum terminum et certam causam, quare moveatur, prius autem est terminus, quam effectus mo-

tus consequatur, sic etiam in motu quo aliquis accedit ad Deum terminus motus est ipse Deus. Unde dicit: *Oportet credere accedentem, quia est.* Quod dicit propter ejus æternitatem. (*Exod.* 3.) *Qui est, misit me.* Secundo quod sciat, quod Deus habeat providentiam de rebus. Aliter enim nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso. Unde dicit: *Et inquirentibus se remunerator sit.* (*Is.* 40.) *Ecce Dominus veniet, ecce merces ejus cum eo.* Merces autem est illud quod homo quærit in labore. (*Matth.* 20.) *Voca operarios, et redde illis mercedem.* Quæ merces nihil est aliud quam Deus, quia nihil extra ipsum debet homo quærere. (*Gen.* 15.) *Ego protector tuus sum et merces tua magna nimis.* Deus enim nihil aliud dat nisi seipsum. (*Ps.* 15.) *Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei.* (*Thr.* 3.) *Pars mea Dominus dixit anima mea, etc.* Et ideo dicit: *Remunerator* est inquirentibus eum. Non aliud. (*Ps.* 104.) *Quærite Dominum et confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Sed numquid duo hæc sufficiunt ad salutem? Respondeo: dicendum est quod post peccatum primi parentis, nemo potuit salvari a reatu culpæ originalis, nisi per fidem mediatoris, sed ista fides diversificata est quantum ad modum credendi secundum diversitatem temporum et statuum. Nos autem quibus est tantum beneficium exhibitum, magis tenemur credere, quam illi, qui fuerunt ante adventum Christi: tunc etiam aliqui magis explicite: sicut majores, et illi quibus facta fuit aliquando revelatio specialis. Illi etiam, qui sub lege, magis explicite, quam ante legem, quia data fuerunt eis aliqua sacramenta, quibus quasi per figuram repræsentabatur Christus, sed gentiles, qui fuerunt salvati sufficiebat eis, quod crederent Deum esse remuneratorem, quæ remuneratio non fit nisi per Christum. Unde implicite credebant in mediatorem. Contra autem illud quod dicit, quod oportet credere, quod Deus est, instatur, quia dictum est supra, quod creditum non potest esse scitum nec visum, Deum autem esse, est demonstratum. Respondeo: dicendum est, quod de Deo potest multipliciter haberi notitia. Uno modo per Christum, inquantum, sc. est pater unigeniti et consubstantialis, et alia quæ specialiter Christus de Deo patre et filio et Spiritu Sancto docuit quantum ad unitatem essentiæ, et æternitatem personarum. Et hoc tantum est creditum, nec in veteri testamento fuit explicite creditum nisi a majoribus tantum. Secundo modo, quod solus Deus colendus est, et sic etiam erat creditum a Judæis. Tertio modo, quod est unus Deus, et hoc notum est etiam ipsis philosophis, et non cadit sub fide.

Deinde cum dicit: *Fide Noë*, ostendit quid Noë fecit per fidem, et quid inde consecutus est, ibi: *Et justitiæ*, de ipso autem narrat quinque, quæ fecit. Primo quod dictis Dei credidit de futuro judicio, quod tamen nondum videbatur. Unde dicit: *Fide Noë responso accepto de his, quæ adhuc non videbantur*, supple crediderat. Secundo ex fide timuit. Fides enim est principium timoris. (*Eccl.* 25.) *Timor Dei initium dilectionis ejus, fidei autem initium agglutinandum est ei*, sc. timori. Et ideo dicit: *Metuens*, sc. diluvium promissum, quod tamen non videbatur. Ergo fides est de invisibilibus. Tertio mandatum Dei implevit faciendo arcam. Unde dicit: *Aptavit arcam*, id est, secundum dispositionem Dei convenientem fecit.

Quarto a Deo salutem speravit. Unde dicit : *In salutem domus suæ*, id est, familiæ suæ, quia illi soli salvi facti sunt. (1 *Pet.* 3.) Pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt per aquam. Quinto ex hoc, quod propter fidem prædictam fecit. *Damnavit mundum*, id est, mundanos damnabiles ostendit. Revelatio autem sibi de fabricanda arca, responsum fuit desiderio ejus et justitiæ, quæ est per fidem.

Deindé cum dicit : *Et justitiæ quæ*, ostendit quid per fidem consecutus est. Sicut enim post mortem alicujus aliquis succedit in hæreditatem ejus, sic etiam quia a principio mundi non totaliter defecerat justitia in mundo, quia adhuc durabat mundus, sed in diluvio quasi totus periit mundus, ideo ipse Noe quasi hæres factus est propter fidem suam, *Vel justitiæ, quæ habetur per fidem.* Vel sicut patres sui justificati fuerunt per fidem, ita ipse factus hæres est justitiæ per fidem, sc. imitator per fidem paternæ justitiæ.

LECTIO 3.

Patrum qui fuerunt post diluvium exempla ponuntur, quorum fide, Christi fides maxime commendatur.

8. *Fide, qui vocatur Abraham obedivit in locum exire quem accepturus erat in hæreditatem : et exiit, nesciens quo iret.*
9. *Fide, demoratus est in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac et Jacob cohæredibus repromissionis ejusdem.*
10. *Expectabat enim fundamenta habentem civitatem : cujus artifex et conditor, Deus.*
11. *Fide, et ipsa Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter tempus ætatis, quoniam fidelem credidit esse eum, qui repromiserat.*
12. *Propter quod et ab uno orti sunt (et hoc emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem, et sicut arena, quæ est ad oram maris, innumerabilis.*

Supra posuit Apostolus exemplum fidei in patribus, qui fuerunt ante diluvium, qui fuerunt communiter patres tam Gentilium, quam Judæorum : hic specialiter descendit ad patres, qui fuerunt post diluvium, qui specialiter fuerunt patres Judæorum. Et primo ponit exemplum fidei Abrahæ, qui fuit pater credentium. Unde et primus accepit signaculum fidei ante legem. Et primo ostendit quid fecerit Abraham. Secundo quid fecerit Isaac. Tertio quid fecerit Jacob. Quarto quid fecerit Joseph. Secundum, ibi : *Fide de futuris.* Tertium, ibi : *Fide Jacob.* Quartum, ibi : *Fide Joseph.* Iterum prima in duas. Primo enim ponit quid fecerit quantum ad exteriorem et humanam cognitionem. Secundo quid fecerit, quantum ad Deum, ibi : *Fide obtulit.* Circa primum tria facit. Primo enim ostendit quid fecerit quantum ad habitationem. Secundo quid fecerit quantum ad generationem, ibi : *Fide et ipsa Sara.* Tertio quid fecerit quantum ad suam conversationem, ibi : *Juxta fidem.* Item quantum ad habitationem duo ostendit : primo quid fecerit quantum ad primam loci mutationem : secundo quantum ad alterius inhabitationem, ibi : *Fide moratus.* Ut autem ostendat exemplum suum de Abraham magnæ auctoritatis esse. Primo ponit celebri-

tatem nominis ejus, dicens. Ille qui vocatur, sc. a Deo. (*Gen.* 17.) *Vocaberis Abraham.* Item vocatur ab hominibus. (*Eccl.* 44.) *Abraham magnus pater multitudinis gentium.* Talis ergo a Deo vocatus et ab hominibus prædicatus, dignus est exemplo. Secundo ponit exemplum ejus, dicens, *Quia fide obedivit.* Per fidem enim informamur ad obediendum Deo de invisibilibus. (*Rom.* 1.) Ad obediendum fidei, etc. *Exire in locum quem acceptarus erat in hæreditatem*, de quo (*Gen.* 12.) *Egredere de terra tua, et de cognatione tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi.* Dominus autem terram illam debebat sibi dare in hæreditatem. (*Gen.* 13.) *Omnem terram, quam conspicis tibi dabo.* Sed nunquid non ipse cum patre suo Thare exierat de terra sua? Ergo non exivit ex præcepto Domini, sed per patrem. Respondeo : dicendum est, quod cum patre exiverat reversurus iterum, sed ex præcepto Domini exiverat in Mesopotamiam Syriæ, ubi mortuo patre intendebat remanere, sed ex mandato Domini venit in terram Chanaam. Et nunquid erat hoc mirabile, ut sic de hoc oporteret habere fidem, et credere Deo? Sic, quia *Exivit nesciens quo iret,* id est, ut iret ad rem ignotam. Quod autem est ignotum, est invisibile. Per illam obedientiam Abrahæ, nobis designatur, quod debemus ab omni affectione carnali exire si volumus hæreditatem nostram habere. (*Ps.* 44.) *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* (*Is.* 64). *Oculus non vidit Deus absque te quæ præparasti expectantibus te.* Unde hæreditas ista est nobis ignota.

Deinde cum dicit: *Fide demoratus est, etc.* ostendit quid per fidem fecerit quantum ad inhabitationem. Et primo quid fecerit, ostendit. Secundo subdit causam quare, ibi : *Expectabat enim.* Videmus enim, quod aliquando aliquis exiit de terra nativitatis suæ, et vadit alibi, ut faciat mansionem suam perpetuam. Sic non fecit Abraham, sed sicut advena fuit in terra Chanaam, et sicut advena mortuus est in ipsa, quod patet, quia non fecit ibi domum nec firmam mansionem, sed habitavit in casulis et tabernaculis, quæ sunt habitacula mobilia. Unde semper fit mentio de tabernaculis quando loquitur de Abraham. Unde ex præcepto Domini habitavit ibi ut advena. (*Act.* 7.) *Non dedit illi in ea hæreditatem nec passum pedis.* (*Gen.* 21.) *Fuit colonus terræ Philistinorum diebus multis.* Quod quidem verum est quantum ad id quod Dominus ei gratis donaturus esset, non quantum ad id quod emit. Unde dicit : quod *Fide demoratus est in terra repromissionis,* quia fuit ei frequenter promissa, sicut patet (*Gen.* 12. *usque ad* 21 *c.*) *Tanquam in aliena,* quod patet, quia *Habitando in casulis,* quæ dicuntur a cadendo, et in tentoriis mobilibus, et quia animo non redeundi in patriam suam, etiam si plus vixisset, patet, quia *Cum Isaac et Jacob habitavit* non quidem simul, sed successive, qui erant filii promissionis, quia ipsis facta est promissio. (*Gen.* 17 *et* 28.) Et dicit : *Cohæredibus repromissionis,* in quo datur nobis intelligi, quod in mundo isto debemus conversari sicut alieni et advenæ. (1 *Cor.* 17.) *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* (*Infra ult.*) *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.*

Deinde cum dicit : *Expectabat enim,* ostendit quare morabantur sicut advenæ, quia sc. non reputabant se

aliquid habere super terram, sed quærebant hæreditatem cælestem civitatem. (*Ps.* 121.) *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem : Jerusalem quæ ædificatur, ut civitas.* (*Is.* 33.) *Oculi tui videbunt Jerusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam ultra transferri poterit.* Non tabernaculum mobile. Et dicitur civitas, primo, propter civium unitatem, quæ unitas est per pacem. (*Ps.* 147.) *Lauda Jerusalem Dominum, etc.* Et sequitur, *Qui posuit fines tuos pacem.* (*Is.* 32.) *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciæ, et in requie opulenta.* (*Joan.* 17.) *Ut sint unum sicut et nos unum sumus.* Secundo est ordinata, quod fit maxime propter justitiam, et non ad malum faciendum. Ibi autem est perpetua justitia. (*Ezech.* 48.) *Nomen civitatis ex illa die, Dominus, ibidem.* Tertio per se sufficiens ad omnia, quæ sunt necessaria. Quodcumque enim necessarium perfectissime ibi erit, quia ibi est status bonorum omnium aggregatione perfectus. (*Ps.* 121.) *Jerusalem, quæ ædificatur, ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.* Ista civitas habet fundamenta, in quo significat ejus stabilitatem. (*Is.* 33.) *Tabernaculum, quod nequaquam ultra transferri poterit.* Sunt autem fundamenta prima pars ædificii. Unde angeli sunt ejus civitatis fundamenta. (*Ps.* 86.) *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Homines enim assumentur ad ordines angelorum. Ecclesiæ vero fundamenta sunt Apostoli. (*Apoc.* 21.) Auctor autem hujus civitatis est ipse Deus, non humanæ artis sapientia. (2 *Cor.* 5.) *Scimus quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem a Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cælis.* Ad cujuslibet autem civitatis ædificationem duo requiruntur. Primum est auctoritas principis, qua mediante firmetur, quia dicitur conditor ejus, a quo et ipsa nomen accipit, sicut a Romulo Roma. Et sic illius civitatis dicitur Deus conditor ejus. (*Ps.* 47.) *In civitate Dei nostri Deus fundavit eam in æternum.* Secundum est modus disponendi ipsam, qui commendat sapientiam artificis. Et sic Deus dicitur artifex ejus, quia ordinata est secundum dispositionem et sapientiam Dei. (*Ps.* 47.) *Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, etc.* Debita enim dispositio operis commendat opificem. Nusquam autem ita relucet divina sapientia sicut ibi. Et ideo ibi nimis laudabilis dicitur.

Deinde cum dicit: *Fide et ipsa Sara,* ostendit quid ibi per fidem uxor ejus consecuta est. Et circa hoc duo facit : quia primo ostendit quid consecuta est ipsa : secundo quid consecutum est in filiis, ibi: *Propter quod et ab uno.* In uxore autem ejus Sara duo defectus erant, propter quos omnino videbatur quasi impossibile ipsam posse concipere. Unde credere illa fuit magnæ fidei. Unum erat, quia sterilis. (*Gen.* 11.) *Erat autem Sara sterilis.* Aliud, quia jam propter defectum ætatis non erat naturaliter apta ad generationem. (*Gen.* 18.) *Desierant Saræ fieri muliebria.* Item ipsa dicit ibidem : *Ego jam senui, et Dominus meus vetulus est.* Istos duos defectus tangit Apostolus. Primum cum dicit : *Sara sterilis.* Secundum cum dicit : *Et præter tempus ætatis.* Tamen his non obstantibus, *Ipsa accepit virtutem in conceptione seminis fide,* sc. vel sua, vel Abrahæ, quia etsi erat impossibile secundum naturam, quod nonagenaria de centenario conciperet, tamen uterque credidit Deo, cui nihil

est difficile. Unde dicit : quod *Fidelem credidit esse eum, qui repromiserat*; sed contra, quantum ad Abraham, et videtur, quod non credidit, quia (*Gen.* 17.) dicitur, quod risit dicens in corde suo : Putasne centenario nascetur filius, et Sara nonagenaria pariet? Iterum quantum ad Saram, (*Gen.* 18.) dicitur, quod risit occulte, dicens : Postquam ego consenui et Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Respondeo : dicendum est, quod quantum ad Abraham, risus ejus non fuit dubitationis, sed admirationis. Unde (*Rom.* 4.) Non hæsitavit diffidentia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo plenissime, sciens quod quicquid promisit Deus, potens est et facere. Unde nec reprehenditur risus ejus a Deo, qui corda omnium novit. Sara autem primo dubitavit in prima promissione, sed quando angelus recurrit ad potentiam Dei, cum dixit : Numquid Deo quicquam est difficile? tunc credidit, et hæc fuit quasi secunda promissio. Et ideo dicit, quod repromisit, quia in promittendo primo non credidit, sed in repromittendo. Sed sciendum est, quod omnes conceptus miraculosi, qui fuerunt in veteri testamento, fuerunt quasi figura illius maximi miraculi, quod fuit in Christi incarnatione. Oportuit enim nativitatem ejus ex virgine per aliqua præfigurari, ad præparandos animos ad credendum. Non tamen potuit præfigurari ex æquo, quia necessario figura deficit a figurato. Et ideo scriptura partum virginis ostendit per partum sterilium, sc. Saræ, Annæ, et Elisabeth. Sed differentia est, quia Sara a Deo miraculose accepit virtutem concipiendi, sed tamen ex humano semine. Et ideo dicitur hic in conceptione seminis. Beata vero virgo sine semine. Unde in Sara virtus divina præparavit materiam ad concipiendum tantum ex semine : sed in beata virgine etiam præparavit illam purissimam materiam ex sanguine, et cum hoc fuit ibi virtus Spiritus Sancti loco seminis. Non enim ex virili semine, sed mystico spiramine factum est verbum Dei caro.

Deinde cum dicit : *Propter quod et ab uno* ostendit quid consecutum est in filiis ex virtute Dei, sc. multiplicatio seminis. Ubi primo consideranda est radix hujus multitudinis, quæ fuit una, sc. Abraham, unde dicit: *Propter quod,* sc. meritum fidei, *Ab uno,* sc. Abraham. (*Is.* 51.) *Unum vocavi eum et benedixi ei et multiplicavi eum.* Secundo consideranda est conditio ejus, quia jam emortuis. Unde dicit, *Et hoc emortuo,* quia jam vetulus erat, ut supra dictum est. Sed contra, quia mortua Sara multos filios genuit ex alia uxore, sicut patet (*Gen.* 13.) Ergo male dicit emortuo. Respondeo : dicendum est, quod vetulus bene generat ex juvencula, non autem ex vetula. Et sic erat in ipso mortua virtus generandi quantum ad Saram, non tamen ad alias. Vel dicendum est, quod intelligitur ab uno sc. utero Saræ, jam emortuo. (*Rom.* 4.) *Et emortuam vulvam Saræ.* (*Is.* 51.) *Attendite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram, quæ peperit vos.* Tertio consideranda est differentia inter illos, qui ex Abraham processerunt. Sicut enim *non omnes*, ut dicitur (*Rom.* 9.) *Qui sunt ex Israel, hi sunt Israelitæ, sic nec hi, qui sunt ex semine Abrahæ omnes sunt filii, sed qui filii sunt promissionis æstimantur in semine.* Ideo ejus pregenies dividitur in duas, sc. in bonos et malos. Boni significantur per stellas, de quibus dicit, quod orti sunt tanquam sidera cæli in multitudinem. (*Bar.* 3.)

Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, et lætatæ sunt. Mali vero significantur per arenam maris contiguam, quia mali Judæi de semine Abrahæ conformantur gentilitati. Arena autem fluctibus maris undique concutitur, ita et mali turbinibus mundi. (*Is.* 57.) *Cor impii quasi mare fervens.* Judæi autem non omnino fuerunt arena, sed quasi arena, quia communicabant cum Gentibus in malis. Unde possunt dici terminus maris. (*Jer.* 5.) *Posui arenam terminum mari.* Item arena sterilis est et infructuosa. Ita etiam peccatores sunt steriles ab omni opore boni fructus. Unde dicit, quod etiam *Orti sunt sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis.* Et est sermo hyperbolicus. Vel dicitur innumerabilis, non quia non possit numerari : sed quia non de facili potest numerari. (*Gen.* 12.) *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam, quæ est in littore maris.*

LECTIO 4.

Commendatur Abrahæ fides, qua Deum prosecutus est, quamque usque ad mortem illæsam servavit.

13. *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes et salutantes, et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram.*
14. *Qui enim hoc dicunt, significant se patriam inquirere.*
15. *Et siquidem ipsius meminissent de qua exierunt : habebant utique tempus revertendi.*
16. *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum. Paravit enim illis civitatem.*
17. *Fide, obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones.*
18. (*Ad quem dictum est, quia in Isaac vocabitur tibi semen.*)
19. *Arbitrans quia et a mortuis suscitare potens est Deus. Unde eum et in parabolam accepit.*

Supra commendavit Apostolus fidem Abrahæ quantum ad habitationem, et generationem : hic commendat ipsum quantum ad suam conversationem usque ad mortem. Et circa hoc facit tria : primo enim ostendit quid per fidem fecit : secundo ponit unum quod pertinet ad fidem, ibi : *Qui enim hoc dicunt ;* tertio ostendit quid per fidem recepit, ibi : *Ideo non confunditur Deus.* Fidem Abrahæ et filiorum ejus commendat ex perseverantia, quia usque ad mortem perseveraverunt in fide. (*Matth.* 10 *et* 24.) *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* : ideo dicit, *Juxta fidem omnes isti defuncti sunt,* præter Enoch. Vel omnes isti, sc. Abraham, Isaac, et Jacob. Et hoc est melius dictum, quia istis solum facta est promissio. Item commendat eos a longa promissorum dilatione. Unde dicit : *Non acceptis repromissionibus.* Sed contra, videtur quod receperint promissionem. (*Ezech.* 33.) *Unus erat Abraham et hæreditate possedit terram.* Respondeo : dicendum est, quod possedit, id est, possidendi primus promissionem accepit, non tamen actu possedit, ut patet. (*Act.* 7.) Sequitur, *Sed a longe eas*

aspicientes, quod erat per fidem, quod dicit: Intuentes visu fidei. Et forte de loco isto sumptum est illud responsorium in prima Dominica adventus, Aspiciens a longe, etc. (*Is.* 30.) *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* — *Et salutantes*, id est, venerantes. Et loquitur secundum Chrysost. ad similitudinem nautarum, qui quando primo vident portum, prorumpunt ad laudem, et salutant civitatem ad quam vadunt. Ita sancti patres videntes per fidem Christum venturum, et gloriam quam per ipsum consecuturi erant, salutabant, id est, venerabantur ipsum. (*Ps.* 117.) *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, etc.* (*Joan.* 8.) *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Item commendat fidem ipsorum ex sincera confessione, quia ut dicitur (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et ideo dicit: *Et confitentes, quia peregrini et hospites sunt super terram*, isti enim tres vocaverunt se advenas et peregrinos. Nam (*Gen.* 23.) Dicit Abraham, *Advena sum et peregrinus apud vos.* Dicitur etiam a Domino ad Isaac. (*Gen.* 26.) *Quiesce in terra quam dixero tibi, et peregrinare in ea.* Jacob etiam 47. dicit: *Dies peregrinationis vitæ meæ.* Dicitur autem peregrinus, qui est in via tendendi ad alium locum. (*Is.* 23.) *Ducent eam longe pedes sui ad peregrinandum.* Sed advena est ille, qui habitat in terra aliena nec intendit ulterius ire. Isti autem non solum confitebantur se esse advenas, sed etiam peregrinos. Sic etiam sanctus vir non facit mansionem suam in mundo, sed semper satagit tendere ad cælum. (*Ps.* 38.) *Advena ego sum apud te et peregrinus sicut omnes patres mei.*

Deinde cum dicit: *Qui enim hoc dicunt*, ostendit quod ista confessio pertineat ad fidem. Nullus enim est hospes et peregrinus nisi qui est extra patriam et tendit ad illam. Cum ergo isti confitentur se esse hospites et peregrinos super terram, significant se tendere ad patriam suam, sc. cælestem Jerusalem. (*Gal.* 4.) *Illa quæ sursum est Jerusalem libera est.* Et hoc est, quod dicit: *Qui enim hoc dicunt significant se patriam inquirere.* Sed quia forte posset aliquis dicere, quod verum est, quod ipsi erant peregrini in terra Philistæorum et Chananæorum, inter quos habitabant, tamen intendebant redire in terram unde exierant, hoc removet, dicens: *Et siquidem ipsius*, sc. patriæ suæ, *Meminissent*, de qua exierant: habebant utique tempus revertendi, quia prope erant. *Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem*, unde (*Gen.* 24.) Dixit Abraham servo suo: *Cave ne quando filium meum reducas illuc.* (*Ps.* 83.) *Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Item 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Ipsi ergo patriam istam inquirebant, non domum paternam unde exierunt. In quo significatur, quod illi qui exeunt de vanitate seculi, non debent illuc redire mente. (*Ps.* 44.) *Obliviscere populum tuum et domum patris tui.* (*Luc.* 9.) *Nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* (*Phil.* 3.) *Quæ retro sunt obliviscens, in anteriora me extendens.* Patet autem, quod ista eorum verbo et facto confessio, pertinet ad fidem, quia ipsi illud quod solum eis promissum fuerat nec exhibitum, firmissime crediderunt etiam usque ad mortem.

Unde *Juxta fidem*, id est, juxta se habentes fidem suam quasi sociam et inseparabilem, *Defuncti*. (*Apoc.* 2.) *Esto fidelis usque ad mortem.*

Deinde cum dicit : *Ideo non confunditur*, ostendit quid ex fide sua meruerunt accipere, hoc autem fuit honor maximus. Reputatur autem maximus honor quando denominatur aliquis ab aliquo solemni officio, vel servitio, magni et excellentis Domini, vel principis, sicut notarius papæ, vel cancellarius regis. Major autem honor est quando ille magnus Dominus vult nominari ab his, qui serviunt ei. Sic autem est de istis tribus, Abraham, Isaac, et Jacob, quorum Dominus rex magnus super omnes Deos specialiter vocat se eorum Deum, unde (*Exod.* 3.) *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob:* unde dicit : *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Et hujus potest triplex ratio assignari. Prima, quia Deus per fidem cognoscitur. Isti autem leguntur primo separasse se per cultum specialem ab infidelibus : unde et Abraham primus accepit signaculum fidei. (*Rom.* 4.) *Ut fieret pater multitudinis gentium.* Et ideo proponuntur nobis in exemplum, sicut illi per quos Deus primo cognitus est, et per eos Deus nominatus est, ut objectum fidei. Et idcirco ab eis voluit nominari. Secunda secundum Augustinum in Gloss. quia in istis latet aliquod mysterium. In istis enim invenimus similitudinem generationis qua Deus regeneravit filios spirituales. Videmus autem in ipsis quadruplicem modum generandi. Primus modus est liberorum, per liberas, sicut Abraham per Saram genuit Isaac, qui genuit per Rebeccam Jacob. Jacob autem octo patriarchas per Liam et Rachelem. Secundus modus fuit liberorum per ancillas, sicut Jacob per Balam et Zelpham genuit Dan, et Neptalim, Gad, et Aser. Tertius modus fuit servorum per liberas sicut Isaac genuit per Rebeccam Esau, de quo dictum est : Major serviet minori. Quartus modus fuit servorum per ancillam, sicut per Agar genuit Abraham Ismael. In hoc ergo designatur diversus modus, quo Dominus spirituales filios generat, quia aliquando bonos per bonos, sicut Timotheum per Paulum. Aliquando bonos per malos, et ista est generatio liberorum per ancillas. Aliquando malos per bonos, sicut Simonem magum per Philippum. Et ista generatio servorum per liberas. Malorum autem generatio per malos reputatur in semine. Unde (*Gal.* 4.) *Ejice ancillam et filium ejus.* Tertia ratio, et videtur magis secundum intentionem Apostoli, quia consuetum est, quod rex vocatur a principali civitate, vel a patria tota, sicut rex Jerusalem, Romanorum, rex Franciæ. Et ideo Deus proprie vocatur rex et Deus illorum, qui specialiter spectant ad civitatem illam Jerusalem cælestem, cujus artifex et conditor est Deus. Et quia isti verbo et facto ostendebant se ad illam civitatem pertinere, ideo dicitur Deus illorum, unde dicit : *Paravit enim illis civitatem*, id est, conditor civitatis illius, quam ipse habebat propriam.

Deinde cum dicit : *Fide obtulit*, ponit unum aliud exemplum insigne circa fidem Abrahæ, inquantum respicit Deum, sc. illud maximum sacrificium ejus, quando ad mandatum Domini voluit unigenitum suum immolare filium. (*Gen.* 22.) Et de hoc ostendit tria. Primo quid fecerit, Secundo quod hoc ad fidem pertinet, ibi : *Et unigenitum.* Tertio quid ex hoc recepit, ibi : *Unde eum et in*

parabolam. Dicit ergo: *Abraham cum tentaretur*, *obtulit*, id est, offerre voluit, *Fide Isaac*, sicut patet per totum duodecimum cap. Gen. Hic est duplex quæstio. Una quia innocentem occidere est contra legem naturæ, et ita peccatum : ergo volendo offerre peccavit. Respondeo : dicendum est, quod ille qui ex mandato superioris interficit, si ille licite præcipit, alius licite obedit, et potest licite exequi ministerium suum. Deus autem habet mortis et vitæ auctoritatem. (1 *Reg*. 2.) *Dominus mortificat et vivificat*. Deus autem subtrahendo vitam alicui etiam innocenti, nulli facit injuriam. Unde et quotidie dispositione divina multi nocentes et innocentes moriuntur. Et ideo Dei mandatum licite poterat exequi. Item quæritur de hoc, quod dicit : *Cum tentaretur*. Deus enim nullum tentat, quia tentare est ignorantis. Respondeo : dicendum est, quod diabolus tentat, ut decipiat. (1 *Thess*. 3.) *Ne forte tentaverit vos*, *qui tentat*. Hoc patet in tentatione qua tentavit Christum. (*Matth*. 4.) Homo vero tentat, ut cognoscat. (3 *Reg*. 10.) Dicitur de regina Saba, quæ venit ad Salomonem, ut tentaret eum in ænigmatibus. Sic non tentat Deus, quia omnia novit, sed tentat, ut homo sibi ipsi innotescat quantæ fortitudinis et fragilitatis sit in se. (*Deut*. 8.) *Ut tentaret te, et nota fierent, quæ in animo tuo versabantur*. (2 *Par*. 32.) de Ezechia tentato, ut cognosceretur cor ejus. Item ut alii tentatum cognoscant, qui ex hoc eis proponitur in exemplum, sicut Abraham et Job. (*Eccl*. 44. *et* 1 *Mach*. 2.) *Abraham in tentatione inventus est fidelis*.

Deinde cum dicit : *Et unigenitum*, *etc*. multum subtiliter ostendit, quod illa obedientia pertinebat ad fidem. Sicut enim supra dictum est, Abraham licet multum senex credidit Deo promittenti, quod in Isaac benedicturus esset ei in semine, credebat etiam Deum posse mortuos suscitare. Cum ergo præcipiebatur ei, quod occideret, non erat spes ultra jam de Sara jam valde antiqua, quia Isaac erat jam adolescens, posse habere filium. Et ideo cum crederet, obediendum mandato Dei, non restabat nisi quod crederet resuscitari Isaac per quem debebat ei vocari semen. Unde dicit : *Et unigenitum*, sc. Saræ, *In quo*, sc. filio nato, debebat Deus pactum promissum complere, sicut patet (*Gen*. 17) Vel *unigenitum*, sc. inter liberos. (*Gen*. 22.) *Tolle filium tuum unigenitum Isaac*. — *In quo susceperat repromissiones*. *Ad quem etiam dictum est*, id est, ratione cujus, etc. *Arbitrans*, id est, firmiter credens, *Quia a mortuis potens est Deus eum suscitare*. Hoc ergo fuit argumentum fidei maximum, quia articulus resurrectionis est unus de majoribus.

Deinde cum dicit : *Unde eum et in parabolam accepi*, ostendit quid per fidem meruit, quia cum jam non restaret aliud nisi immolari ipsum, vocavit eum angelus, et arietem hærentem cornibus, loco filii immolavit. Hoc autem fuit parabola, id est, figura Christi futuri. Aries enim hærens cornibus inter vepres, est humanitas confixa cruci, quæ passa est. Isaac, id est, divinitas, evasit, cum Christus vere mortuus est et sepultus. Et sic patet, quod ista figura valde complete adæquat figuratum. Accepit ergo eum, sc. Isaac in parabolam, id est, figuram Christi crucifigendi et immolandi.

LECTIO 5.

Isaaci, Jacobi, ac Josephi fides extollitur, qui filiis benedicentes, in vivo, ac vero Deo tantum fidere, et sperare eos docuerunt.

20. *Fide, et de futuris, benedixit Isaac, Jacob, et Esaü.*
21. *Fide, Jacob moriens, singulos filiorum Joseph benedixit : et adoravit fastigium virgæ ejus.*
22. *Fide, Joseph moriens, de profectione filiorum Israel memoratus est et de ossibus suis mandavit.*
23. *Fide, Moyses natus, occultatus est mensibus tribus a parentibus suis : eo quod vidissent elegantem infantem, et non timuerunt regis edictum.*
24. *Fide, Moyses grandis factus negavit se esse filium filiæ Pharaonis.*
25. *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.*
26. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem.*

Supra posuit Apostolus exemplum de fide Abrahæ, hic ponit exemplum de fide Isaac, Jacob, et Joseph. Et primo de fide Isaac. Dicit ergo, quod *Isaac fide de futuris*, id est quæ se extendebat ad futura : *Benedixit Jacob et Esau*, Vel *Benedixit de futuris*, id est pro futuris, vel benedictione, quæ se extendebat ad futura. Verba enim sua non habebant efficaciam nisi ex virtute Dei, per quam quidem benedictionem minor prælatus fuit majori. Quod non fuit quantum ad personas eorum, sed quantum ad duos populos, qui ex ipsis exierunt. (*Ps.* 107.) *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Fuerunt enim Idumæi, qui egressi sunt de Esau subjecti filiis Israel. In quo significabatur, quod minor populus, sc. gentium, per fidem debebat prævenire populum majorem, sc. Judæorum. (*Matth.* 8.) *Multi ab oriente et occidente venient et recumbent cum Abraham, Isaac, et Jacob in regno cœlorum, filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Ista vero benedictio, quæ erat de fide Gentium futura, per fidem facta fuit, qua respicit aliquid futurum.

Deinde cum dicit : *Fide Jacob moriens singulos filiorum benedixit*, prosequitur de fide Jacob, et ponit illud quod ipse fecit in benedicendo duobus filiis Joseph, sicut habetur (*Gen.* 48.) Ubi dicitur, quod cum nuntiatum fuisset Joseph, quod pater ejus ægrotaret, adduxit duos filios suos, quibus Jacob benedixit cancellatis manibus, in hoc præferens Effraim Manasse quantum ad dignitatem, quia de Effraim fuit dignitas regalis, sc. Jeroboam. Hæc autem benedictio fuit per fidem, quia revelatum ei fuit, quod ita futurum erat. Quæ quidem benedictio referebatur ad populum, qui egressus est ab ipsis, non ad personas ipsorum. Item, *Per fidem adoravit fastigium virgæ ejus*, hoc habetur (*Gen.* 50.) Ubi dicitur, quod fecit Joseph jurare, quod sepeliret eum in sepulchro patrum suorum, et post juramentum, tanquam securus de promisso, adoravit ad caput lectuli, ut dicit littera nostra. Vel fastigium virgæ ejus, ut dicunt 70. Vel super fastigium, ut habetur in Græco. Et totum hoc potest stare, quia ipse erat senex, et ideo portabat virgam, vel recepit sceptrum Joseph donec jurasset, et

antequam redderet ei adoravit, non ipsam virgam, nec Joseph, ut quidam male putaverunt, sed ipsum Deum innixum ad cacumen, vel super fastigium virgæ ejus. Ad quod motus fuit ex consideratione potestatis Christi, quam potestas Joseph præfigurabat. Ipse enim tanquam præfectus Ægypto portabat sceptrum, in signum potestatis Christi. (*Ps.* 2.) *Reges eos in virga ferrea.* Vel si adoravit fastigium, idem est sensus, quia adoravit Christum significatum per virgam illam, sicut et nos adoramus crucifixum et crucem ratione Christi passi in ipsa. Unde proprie non adoramus crucem, sed Christum crucifixum in ipsa.

Deinde cum dicit : *Fide Joseph,* prosequitur exemplum de fide Joseph, ubi ponit duo, quæ habentur (*Gen. ult.*) Ubi dixit fratribus suis: *Visitabit vos Dominus,* et mandavit ossa sua inde portari. Unde fides ejus fuit quantum ad duo, primo quia credidit promissionem factam debere impleri per reditum filiorum Israel in terram promissionis, secundo, quia in ipsa credebat Christum esse nasciturum, et resurrecturum, et multos cum ipso, unde desiderabat habere partem in illa resurrectione. Et hoc est, quod dicit, quod *Joseph moriens fide,* id est, per fidem, memoratus est de profectione filiorum Israel et hoc quantum ad primum. *Et de ossibus suis mandavit,* quantum ad secundum. Sed quare non fecit se statim portari sicut pater suus? Respondeo : dicendum est, quod hoc non potuit, quia non habebat tunc tantam potestatem sicut habebat in morte patris. Et ideo tunc poterat hoc facere, quod tamen circa mortem suam non potuit. Secundo, quia sciebat, quod multas afflictiones debebant sustinere filii Israel post mortem ejus. Ut ergo haberent certam spem de liberatione sua, et reditu ad terram promissionis, voluit ad solatium corpus suum remanere cum ipsis. Unde et Moyses tulit illud secum, sicut et quælibet Tribus corpus patris sui, ut dicit Hieron.

Deinde cum dicit : *Fide Moyses,* prosequitur de patribus, qui fuerunt sub lege. Hoc enim tempus incœpit a Moyse. (*Eccl.* 24.) *Legem mandavit Moyses in præceptis justitiarum.* (*Joan.* 1.) *Lex per Moysen data est.* Istud autem tempus distinguitur in tria, sc. ante exitum de Ægypto, in exitu, et post exitum. Unde tria facit. Primo enim ostendit quid factum sit ante exitum. Secundo quid in exitu, ibi : *Fide reliquit Ægyptum.* Tertio quid in terra promissionis, ibi : *Quid adhuc dicam.* Circa primum duo facit. Primo enim ostendit quid sit factum in nativitate Moysi. Secundo quod ipse fecit, ibi : *Fide Moyses.* Ubi tangitur historia, quæ ponitur (*Exod.* 1.) Quod Pharao mandavit occidi masculos ne multiplicarentur. Secundo habetur quod parentes Moysi videntes ipsum elegantem, absconderunt eum mensibus tribus, quod attribuit Apostolus fidei ipsorum. Credebant enim aliquem nasciturum, qui liberaret eos ab illa servitute. Unde ex elegantia, pueri æstimabant aliquam virtutem Dei esse in illo. Ipsi enim erant rudes et rustici : sudantes in operibus luti et lateris. (*Eccl.* 19.) *Ex visu cognoscitur vir.* Ex quo habetur, quod licet fides sit de invisibilibus, tamen per aliqua signa visibilia possumus niti ad ipsam. (*Marc. ult.*) *Sermonem confirmante sequentibus signis.* Quod autem ipsi hoc fecerunt ex fide non ex affectu carnali patet, quia non timuerunt regis edictum. Unde exponebant se periculo personarum, quod non fecissent nisi credidissent aliquid ma-

n futurum de puero. (*Matth.* 10.) *te timere eos, qui occidunt corpus,* Sed contra, quia ipsi postea ›suerunt ipsum, ergo non prop- dem servabant ipsum. Respon- dicendum est, quod exposuerunt n non ad necandum, sed ne sur- ·etur eis, unde posuerunt eum in lla, committentes eum divinæ identiæ. Credebant enim proba- ›r, quod fuisset interfectus si et apud eos inventus.

inde cum dicit : *Fide grandis ·us,* ostendit quid ipse Moyses idem fecerit. Et primo quid fe- ›ecundo ostendit, quod illud fac- pertinebat ad fidem, ibi : *Aspi- ·t enim.* Tangit enim historiam, habetur (*Exod.* 2.) Ubi dicitur, filia Pharaonis fecit ipsum a ma- ›ueri nutriri, et quod adoptavit in filium. Ipse autem *Negavit se filium ejus,* non quidem verbo, 'acto, quia contra voluntatem ›onis interfecit Ægyptium, qui at Hebræum. Et hoc est, quod : *Grandis effectus* per fidem *vit se esse filium filiæ Pharaonis.* autem affectu hoc fecerit ostendit subdit : *Magis eligens.* In quo ditur mirabilis virtus ejus. Duo sunt quæ maxime homines ap- ·t, sc. jocunditatem et delecta- m circa bona exteriora, et his aria maxime fugiunt, sc. dolo- et afflictionem, quæ opponitur ›, paupertatem et abjectionem, opponitur secundo. Ista autem legit Moyses, sc. quia præposuit ›m et afflictionem jocunditati ·ti temporalis, quæ sc. semper um peccato. Item paupertatem osuit divitiis propter Christum. ›. 16.) *Melius est humiliari cum us, quam dividere spolia cum bis.* (*Ps.* 83.) *Elegi abjectus esse in domo Dei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Quantum ergo ad primum dicit : *Magis eligens affli- gi cum populo Dei,* sc. quem Pharao affligebat, *Quam habere jocunditatem peccati temporalis,* id est, transitorii. Quod fuisset si cum Ægyptiis afflixis- set filios Israel. Quantum autem ad secundum, sc. quod præelegit pau- pertatem, dicit : *Majores divitias æs- timans improperium Christi*, id est, pro fide Christi, eadem enim est fides antiquorum et nostra. Vel improperium Christi, quod sc. sustinuit a fratribus suis, sicut dictum est, Numquid in- terficere tu me vis, sicut occidisti heri Ægyptium. Quod improperium fuit figura, quod Christus suscipere deberet improperium a Judæis. (*Ps.* 68.) *Improperium expectavit cor meum et miseriam.* — *Majores autem divi- tias credidit esse duo prædicta thesau- ris Ægyptiorum.* (*Is.* 33.) *Divitiæ sa- lutis sapientia et scientia.*

Deinde cum dicit : *Aspiciebat enim,* ostendit quod prædicta facta Moysi pertinebant ad fidem Christi. Scien dum est autem, quod quædam sunt secundum se bona et delectabilia, quædam autem secundum se tristia et mala. Mala autem nullus prop- ter se præelegit, sed propter finem, sicut infirmus præelegit potionem amaram, et tristia delectabilibus ratione alicujus majoris boni, quod per hoc potest consequi, præponuntur. Et sic sancti propter spem finis ultimi æter- næ fœlicitatis, præeligunt afflictiones et paupertatem divitiis et voluptati- bus, quia per ista impediuntur a consecutione finis sperati. (*Matth.* 5.) *Beati eritis cum male dixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, etc.* Et sequitur : *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* (*Gen.* 15.) *Ego protector tuus*

sum, et merces tua magna nimis. Et ideo dicit, quod hoc faciebat, quia *Aspiciebat* oculis, sc. fidei, *In remunerationem*, quam sc. ex hoc sperabat. Unde fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, ut supra dictum est, etc.

LECTIO 6.

Virtus fidei aperitur in Moyse, Josue, et meretrice Raab.

27. *Fide, reliquit Ægyptum : non veritus animositatem regis. Invisibilem enim tanquam videns sustinuit.*

28. *Fide, celebravit pascha, et sanguinis effusionem : ne qui vastabat primitiva, tangeret eos.*

29. *Fide, transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram : quod experti Ægyptii, devorati sunt.*

30. *Fide, muri Jerico corruerunt, circuitu dierum septem.*

31. *Fide, Raab meretrix non periit cum incredulis : excipiens exploratores cum pace.*

Supra posuit Apostolus fidem Moysi quantum ad id quod fecit in Ægypto: hic quantum ad id quod fecit in exitu de Ægypto. Et circa hoc facit tria. Primo enim ostendit quid fecerit in exitu de Ægypto. Secundo ostendit modum exeundi, ibi : *Fide celebravit.* Tertio quid per fidem factum est cum populo infideli, ibi : *Fide Raab.* Dicit ergo, quod *Moyses fide*, id est, per fidem, *Reliquid Ægyptum.* Sicut autem habetur (*Exod.* 2.) Primo fugit de Ægypto interfecto Ægyptio. Secundo autem exivit quando simul omnes filios Israel eduxit. Gloss. autem exponit de secundo exitu, quia sequitur, *Non veritus animositatem*, id est, indignationem, *Regis.* In primo enim exitu legitur (*Exod.* 2.) *Eum timuisse.* (*Prov.* 14.) *Iracundiam regis inutilis sustinebit.* In secundo vero non timuit. (*Prov.* 8.) *Justus quasi leo confidens, absque terrore erit.* Potest tamen referri ad primum. Sed nunquid tunc non timuit? Respondeo : dicendum est, quod in timore duo consideranda sunt. Unum, quod aliquando potest esse vituperabile, sc. quando propter timorem facit aliquid non faciendum, vel dimittit faciendum. Et sic non timuit Moyses, quia propter timorem non dimisit juvare fratres suos. Aliud est, quod potest esse laudabile, quando, sc. salva fide, refugit periculum propter timorem instantem. (*Matth.* 10.) *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Si enim aliquis salva honestate sua posset vitare periculum et non vitaret, stultus esset, et tentaret Deum, quod est diabolicum. Et sic Jesus cessit volentibus ipsum lapidare, nec ad suggestionem diaboli voluit se præcipitare : ita et Moyses confidens de divino auxilio, fugit propter timorem regis ad tempus. Et probat, quod hoc fecit ex fide, quia fides est de invisibilibus. *Et iste sustinuit*, id est, expectavit, *Deum invisibilem*, et ejus adjutorium, *Tanquam videns.* (*Ps.* 26.) *Confortetur cor tuum et sustine Dominum.* (1 *Tim.* 1.) *Regi autem seculorum immortali, invisibili, etc.* Moyses enim in utroque exitu expectabat Dei adjutorium, unde in primo dicit : (*Exod.* 2.) *Deus patris mei adjutor meus.* In secundo

vero : (*Exod.* 14.) *Vos tacebitis et Dominus pugnabit pro vobis.*

Deinde cum dicit : *Fide celebravit pascha,* ostendit quid fecerit quantum ad modum transeundi. Et primo ponit illud quod fuit factum ad præparationem transitus. Secundo quantum ad ipsum transitum, ibi : *Fide transierunt.* Tertio quantum ad id quod per fidem factum fuit quantum ad introitum terræ promissionis, ibi : *Fide muri Jerico.* Quantum ad primum ponit historiam, quæ habetur (*Exod.* 12.) Ubi Dominus mandavit illis ante exitum filiorum Israel, sc. eadem nocte immolari agnum et de sanguine ejus utrumque postem et superliminare liniri, carnes ejus assas cum azymis et lactucis agrestibus comedi, cum multis aliis, quæ observanda erant, ut ibi habet videri. Et hoc vocabatur pascha, sc. esus agni, et effusio sanguinis, quæ duo concurrebant ad transitum illum quem facturi erant in proximo. Dicitur autem pascha a paschin Græce, quod Latine est, passio, vel a phase, quod Hebraice idem est quod transitus. In hoc autem figurabatur, quod Christus per passionem transiret ex hoc mundo. (*Joan.* 13.) *Ut transeat ex hoc mundo.* Item quod nos per meritum mortis ejus a terrenis ad cælestia, ab inferno transimus ad cælum. (*Eccl.* 24.) *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me.* Quod quidem fuit per virtutem sanguinis Christi. (*Supra* 10.) Habentes itaque fiduciam fratres in introitu sanctorum in sanguinem Christi. Fuit autem in illo paschate duplex transitus. Unus quo transibat Dominus percutiens Ægyptios, alius quo populus transibat. Sic etiam sanguine Christi, qui est agnus immaculatus, debent liniri postes fidelium, intellectus, sc. et affectus. Dicit ergo: *Fide,* id est, per fidem, *Celebravit pascha,* id est, esum agni. *Et sanguinis effusionem,* ad liniendum postes domorum. Et quare hoc faciebat? *ne*, sc. *qui vastabat primogenita* Ægyptiorum *Tangeret eos.* (*Ps.* 77.) *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti.* Sed quæritur quorum ministerio hoc factum sit, utrum sc. bonorum, vel malorum angelorum, quia videtur quod per malos. (*Ps.* 77.) *Immissionem per angelos malos.* Respondeo : dicendum est, quod non est inconveniens de quibuscumque. Unde sciendum est, quod pœnarum inflictio fit interdum per bonos angelos. Sicut enim dicit Dionys. 4. c. de div.no. Punire malum non est malum, sed malum facere est malum. Punitio enim est opus justitiæ, sicut patet de angelo, qui contrivit castra Assyriorum. (*Is.* 37.) Qui creditur fuisse bonus angelus. Unde talis punitio indifferenter fit per bonos et malos, sed differenter a bono et a malo, quia bonus non punit nisi exercendo justitiam divinam in malos. Et in scripturis operatio tam diaboli, quam boni angeli, cujusmodi est hæc, attribuitur Deo. Malus autem etsi obsequatur divinæ justitiæ, tamen non ex intentione justitiæ hoc agit, sed ex perversitate voluntatis suæ affligit bonos et malos, et libentius bonos si permittatur, sicut patet de Job. Iste angelus, qui dixit Moysi : Transibit Dominus percutiens Ægyptum, bonus angelus fuit, cum ipse aliquando loquatur in persona sua. Bono autem angelo aliquando subministrat spiritus nequam, unde adhibitum fuit ibi ministerium ejus, licet ex intentione suæ malæ et perversæ voluntatis voluntarie operantis ad cædem. Et ideo dicit iram et tribulationum immissionem per angelos malos. Non ergo tangebat eos,

qui erant sanguine signati malus angelus terrore et timore Dei, utpote non permissus. Bonus autem inde terrebatur admirando virtutem Dei.

Deinde cum dicit : *Fide transierunt, etc.*, ostendit quid egit in ipso transitu. Et primo ostendit hoc. Secundo ostendit, quod illud pertinebat ad fidem, ibi : *Quod experti.* Dicit ergo, quod *Fide*, id est, per fidem, *Transierunt mare rubrum tanquam per aridam terram.* Duo enim ibi per fidem facta sunt. Unum, quod homo fecit, sc. quod commiserunt se ad transeundum, quod non fuit nisi per fidem. Aliud fuit ex parte Dei, sc. quod aquæ fuerunt eis pro muro. Hoc etiam fuit per fidem. Operatio enim miraculorum attribuitur fidei. (*Matth.* 17.) *Si habueritis fidem sicut granum synapis, dicetis monti huic, transi hinc et transibit,* ergo hoc fide factum est, id est, hoc meruit fides. Et hoc habetur (*Exod.* 14 *et* 15.) Deinde ostendit, quod hoc pertinet ad fidem, quia *Ægyptii hoc experti*, id est, volentes experiri, *Devorati sunt*, quia sc. non habuerunt fidem. (*Exod.* 15.) *Extendisti manum tuam, et devoravit eos terra.*

Deinde cum dicit : *Fide muri Jerico corruerunt, circuitu dierum septem.* Agit de eo, quod per fidem factum est in introitu terræ promissionis. De hoc habetur (*Josue* 6.) Ubi dicitur, quod ad mandatum Domini, sacerdotes septem diebus cum arca testamenti circuierunt primam civitatem ultra Jordanem, sc. Jerico, et septima die septimo circuitu, muri ejus corruerunt : hoc fuit aliquid ex parte hominis, sc. quod ex mandato Domini circuierunt, credentes mandatum Domini debere impleri. Aliquid autem ex parte Dei, sc. quod sic ad circuitum eorum muri corruerunt. Moraliter Jerico interpretatur luna sive defectus, et significat mundum istum. Muri ejus sunt impedimenta quibus aliquis detinetur in mundo. Per buccinas quibus Levitæ et sacerdotes intonabant, vox prædicatorum significatur. Per circuitum septem dierum totus designatur decursus præsentis temporis, qui per septem dies completur. Per quæ datur intelligi, quod omnia impedimenta mundi cadunt ad continuam vocem prædicationis. (2 *Cor.* 10.) *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

Deinde cum dicit : *Fide Raab meretrix*, ostendit quid factum sit per fidem ab aliquo de populo infideli, sc. a Raab, de qua (*Josue* 5 *et* 6.) Cum enim Josue misisset exploratores ad explorandum Jerico, ipsi evaserunt auxilio istius mulieris, quæ dicitur meretrix, id est, idololatra. Vel ad litteram, meretrix erat, ad quam ingressi sunt non ad peccandum, sed ad latendum. Domus enim talium patent, maxime de nocte. Isti etiam venerant de nocte. Domus etiam ejus conjuncta erat muro. Meretrices autem absque exceptione accipiunt indifferenter, et ideo melius poterant apud eam occultari. Ista ergo per fidem liberata fuit. Unde dicit : *Raab meretrix fide*, id est, per fidem, *Recipiens exploratores cum pace non periit cum incredulis*, qui corporaliter perierunt, quia exploratores juraverant ei ipsam liberare et omnem domum patris sui, quod et fecerunt. Quare autem magis declinaverint ad ipsam potest dici, quia ut ipsa minus posset inculpari, indifferenter omnes recipiens. Nec erat conveniens, ut salus

ipsorum fieret alicui salvanti ipsos occasio mortis. In hoc autem, quod ex ipsa receptione ipsorum liberata est, designatur quod recipientes prædicatores evangelii liberantur a morte æterna. (*Matth.* 10.) *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet.*

LECTIO 7.

Fides eorum extollitur, qui terram promissionis ingressi, ejus virtute, mira sunt operati in terra.

32. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem, de Gedeon, Barach, Samson, Jepte, David, Samuel, et prophetis.*

33. *Qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum.*

34 *Extinxerunt impetum ignis, effugaverunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.*

35. *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.*

Supra posuit Apostolus ea, quæ facta sunt a patribus per fidem ante introitum, et in ipso introitu terræ promissionis, hic accedit ad narrandum exempla illorum, qui fuerunt in ipsa terra promissionis, quæ quia multa sunt, ideo breviter præmissis nominibus patrum ponit in generali præcipua facta ipsorum, ponens causam illius brevitatis. Et circa hoc facit tria. Primo ponit nomina patrum et causam quare breviter vult eorum facta pertransire. Secundo ostendit quid fecerunt per fidem, ibi : *Qui per fidem vicerunt.* Tertio quid per fidem receperunt, ibi : *Adepti sunt.* Dicit ergo : *Quid adhuc dicam?* Quasi dicat : Perveni usque ad tempus introitus terræ promissionis, in quo pauca respectu dicendorum dicta erant. Remanent enim tot dicenda, quod non possent explicari. *Deficiet enim tempus me enarrantem,* id est, si velim enarrare, non sufficiet mihi tempus epistolaris enarrationis, quæ debet esse succincta. Unde Hier. ad Paulinum, 6 cap. Neque enim epistolaris angustia longius evagari patiebatur. Vel tempus, intellige vitæ. Isto modo loquitur Joan. ult. *Sunt quidem et alia multa, quæ fecit Jesus, etc.* Ubi dicit Gloss. quod loquitur hyperbolice, nec tamen est falsum, sed est figurativa locutio. (*Ps.* 39.) Ubi nos habemus, annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum, dicitur littera Hieronymi, si annuntiare voluero, plura sunt, quam narrari queant. Sciendum tamen, quod aliqui istorum aliqua mala fecerunt, et aliqua bona, unde non numerantur hic nisi quantum ad bona, quæ fecerunt, vel receperunt. Tamen probabile est, quod fuerint finaliter sancti ex quo Apostolus nominat eos in catalogo sanctorum. Primo ergo ponit Gedeonem, de quo (*Judic.* 6) Quem præmittit, et quia nihil mali fecit, et quia fecit factum multum insigne, et forte etiam, quia accepit maximum signum incarnationis Christi in vellere et rore, de quo dicitur in (*Ps.* 71.) *Descendet sicut pluvia in vellus.* Secundo ponit Barach, de quo (*Judic.* 4.) Qui non fuit ita insignis sicut Gedeon, cui etiam illa victoria non fuit reputata,

sed magis mulieri, et ideo forte postponit ipsum. Tertio ponit Samson, de quo (*Judic.* 13.) De quo specialiter videtur, quod non deberet hic numerari, quia in morte peccavit interficiendo se. Augustinus autem, 1. de civitate Dei dicit, quod excusatur, quia creditur hoc fecisse mandato Dei, cujus signum est, quia non potuisset domum tantam propria virtute subvertere, sed virtute Dei, quæ non adjuvat ad malum. Quarto ponit Jepte, de quo (*Judic.* 11.) Istum postponit Samsoni, quia non fecit tot facta insignia sicut ille. Dubitatur autem de Jepte, si immolando filiam suam ex voto peccaverit, videtur quod non, quia dicitur ibi : Irruit spiritus Domini in Jepte. Et post hoc sequitur votum suum et victoria. Contra. Dicit Hieron. quod fuit in vovendo indiscretus, et in reddendo impius. Respondeo : dicendum est, quod fuit ibi aliquid a Spiritu Sancto, sc. motus ad vovendum in generali, quod sc. immolaret quidquid occurreret sibi immolabile, aliquid autem ex proprio suo spiritu, sc. quod immolavit, quod non debuit, et in hoc peccavit, sed post pœnituit. Similiter Gedeon peccavit faciendo Ephor, et in tentando Deum in petitione signi in vellere, et postea pœnituit, sicut et David, de quo subdit dicens : Et David et Samuel, de quibus, sc. in libris Reguum agitur. Et aliis prophetis, de quibus si vellem dicere, tempus deficiet. Sed tunc quæstio est utrum omnes isti, qui dicti sunt, fuerunt prophetæ. Respondeo : dicendum est, quod Spiritus Sanctus movet mentem prophetæ, sicut agens principale movet instrumentum suum. Potest autem Spiritus Sanctus movere ad tria, sc. ad cognoscendum, ad loquendum et ad faciendum. Et quodlibet istorum dupliciter. Ad cognoscendum, sc. quandoque cum intellectu ejus quod videtur, sicut fuit Esaias et alii prophetæ, unde dicti sunt et videntes. (1 *Reg.* 19.) Qui hodie dicitur propheta, olim dicebatur videns. Aliquando autem sine cognitione ejus, quod videtur, sicut patet in somnio Pharaonis, et in visione Balthasar. Ad loquendum etiam movet dupliciter, quandoque ad sciendum id de quo loquitur, sicut patet de David : quandoque autem nescit, sicut Caiphas, et forte Balaam. Similiter etiam quandoque movet ad faciendum, et scit quid facit, sicut Jeremias, qui abscondit lumbare suum super Euphratem. Quandoque autem nescit, sicut dicit Aug. super Joannem de militibus, qui diviserunt sibi vestimenta Christi, non tamen cognoscebant mysterium, ad quod illa divisio ordinabatur. Hoc est ergo de ratione prophetæ, quod cognoscat illud quod videt, vel dicit, vel facit. Quando autem non cognoscit, non est vere propheta, sed participative tantum. Et sic dicit Joannes Caipham prophetasse, quia habuit aliquid prophetiæ. Iste autem motus Spiritus Sancti dicitur instinctus secundum Augustinum.

Deinde cum dicit : *Qui per fidem vicerunt regna*, ostendit quid sancti, de quibus locutus est, fecerunt, et primo ostendit hoc in generali. Secundo descendit ad quædam specialia, ibi : *Obturaverunt ora leonum*. Primo autem ponit facti ipsorum meritum. Secundo præmium, ibi : *Adepti sunt*. Circa primum sciendum est, quod inter omnes actus exteriores virtutum moralium actus fortitudinis et justitiæ videntur esse præcipui, quia maxime pertinent ad bonum commune. Per fortitudinem enim respublica defenditur ab hoste, per justitiam vero

conservatur. Unde Apostolus ex utroque actu commendat sanctos patres. Ab actu quidem fortitudinis, cum dicit, quod isti *Per fidem vicerunt regna*, id est, reges, vel etiam regna ipsorum, sicut David et Josue. Nihilominus tamen Sancti spiritualiter per fidem vicerunt regna, sc. regnum diaboli, de quo (*Job.* 4.) *Ipse est rex super universos filios superbiæ.* Item carnis. (*Rom.* 6.) *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Item regnum mundi. (*Joan.* 18.) *Regnum meum non est de hoc mundo.* Isti autem vincunt per fidem. (1 *Joan.* 5.) *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides nostra.* Nullus enim potest præsentia contemnere, nisi propter spem futurorum bonorum. Per contemptum enim principaliter vincitur mundus. Et ideo quia fides ostendit nobis invisibilia, propter quæ contemnitur mundus, ideo, vincit mundum fides nostra. Ab actu autem justitiæ commendat eos, cum dicit : *Operati sunt justitiam.* Aliquando autem justitia est virtus generalis, quando sc. obedit legi divinæ. (*Ps.* 10.) *Justus Dominus, et justitias dilexit.* Et (2 *Mac.* 9.) *Justum est subditum esse Deo.* (1 *Joan.* 3.) *Qui justitiam facit, justus est.* Aliquando autem est virtus specialis, et ista consistit in actionibus et communicationibus humanis, quando sc. reddit quis unicuique quod suum est. Utramque autem justitiam habuerunt sancti. (*Is.* 54.) *Hæc est hæreditas servorum Dei, et justitia apud me, dicit Dominus.* (*Eccl.* 1.) *Concupiscens sapientiam serva justitiam*, sc. obediendo mandatis. Item ipsam exercendo in populo. (*Ps.* 18.) *Feci judicium, et justitiam, etc.*

Deinde cum dicit : *Adepti sunt*, ostendit quid receperunt, quia *Adepti sunt repromissiones.* Promissio enim Dei efficax est, quia nunquam deficit Deus in promissis. (*Rom.* 4.) *Quæcumque promisit Deus potens est et facere.* (*Ps.* 144.) *Fidelis Deus in omnibus verbis suis.* Sed contra. Supra eodem, juxta fidem defuncti sunt, non acceptis repromissionibus. Respondeo : dicendum est, quod illud quod hic dicitur, tripliciter potest intelligi. Uno modo, quod promissio Dei sit illa specialis qua promittit sanctis vitam æternam. Et istam nullus accepit ante adventum Christi. (*Rom.* 15.) *Ad confirmandas promissiones patrum.* Secundo pro promissione de terra promissionis habenda. Et etiam non acceperunt priores patres tres, sc. Abraham, Isaac, et Jacob, sed tantum patres posteriores, sicut Josue et alii sancti. Tertio pro promissione particulari, sc. ejus quod unicuique promissum fuit, sicut David regnum, et Ezechiæ sanitas. Et istas promissiones consecuti sunt.

Deinde cum dicit : *Obturaverunt ora leonum*, ponit quædam particularia beneficia aliquibus collata. Et primo quæ pertinent ad remotionem mali. Secundo illa quæ pertinent ad executionem boni, ibi : *Fortes facti sunt in bello.* Malum autem nocivum hominis est duplex. Unum exterius, aliud interius. Secundum ponit, ibi : *Convaluerunt.* Exterius autem malum est duplex, quia aut illatum est a creatura irrationali, aut rationali. Secundum ponit, ibi : *Effugaverunt.* Ab irrationali duplex, sc. vel ab inanimata, vel ab animata. Nocumentum illatum ab inanimata tangit, ibi : *Extinxerunt impetum.* Quantum ergo ad animata dicit : *Obturaverunt ora leonum.* Loquitur autem in plurali, licet non fuerit nisi unus, sc. Daniel : sicut etiam dicitur (*Matth.* 2.) *Defuncti sunt enim, qui quærebant ani-*

mam pueri. Nullus autem tunc quærebat Christum occidere nisi solus Herodes. Cujus ratio est, quia loquitur de omnibus sanctis communiter, quasi de uno collegio sanctorum. Et quod unus facit imputatur aliis, et etiam omnibus, quod fit per virtutem Spiritus Sancti, quæ est communis omnibus. Unde etiam in isto contextu loquitur tanquam de pluribus. Potest etiam dici quod hoc completum est in David, qui sicut ipse dicit (*1 Reg.* 17.) *Leonem et ursum interfeci.* Et etiam Samson. (*Judic.* 14.) Per Leonem autem spiritualiter intelligitur diabolus. (*1 Pet.* 5.) *Adversarius vester diabolus, etc.* Qui ergo insultus ejus reprimit, os leonum obturat. (*Job.* 29.) *Conterebam molas iniqui, et de dentibus ejus auferebam prædam.* Nocumentum a re inanimata removet cum dicit: *Extinxerunt impetum ignis,* sicut habetur de tribus pueris in Dan. 3. Item ad preces Moysi et Aaron extinctus est ignis qui missus a Domino devorabat populum murmurantem, sicut patet (*Num.* 11. 16.) Ignis iste est interior motus concupiscentiæ vel iræ. Qui ergo refrenat illum motum, extinguit impetum ignis. (*Ps.* 57.) *Supercecidit ignis, et non viderunt solem.* Remotionem nocumenti per rationalem creaturam illatam tangit cum dicit : *Effugaverunt aciem gladii,* id est, aciem hostis cum gladiis acutis. Hoc autem frequentissime factum fuit per ipsos, sicut patet de Josue, Gedeone, et David. Per gladium autem mala suasio intelligitur. (*Ps.* 56.) *Lingua eorum gladius acutus.* Istos gladios fugat, qui malam linguam tacere facit. (*Eccl.* 28.) *Sepi aures tuas spinis, et noli audire linguam nequam.* (*Prov.* 25.) *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* Nocumentum interius est infirmitas, de cujus remotione dicit : *Convaluerunt de infirmitate,* sicut specialiter apparet de Ezech. (*4 Reg.* 20. *et Is.* 38.) Ista autem infirmitas est peccatum. (*Ps.* 6.) *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Convalescit ergo, qui resurgit.

Deinde cum dicit : *Fortes facti sunt,* ponit beneficia quantum ad assecutionem boni, et ponit tria. Primum pertinet ad hoc, quod fortiter egerunt. Unde dicit : *Fortes facti sunt in bello,* sicut patet de Josue. (*Eccl.* 46.) *Fortis in bello Jesus Nave, successor Moysi in prophetis, etc.* Sic patet etiam de multis aliis. Secundum pertinet ad effectum illius fortitudinis. Unde dicit : *Castra verterunt exterorum,* sicut patet de Machabæis, et de David. (*Ps.* 26.) *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.* Sed tertium pertinet ad effectum fortitudinis divinæ. Unde dicit : *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos,* id est, per resurrectionem. Quod aliqui male intelligentes exposuerunt mortuos suos, id est, viros suos resuscitatos, per hoc asserentes, quod per mortem non solvitur matrimonium, quod falsum est, etiamsi resurgeret. Et est contra Apost. (*Rom.* 7.) *Si dormierit vir ejus liberata est a lege viri.* Unde sciendum est, quod etiam in effectibus sacramentorum est quædam differentia. Quædam enim sacramenta imprimunt characterem, sicut baptismus, confirmatio, et ordo. Et quia character in anima perpetuo manet, ideo baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus, si resuscitaretur, non debet iterari aliquod illorum sacramentorum. Alia vero sacramenta non imprimunt characterem sicut pænitentia, extrema unctio, et sic de aliis, quia sunt contra

aliquid iterabile, et ideo iterari possunt. Inter illa autem est matrimonium, et ideo non dicit vivos, sed mortuos, quia matres filios suos mortuos receperunt per resurrectionem, quorum resurrectio fuit quoddam præsagium futuræ resurrectionis inchoatæ per Christum. De istorum resurrectione, vel magis resuscitatione, habetur (3 *Reg.* 17. *et* 4. *Reg.* 4.) Tamen isti sic resuscitati sunt iterum mortui, Christus autem resurgens ex mortuis jam non moritur. (*Rom.* 6.) Unde resurrectio ejus fuit initium futuræ resurrectionis. (1 *Cor.* 15.) *Christus resurrexit a mortuis primitiæ dormientium.* Sicut autem ista temporalia beneficia illis data sunt tanquam infirmis, ad sustentationem per meritum fidei ipsorum, ita fuerunt figura futurorum bonorum, quæ nobis ex merito fidei dabuntur. (*Matth. ult.*) *Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur, etc.* Quæ Gregor. exponit de bonis spiritualibus.

LECTIO 8.

Exempla eorum ponuntur, qui propter fidem, tum in vita, tum etiam in morte multa passi sunt.

35. *Alii autem distenti sunt, non suscipientes redemptionem, ut invenirent meliorem resurrectionem.*
36. *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres.*
37. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti.*
38. *Quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes: in montibus, et speluncis et in cavernis terræ.*
39. *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem.*
40. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.*

Supra posuit Apostolus exempla sanctorum patrum antiquorum, qui multa et magna fecerunt propter fidem, hic ponit exempla illorum, qui multa propter fidem passi sunt. Et circa hoc facit duo. Primo enim ostendit quomodo passi sunt propter fidem. Secundo ostendit quomodo promissiones eis factæ dilatæ sunt, et quare, ibi: *Et hi omnes testimonio.* Circa primum duo facit, quia primo ponit mala ab aliis eis illata. Secundo mala propria voluntate assumpta, ibi: *Circuierunt in melotis*; ab aliis autem illata sunt eis mala dupliciter, quia quædam in vita, quædam vero in morte. Et ista duo ponit, ibi: *lapidati sunt.* In vita vero mala tripliciter illata sunt eis, quia quædam quantum ad corporalem afflictionem, quædam quantum ad irrisionem, quædam quantum ad inclusionem. Quantum ad primum dicit: Alii autem, etc. quasi dicat: Ita dictum est, quod quidam multa bona receperunt propter fidem, vel in amotione mali, vel in executione boni temporalis, in quibus figuratur vetus testamentum, quod conferebat bona temporalia. Sed alii multa propter fidem passi sunt, quorum, *Quidam distenti sunt* in eculeis: sicut dicitur (1 *Mach.* 2 *et* 2 *Mach.* 6.) de pueris suspensis ad cervices matrum. Et 7 de septem fratribus. In istis sanctis primo figurabatur novum testamen-

tum. Unde dicit: *Non suscipientes redemptionem*, id est, liberationem. Qui enim subjicitur pœnæ, est quodammodo servus pœnæ. Et ideo liberari a pœna, dicitur redemptio. (*Ps.* 77.) *Die qua redemit eos de manu tribulantis.* Sed quare non fuerunt liberati ostendit, quia hoc non fuit propter hoc quin Deus haberet providentiam de ipsis, sed ut invenirent vitam æternam, quæ melior est, quam liberatio in quacumque pœna præsenti, vel quæcumque resurrectio vitæ præsentis, et ideo dicit: *Ut meliorem invenirent resurrectionem.* (*Job.* 19.) *In novissimo die de terra surrecturus sum.* (*Is.* 26.) *Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent.* Vel dicit meliorem, quia ex hoc ipso, quod majora pro Christo passi sunt, majus præmium recipient. Sicut enim dicitur (1 *Cor.* 15.) *Stella differt a stella in claritate,* sic erit resurrectio mortuorum. Qui enim fuerunt majores in merito, majores erunt in præmio. Et ideo Apostoli præferuntur martyribus, martyres vero omnibus aliis. Majores enim merito, majores sunt præmio. Præcipua vero sunt merita martyrum. (*Joan.* 16.) *Majorem hac dilectionem nemo habet, etc.* Nec tamen quilibet martyr major est quolibet confessore, sed aliquis martyr potest esse major aliquo confessore, et e converso, aliquis confessor aliquo martyre, licet non universaliter. Potest enim comparari unus alteri, vel quantum ad genus operis, vel quantum ad gradus charitatis. Nullus autem actus quantum est de se, est ita meritorius, sicut quo quis moritur propter Christum, quia dat illud quod habet carius, sc. vitam propriam. (*Matth.* 5.) *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Si vero consideretur radix omnis meriti, quæ est charitas: (1 *Cor.* 13.) Sic opus procedens ex majori charitate, est magis meritorium. Et sic potest unus simplex confessor esse majoris meriti apud Deum. Apostolus autem loquitur in genere operis, dicens: Ut sc. meliorem, id est, majorem et clariorem invenirent resurrectionem. Unde, *ly* meliorem, importat comparationem status præsentis vitæ ad futuram resurrectionem, vel comparationem claritatis resurrectionis unius resurgentis ad claritatem alterius.

Deinde cum dicit: *Alii ludibria*, ponit mala illis illata in vita quantum ad irrisionem factam in verbis, dicens, quod *Alii experti sunt ludibria*, sicut patet de Samson. (*Judic.* 16.) De Tobia et Job, et Isaia. (*Isa.* 50.) *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Jeremias etiam dicit (*Jer.* 20.) *Factus est mihi sermo Domini in opprobrium et derisum.* Quantum vero ad facta dicit, quod *Experti sunt verbera.* Sicut patet de Michæa, de quo (3. *Reg. ult. et* 2. *Paralip* 18.) Dicitur quod percussit eum Sedechias in maxillam. In quibus omnibus præsignabantur passiones novi testamenti. (1 *Cor.* 4.) *Spectaculum facti sumus mundo et angelis et hominibus.*

Deinde cum dicit: *Insuper et vincula,* ponit mala sanctis illata quantum ad inclusionem. Unde dicit: *insuper et vincula*, sicut Jeremias, de quo (*Jer.* 20.) dicitur quod positus fuit in nervo. Nec solum vincula, sed *Etiam carceres*, sicut Jeremias. (*Jer.* 37 *et* 38.) Et Michæas (3 *Reg. ult.*) Consequenter ostendit mala illata quantum ad mortem cum dicit: *Lapidati sunt.* Quod quidem genus mortis tunc erat commune apud omnes Judæos. (*Matth.* 23.) *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi*

Sic lapidatus est Naboth (3 *Reg.*
Et Jeremias, de quo legitur,
Judæi lapidaverunt eum in Æ-
lapidibus quos absconderat sub
latericio domus ipsius Pharaonis.
et Epiphanius dicat, quod fuit
is, tamen communiter ponitur,
fuit lapidatus. Zacharias etiam
Joiadæ fuit lapidatus, ut legitur
r. 24.) Secundum genus mortis
suetum et crudele ponit cum
: *Secti sunt.* Hoc dicit propter
n, quem Manasses fecit secari
lignea. Et loquitur pluraliter, li-
n fuerit nisi unus secundum con-
dinem scripturæ, propter cau-
upradictam. Tertium genus, cum
Tentati sunt, ut sc. consentirent.
dicit propter Matathiam et filios
(1 *Mach.* 2.) Et propter, Eleaza-
(2 *Mach.* 6.) Et propter histo-
de septem fratribus. 7. cap. Et
m occiderunt eos. (*Thren.* 4.)
is fuit occisis gladio, quam inter-
fame. Specialiter tamen Urias
occisus a David. (2 *Reg.* 11.) Et
s. (4 *Reg.* 23.)
nde cum dicit: *Circuierunt in me-*
ponit mala voluntarie assumpta.
ta ad tria reducuntur, scilicet ad
iorem cultum, ad personæ sta-
, ibi: *Egentes*, et ad habitationis
n, ibi: *In solitudinibus.* Quantum
ad cultum, dicit: *Circuierunt in*
tis, et in pellibus caprinis. Melota
estis facta de pilis camelorum, ut
am dicunt. Vel melius, quod taxus
t pellem hirsutam, de qua fit ves-
quæ dicitur melota. Pellis caprina
hoc, quod est hirsuta, est etiam
. Et hæc dic untur de Elia (4 *Reg.*
Quod erat vir pilosus, et zona pel-
accinctus renibus. Et de talibus
ibus dicit August. in lib. de ser-
e Domini, quod potest esse in tali
e intentio mala, si quis utatur ad
vanam gloriam, bona autem, si ad
contemptum mundi, et macerationem
carnis. Præcipue autem, qui profitentur statum pœnitentiæ, debent ostendere signa professionis. Et ideo licet eis uti talibus vestibus, non tamen ad ostentationem, et sic utebantur prophetæ. Quantum autem ad statum personæ dicit, *Egentes*, quia carebant divitiis, in quo præfigurabant statum perfectionis novi testamenti, de quo dicitur (*Matth.* 19.) *Si vis perfectus esse, vade et vende omnia, quæ possides.* Et hoc fuit specialiter de Elia, qui pastus fuit a corvis, et a muliere vidua. (3 *Reg.* 17. *Psal.* 87.) *Pauper ego sum in laboribus.* Idem 69. *Egenus et pauper ego sum.* Item, *Angustiati*, sicut patet de Elia, qui fugit a facie Jezabel. (3. *Reg.* 19.) Et de David, qui fugit a facie Absalon. (2 *Reg.* 15.) Item *afflicti* labore corporali, sicut de Elia, qui dormivit lassus subter unam juniperum. Et subdit: *Quibus dignus non erat mundus.* Sicut dicit Dion. in epistola ad Joannem evangelistam. Mali aliquando per ea, quæ faciunt, ostendunt indicia suæ damnationis, unde dicit, quod per hoc, quod mali separaverunt a se beatum Joannem, ostendebat Deus, quod erant indigni societate ejus. Et ideo dicit Apostolus, quod *Mundus non erat dignus eis.* Quasi dicat: Quia mundani non erant digni societate justorum. (*Joan.* 15.) *Ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.*

Deinde cum dicit: *In solitudinibus*, ostendit hoc quantum ad locum, quia propriam mansionem non habebant, sed *Errabant in solitudinibus, et in montibus, et in speluncis et in cavernis terræ*, quæ sunt loca apta ad contemplationem et pœnitentiam. Dicitur autem spelunca, quæ fit arte, sed caverna, quæ est a natura, vel ab aliquo accidente, sicut ex corrosione

aquarum. Ista patent de David. (1 *Reg.* 22 et 23.) Et de Elia (3 *Reg.* 19.)

Deinde cum dicit: *Et hi omnes*, ostendit quod eis dilatæ sunt promissiones. Et ne putetur, quod hoc fuerit propter defectum meriti: ideo secundo designat rationem illius dilationis, ibi: *Deo pro nobis.* Dicit ergo, quod *Hi omnes testimonio fidei probati inventi sunt*, id est, per fidem habent testimonium, quod sunt probati id est, approbati a Deo. (2 *Cor.* 10.) *Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* (*Sap.* 3.) *Tanquam aurum in fornace probavit eos.* Et tamen, *Non acceperunt repromissionem*, scilicet gloriæ, vel promissam vitam, usque ad Christum. (*Psal.* 1.) *Distulisti Christum.* Temporales enim acceperunt, non autem spirituales. (*Supra eodem*) *Defuncti sunt non acceptis promissionibus.*

Deinde cum dicit: *Deo pro nobis*, ostendit rationem dilationis, ex quo aliqui sumpserunt causam, vel occasionem erroris, qui dicunt, quod nullus in paradisum intrabit usque ad ultimam consummationem, quæ erit per finalem resurrectionem. Sed hoc est contra Apostolum. (1 *Cor.* 5.) *Scimus, quod si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo domum non manufactam, sed æternam in cœlis.* Ista ergo consummatio de qua loquitur Apost. potest referri ad præmium essentiale, sc. ad beatitudinem, quæ habetur per Christum. (*Mich.* 2.) *Ascendit pandens iter ante eos:* quam non habuerunt Sancti veteris testamenti. Vel potest referri ad stolam corporis, quæ non dabitur universaliter, usque post resurrectionem universalem, licet forte aliqui jam habeant ipsam ex speciali privilegio. Non ergo sine nobis consummantur, sed perficiuntur duplici stola, ut sicut dicit Gloss. in communi gaudio omnium majus fiat gaudium singulorum. Unde in hoc nobis Deus providit. Et ideo dicit: *Deo pro nobis aliquid melius providente.* (*Psal.* 132.) *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum.* Magis enim gaudet homo cum pluribus gaudentibus. Gloss. Si isti tenuerunt fidem, qui tamdiu expectaverunt, multo magis teneamus nos, qui statim recipimus. (*Luc.* 22.) *Hodie mecum eris in paradiso.*

CAPUT XII.

Monet ut fidem, quam corde tenent, palam operibus faciant.

1. *Ideoque et nos tantam habentes impositam nubem testium, deponentes omne pondus: et circumstans nos peccatum, per patientiam, curramus ad propositum nobis certamen.*
2. *Aspicientes in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet.*
3. *Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes.*
4. *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversus peccatum repugnantes.*

Supra Apostolus multipliciter commendavit fidem, per quam membra Christo capiti conjunguntur; hic ponit moralem monitionem exhortans, ut

, quam tenent corde, operibus
istrent, sicut etiam monet Jac.
Canonicæ suæ. Et primo docet
odo se debeant habere circa mala.
do quomodo debeant se habere
bona, cap. 13, ibi: *Charitas fra-
tis.* Est autem duplex malum,
enæ et culpæ. Primo ergo docet
odo se debent habere circa mala
ia toleranda. Secundo circa mala
vitanda, ibi: *propter quod re-
, etc.* Ad tolerandum autem ma-
oenæ. Primo inducit exemplo
orum. Secundo exemplo Christi,
Aspicientes in auctorem. Tertio
itate scripturæ, ibi: *Et obliti*
Quantum ergo ad primum dicit:
*ic nos habentes tantam nubem tes-
nterpositam.* Quasi dicat: Ita
n est, quod sancti testimonio
probati, nec tamen habuerunt
nissiones, et tamen cum hoc non
runt in expectando, ergo nos
bemus tantam nubem testium in-
itam, etc. Sancti dicuntur testes
quia verbo et facto glorificabatur
er eos. (*Matth.* 5.) *Sic luceat lux
coram hominibus, ut videant
vestra bona, et glorificent pa-
estrum, qui in cœlis est.* (*Isa.* 44.)
stes mei dicit Dominus. Dicun-
tem sancti nubes. Primo propter
rsationis sublimitatem. (*Isa.* 60.)
unt isti, qui ut nubes volant.
do propter doctrinæ fœcundita-
Job. 26.) *Qui ligat aquas in nu-
suis, ut non erumpant pariter
m.* Et 36. *Effundit imbres ad ins-
rgitum, qui de nubibus fluunt.*
propter spiritualis consolationis
tem. Sicut enim nubes præstant
erium, sic exempla sanctorum.
18.) Et sicut nubes roris in die
s. Hanc ergo nubem testium ha-
s impositam, quia ex vita sanc-
quodammodo inducitur nobis
necessitas ad imitandum. (*Jac.* 5.)
*Exemplum accipite fratres exitus mali
et longanimitatis, laboris, et patientiæ
prophetas.* August. Sicut Spiritus Sanctus loquitur in scriptura, ita in gestis sanctorum, quæ nobis sunt forma, et præceptum vitæ. Hoc est ergo exemplum sanctorum, quod inducit. Sed quia ad conformandum se ad aliquod exemplar, interdum ex impedimento superveniente impeditur homo, ideo removet illud quod potissime potest impedire. Illud autem est pondus peccati. Tribulatio autem est, quasi quidam agon. (1 *Cor.* 9.) *Omnis, qui in agone contendit ab omnibus se abstinet.* Sicut autem in cursu et certamine oportet omnia aggravantia deponere, ita et in agone tribulationis. (2 *Tim.* 4.) *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* Qui ergo in tribulatione vult bene ad Deum currere, oportet impedimenta deponere. Ista impedimenta vocavit ipse Apostolus pondus et circumstans peccatum. Per *Pondus* autem potest intelligi peccatum perpetratum, quod dicitur pondus, quia animam deprimit ad infima, et inclinat ad aliud. (*Psal.* 32.) *Sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Greg. Peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit. Per *Circumstans peccatum*, potest intelligi occasio peccandi, quæ quidem est in omne, quod circumstat, sc. in mundo, carne, proximo, dæmone. *Deponentes ergo omne pondus*, id est, peccatum perpetratum, quod dicitur pondus. *Et circumstans nos peccatum*, sc. occasionem peccandi. (1 *Pet.* 2.) *Deponentes omnem malitiam et omnem dolum.* Vel pondus potest intelligi tædium tribulationis. Sic enim frequenter tribulatio dicitur onus per Prophetas, sicut onus Damasci id est tribulatio, quasi dicat: Non sit vobis grave pati pro

Christo. Circumstans peccatum dicitur tentatio nobis immissa ex circuitu hostis. (*1 Pet.* 5.) *Adversarius vester diabolus, etc.* Vel pondus affectio terrena: per circumstans autem peccatum affectio carnalis, quæ sc. causatur in nobis a carne circumstante; q. d. Deponatis affectionem tam temporalium, quam carnalium, si vultis libere currere. Unde subdit monitionem dicens: *Curramus per patientiam ad certamen nobis propositum*, non solum illatum, quod tamen sustineamus patienter. Sed nos ipsi voluntarie curramus. (*Psalm.* 118.) *Viam mandatorum tuorum cucurri.* Hoc autem certamen vobis propositum est cum justitia. (*Eccl.* 4.) *Usque ad mortem certa pro justitia.*

Deinde cum dicit, *Aspicientes, etc.* ponit exemplum Christi. Et circa hoc duo facit. Primo enim ostendit quare passio Christi habenda est in exemplum, et quid in ipsa considerandum est. Secundo ostendit fructum istius considerationis, ibi: *Recogitate eum.* Sicut enim dicitur *Ephes.* 2.) *Gratia salvati estis per fidem:* Christus autem est auctor fidei. Si ergo vis salvari, debes intueri exemplar illud. Unde dicit: *Aspicientes in Jesum* passum. Hoc significatum fuit per serpentem æneum elevatum pro signo, in quem aspicientes curabantur. (*Num.* 21, *et Joan.* 3.) *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Si ergo vis salvari, respice in faciem Christi tui. Ipse enim est auctor fidei dupliciter. Primo eam docendo verbo. (*Supra* 1.) *Locutus est nobis in filio.* (*Joan.* 1. *Unigenitus, qui est in sinu patris ipse enarravit.* Secundo eam in corde imprimendo. (*Phil.* 1.) *Vobis donatum est pro Christo non solum, ut in ipsum credatis, etc.* Item ipse est consummatio fidei dupliciter. Uno modo ipsam miraculis confirmando. (*Joan.* 10.) *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Item fidem præmiando. Cum enim fides sit imperfecta cognitio, ejus præmium consistit in ipsius cognitionis perfectione. (*Joan.* 14.) *Ego diligam eum, et manifestabo ei meipsum.* Hoc autem significatum fuit (*Zach.* 4.) ubi dicitur: *Manus Zorobabel fundaverunt domum istam*, sc. ecclesiam, cujus fundamentum est fides, *et manus ejus perficient eam.* Nam manus Christi, qui de genere Zorobabel descendit, fundat ecclesiam in fide, et fidem gloria consummat. Videmus enim nunc in speculo, et ænigmate, tunc autem facie ad faciem. (*1 Cor.* 13.) August. 1. de trini. cap. 10. Contemplatio est merces fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est. Fide mundans corda eorum. In passione enim Christi tria consideranda sunt. Primo quid contempsit. Secundo quid sustinuit. Tertio quid promeruit. Quantum ad primum dicit: *Qui proposito sibi gaudio*: istud autem gaudium, fuit istud gaudium terrenum quo a turba quam paverat quærebatur, ut facerent eum regem, quod ipse contempsit fugiendo in montem. (*Joan.* 6.) Unde (*Eccl.* 2.) *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi quid frustra deciperis.* Vel proposito sibi gaudio æternæ vitæ pro præmio, *Sustinuit crucem*, hoc est secundum, sc. quid sustinuit, quia crucem. (*Phil.* 2.) *Humiliavit semetipsum factus obediens, usque ad mortem, mortem autem crucis.* In quo ostenditur et cruciatus acerbitas, quia ibi affixus fuit manibus et pedib. et mortis vilitas et ignominia, quia hoc erat ignominiosum genus mortis. (*Sap.* 2.) *Morte turpissima condemnemus eum.* Quan-

utem ad tertium, sc. quod pro-
;, quia sessionem ad dexteram
Unde dicit : *Atque in dextera*
)ei sedet. Exaltatio enim humani-
hristi, fuit præmium passionis
Hebr. 1.) *Sedet ad dexteram ma-*
s in excelsis.
nde cum dicit: *Recogitate eum*,
lit quis sit fructus hujus consi-
onis. Et primo monet ad diligen-
templi considerationem. Secundo
lit utilitatem, ibi : *Ut non fatige-*
Tertio subdit rationem, ibi: *Non*
usque. Dicit ergo. Ita dictum est,
ientes, etc. Nec hoc solum, sed
, *Recogitate eum*, id est iterum
te. (*Prov.* 3.) *In omnibus viis tuis*
; *illum.* Et hujus ratio est, quia
acumque tribulatione invenitur
emedium in cruce. Ibi enim est
entia ad Deum. (*Phil.* 2.) *Humi-*
semetipsum factus obediens. Item
is affectus ad parentes. Unde ibi
; curam de matre sua. Item cha-
ad proximum, unde ibi pro
gressoribus oravit. (*Luc.* 23.)
dimitte illis, non enim sciunt
faciunt. (*Ephes.* 5.) *Ambulate in*
ione sicut Christus dilexit nos,
didit semetipsum pro nobis. Item
bi patientia in adversis. (*Psalm.*
Obmutui et humiliatus sum, et
a bonis, et dolor meus renovatus
Is. 53.) *Sicut ovis ad occisionem*
ur, et quasi agnus coram ton-
se obmutescet, et non aperiet os
. Item in omnibus finalis perse-
ntia. Unde usque ad morte perse-
rit. (*Luc* 23.) *Pater in manus tuas*
ndo spiritum meum. Unde in
invenitur exemplum omnis vir-
. Aug. Crux non solum fuit pa-
um patientis : sed etiam cathedra
ntis. *Recogitate ergo eum qui sus-*
t. Sed quid cogitandum ? Tria, sc.
s passionis, unde, *Sustinuit con-*
tradictionem, id est, afflictionem in
verbis. Unde dicebant: Vah qui destruis templum Dei. (*Psalm.* 17.) *Eripies me de contradictionibus populi.* (*Roman.* 10.) *Expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem mihi.* (*Luc.* 2.) *Et in signum cui contradicetur.* Et *contradictionem talem*, id est, tam gravem et ignominiosam. (*Thren.* 1.) *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus.* Secundo a quibus passus est, quia *A peccatoribus*, pro quibus patiebatur. (1 *Pet.* 3.) *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis.* Tertio persona patientis. Ante passionem enim ab origine mundi, passus est in membris suis, sed tunc in propria persona. Unde dicit : *Adversus semetipsum* (*Is.* 46.) *Ego feci et ego feram.* (*Psalm.* 68.) *Quæ non rapui tunc exolvebam.* (1 *Pet.* 2.) *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Utilitatem ostendit cum dicit: *Ut non fatigemini.* Consideratio enim passionis Christi facit nos non deficere. Greg. Si passio Christi ad memoriam revocatur, nihil adeo durum est, quod non æquanimiter toleretur. Unde non deficiatis, tanquam fatigati animo, a veritate fidei. (*Isa.* 40.) *Current et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient.* (2 *Thess.* 2.) *Nolite deficere benefacientes.* Rationem autem hujus ponit dicens : *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis.* Quasi dicat: Non debetis deficere in tribulationibus vestris pro vobis, quia nondum tantum sustinuistis sicut Christus. Ipse enim sanguinem suum fudit pro nobis. (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur.* Vos autem rapinam bonorum vestrorum sustinuistis. Majus autem est de genere operis vitam dare, quam substantiam cor-

poralem, licet aliquando ex radice operis, sc. ex charitate, possit esse minus, sicut supra dictum est, unde dicit: Nondum enim restitistis repugnantes adversus peccatum, *Usque ad sanguinem*, sc. fundendum pro Christo.

LECTIO 2.

Mala patienter pati hortatur, testimonio, et auctoritate scripturæ, quia correctio Dei, est internæ dilectionis indicium.

5. *Et obliti estis consolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris.*
6. *Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.*
7. *In disciplina perseverate. Tanquam filiis, vobis offert se Deus. Quis enim filius quem non corripit pater?*
8. *Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, et non filii estis.*
9. *Deinde patres quidem carnis nostræ, eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus patri spirituum et vivemus?*
10. *Et illi quidem in tempore paucorum dierum, secundum voluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus.*
11. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudii, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet justitiæ.*

Supra induxit Apostolus ad mala patienter sustinenda exemplo antiquorum patrum et Christi: hic monet ad idem ex auctoritate scripturæ. Unde circa hoc tria facit. Primo enim ponit auctoritatem. Secundo ostendit sensum ejus, ibi: *In disciplina perseverate.* Tertio arguit ad propositum ex præmissis, ibi: *Quod si extra disciplinam.* Ponit auctoritatem, quæ habetur (*Prov.* 3.) Sed sub aliis verbis, quam littera nostra habeat. Ibi enim habemus sic. Disciplinam Domini fili mi ne abjicias, nec deficias cum ab eo corriperis. Quem enim diligit Dominus, corripit et quasi pater in filio complacet sibi. Quia vero Apostolus inducit auctoritatem istam causa consolationis, ideo utitur aliis verbis. Unde dicit: *Et obliti estis consolationis.* Quasi dicat: Mirum est si obliti estis. (*Ps.* 93.) Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Idem, in æternum non obliviscar justificationes tuas. Dicit autem, consolationis, id est, Dei consolantis, et est emphatica locutio. (2 *Cor.* 1.) *Benedictus Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Sequitur: *Quæ vobis,* id est, Deus consolationis, *Loquitur tanquam filiis.* Ergo si punit, non odit: sed ejus punitio ordinatur ad bonum, quia loquitur vobis tanquam filiis. Verba autem auctoris ponit dicens: *Fili mi, etc.* Et subdit rationem, ibi: *Quem enim diligit, etc.* In auctoritate vero prohibet duo: quia prohibet odium disciplinæ, et impatientiam ad ipsam. Propter primum, dicit: *Fili mi, noli*

ere, sicut quidam qui odiunt
linam, de quibus dicitur (*Prov.*
oli arguere derisorem, ne oderit
nos. 5.) *Odio habuerunt loquen-*
porta, et corripientem perfecte
nati sunt. Dicit ergo Apostolus:
negligere disciplinam Domini,
dicat: Cum Deus te flagellat cau-
ciplinæ, noli negligere, id est,
enter habere fastidiendo. (*Sap.*
apientiam et disciplinam, qui
t. infœlix est. Propter secundum
Et ne fatigeris dum ab eo ar-
. Quidam enim etsi correctio-
uram non odiant, tamen impa-
r portant. Et ideo dicit: *Neque*
ris, etc. Tunc enim homo spiri-
er fatigatur, quando contristatur
um, quod deficit, (*supra eodem,*)
n fatigemini animis vestris de-
es. (*Eccl.* 6.) *Ne acedieris in*
is illius.

nde cum dicit: *Quem enim dili-*
minus, castigat, assignat cau-
sicut autem dicit Philosophus,
m castigationis communiter ac-
r in pueris, et in concupis-
: dicimus enim castum, cujus
piscentia castigata est. Similiter
licitur castigatus, qui est bene
linatus: quod enim de se habet
atem ad malum, indiget refre-
Talis autem est concupiscen-
pueri, qui de se sequuntur
is suos, ideo indigent casti-
Ille ergo, qui castigat, ideo
cit ne tendant in malum. Et
ensus nostri, et cogitatio nostra
sunt ad malum, ut dicitur
8.) Ideo Dominus castigat nos,
rahat nos a malo. (*Ps.* 117.)
ans castigavit me Dominus, et
non tradidit me. (*Jer.* 31.) *Cas-*
me, et eruditus sum quasi ju-
us indomitus. In hoc autem cas-
quia flagellat, non quidem ad
condemnationem, sed ad salutem. Unde dicit: quod flagellat omnem filium quem recipit. Et ideo, qui non flagellantur non sunt de numero filiorum. (*Ps.* 72.) *In labore hominum non sunt, et cum hominibus non flagellabuntur.* Unde est signum quasi æternæ reprobationis. (*Ezech.* 16.) *Auferetur zelus meus a te.* Nec mirum si flagallat omnem filium quem recipit per adoptionem: quia proprio filio suo non pepercit. (*Luc. ult.*) *Oportuit Christum pati.*

Consequenter cum dicit: *In disciplina perseverate,* ostendit sensum auctoritatis præallegatæ: et primo ostendit sensum monitionis. Secundo sensum rationis assignat, ibi: *Tanquam filiis.* Tertio ostendit rationem istam esse convenientem, ibi: *Quis enim filius.* Monitio autem Apostoli fuerat, quod non debebant negligere disciplinam Domini, nec etiam fatigari. Utrumque autem comprehendit in his verbis. Non negligere enim, nec etiam fatigari sub disciplina, non est aliud quam in disciplina perseverare. Unde (*Job.* 6.) *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore, non parcat.* (*Ps.* 2.) *Apprehendite disciplinam, etc.* Quare autem non debemus negligere, dixerat: quia quem diligit Dominus, etc. Unde hic dicit: *Tanquam filiis vobis se offert Deus.* Quasi dicat: ideo perseverate, quia offert se tanquam illis. (*Jer.* 3.) *Patrem vocabis me, et post me ingredi non cessabis.* Consequenter ostendit istam rationem esse convenientem, dicens: *Quem enim filius quem non corripit pater?* Ad patrem enim pertinet corrigere filium suum. (*Prov.* 13.) *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* (*Eccl.* 30.) *Equus indomitus evadet durus, et filius remissus evadet præ-*

ceps. Et ideo necessaria est correctio : sicut Paulo datus stimulus carnis, ne per superbiam corrueret. (2 *Cor*. 12.)

Deinde cum dicit: *Quod si extra disciplinam, etc.* arguit ex præmissis et primo deducendo ad inconveniens. Secundo ex quodam exemplo, ibi : *Deinde patres, etc.* Tertio ex utilitate consequente, ibi : *Omnis autem disciplina, etc.* Circa primum facit talem rationem. Omnes sancti, qui Deo placuerunt per multas tribulationes transierunt , per quas filii Dei facti sunt. Ergo qui in disciplina non perseverat , non est filius , sed magis adulter, id est, adulterio natus. Istius rationis ponit tantum conclusionem, dicens : *Si estis extra disciplinam, non estis filii, sed adulteri : quia disciplinæ facti sunt participes omnes*, sc. sancti. (2 *Tim*. 3.) *Omnes , qui pie vivere volunt in Christo, persecutionem patientur*. (*Jud*. 8.) *Omnes, qui Deo placuerunt , per multas tribulationes transierunt fideles*. Nec oportet, quod semper sancti habeant exteriores tribulationes, cum interius affliguntur ex mala conversatione perversorum. (2 *Pet*. 2.) *Habitans Loth apud eos, qui de die in diem animam justam iniquis operibus cruciabant*. Filius autem proprie dicitur , qui est ex legitimo patre. Mater nostra est ecclesia , cujus sponsus est ipse Deus.(*Oseæ* 2.) *Sponsabo te mihi in fide*. Adulter autem est diabolus et mundus. Qui ergo nati sunt ex spiritu diaboli, vel mundi , sunt filii adulterini. (*Is*. 57.) *Accedite huc filii auguratricis et adulteri et fornicariæ*. Patet ergo, quod proprie non sunt filii, nisi de legitimo patre nati.

Consequenter cum dicit : *Deinde patres, etc.* ponit secundam rationem sumptam ex eo, quod experti sumus, sc. ex correctione paterna. Quæ quidem ratio procedit ex duplici differentia, quæ est inter Deum patrem, et patrem carnalem. Est autem hæc prima differentia Dei patris ad patrem carnalem. Homo enim generat hominem quantum ad corpus, non quantum ad animam, quæ est per creationem, et non traducitur. (2 *Mach*. 7.) Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis. Unde dicit quod *Nos habuimus patres carnis nostræ eruditores*. (*Eccl*. 7.) *Filii tibi sunt erudi illos. — Et reverebamur eos*. (*Exod*. 20.) *Honora patrem tuum et matrem, etc.* Deus autem excellentius est pater noster , sc. quantum ad animam,quam immediate creat. (*Eccl. ult.*) *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Item justificat animam adoptando nos in filios. (*Rom*. 8.) *Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei*. Ideo dicit : *Num multo magis obtemperabimus patri spirituum*, id est, animarum nostrarum , quæ dicuntur spiritus : quia non sunt ex materia. *Et vivemus*? Finis enim obedientiæ, est vita æterna. (*Joan*. 8.) *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in æternum*. (*Supra* 5.) *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Secunda vero differentia est correctionis humanæ ad divinam, quæ in duobus differunt: et primo quantum ad finem, quia finis humanæ correctionis est aliquid transitorium. Est enim ad bene conversandum in hac vita, quæ est paucorum dierum. Secundo quantum ad rationem : quia homo corrigit secundum voluntatem, quæ falli et errare potest, et tamen obedimus ei. In correctione autem divina, non sic : quia erudit nos ad aliquid utile in sempiternum, sc. ad recipiendum sanctifi-

em, quæ sc. est ipsemet Deus. ;.) *Dominum exercituum ipsum ficate.* Ipse pavor vester, ipse vester, et erit vobis in sanctifi- ıem. Et ideo dicit: *Et illi qui- rudiebant nos in tempore pau- ı dierum.* Et hoc quantum ad ım. *Et secundum voluntatem* . Et hoc quantum ad secundum, *ıtem ad id quod utile est.* (*Is.* 48.) *Dominus docens te utilia.* Et hoc *ipiendo sanctificationem*, id est, ıctificationem ab ipso recipien- et ideo debemus magis recipe- ıciplinam ejus. Sequitur: *Omnis ı disciplina, etc.* Hæc est tertia quæ sumitur ex utilitate cor- ınis. Cum autem pœnæ sint quæ- medicinæ, idem judicium vi- esse de correctione, et de me- a. Sicut autem medicina in sump- amara est quidem et abomina- : tamen ejus finis est valde dulcis siderabilis, ita et disciplina, quia s est ad sustinendum: sed addu- ructum optimum. Sciendum est n, quod disciplina dicitur a dis- ɔ. Pueri autem, qui addiscunt, lis erudiuntur. Et ideo disciplina ando sumitur pro scientia, ut in ;ipio primi posteriorum. Omnis ·ina, et omnis disciplina, etc. Græce dicitur Epistemon. Ali- do autem sumitur pro correc- ı; et Græce dicitur pædia, sed in ıo non habet nomina ita distincta. ergo, quod *Omnis disciplina*, ıuæ est eruditio per flagella et stias, *In præsenti videtur esse gaudii, sed mœroris*, quia exte- habet tristitiam in sustinendo, nterius habet dulcedinem ex in- ıone finis. Et ideo dicit: *Videtur*, et non dicit est. (2 *Cor.* 6.) *Quasi tristes, semper autem gaudentes.* (*Joan.* 16.) *Mulier cum parit, tristitiam habet, etc.* (2 *Cor.* 4.) Id enim, quod in præsenti est momentaneum, et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Et ideo dicit: *Postea reddit fructum.* Fructus enim importat dulcedinem. Unde frui est delectari in fine adepto. *Pacatissimum*, fructus enim habetur hic cum perturbatione exteriorum incommodorum, et tentationum interiorum, et ideo non est pacatissimus, sicut ibi: In gloria siquidem nihil erit interius remordens conscientiam, nec impellens ad culpam, nec exterius contristans. Ibi enim, ut dicit Aug. erit quidquid voles: ergo ille fructus est pacatissimus. Pacatus quidem in tranquillitate conscientiæ, pacatior in susceptione primæ stolæ, sed pacatissimus in susceptione secundæ. (*Is.* 32.) *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis: in tabernaculis fiduciæ: in requie opulenta.* (*Prov.* 3.) *Primi et purissimi fructus ejus.* — *Reddet ergo fructum justitiæ*, id est, quem meretur justitia. Seminanti enim justitiam merces fidelis. (*Prov.* 11.) Ibidem: *Fructus justi, lignum vitæ.* Vel justitiæ, ad justitiam apprehendendam. (*Oseæ* 10.) *Seminate vobis in veritate justitiam, et metite in ore misericordiæ.* (*Ps.* 125.) *Euntes ibant et flebant, etc.* Sed non redditur fructus nisi *Exercitatis per eam*, id est, per disciplinam. (*Supra* 5.) *Perfectorum est cibus solidus eorum, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus.*

LECTIO 3.

A peccato omissionis Hebræos cavere hortatur, et eos qui non peccaverunt, ad vitandum peccatum monet.

12. *Propter quod remissas manus, et soluta genua erigite.*

13. *Et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.*

14. *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.*

15. *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam inquinentur multi.*

16. *Ne quis fornicator, aut prophanus, ut Esau, qui propter unam escam vendidit primitiva sua.*

17. *Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus est. Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisivisset eam.*

Supra monuit Apostolus qualiter nos debemus habere ad mala pœnalia sustinenda, hic monet qualiter nos debemus habere a mala culpæ vitanda. Et circa hoc duo facit. Primo enim ponit monitiones suas. Secundo assignat rationes ipsorum, ibi : *Non enim accessistis.* Circa primum duo facit. Primo enim monet hominem peccantem. Secundo nondum peccantem, ibi : *Pacem sequimini.* Est autem duplex peccatum, sc. omissionis, et transgressionis. Primo ergo monet ad dimittendum peccatum omissionis. Secundo ad dimittendum peccatum transgressionis, ibi : *Et gressus rectos.* Peccatum autem omissionis duplex est. Unum quando quis omittit bonum facere. Aliud omittendo mala et adversa tolerare. Quantum ad primum dicit : *Propter quod*, sc. quia disciplina affert fructum pacatissimum : ideo ut vos hunc fructum percipere possitis, *Erigite manus remissas.* Manus enim cum sit organum organorum remissa dicitur, quando vacat a bonis operibus, et ideo erigenda est per rectam intentionem ad operandum, quæ Deo placent. (*Thren.* 3.) *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum.* (*Ps.* 140.) *Elevatio manuum, etc.* Manus enim remissa inducit egestatem et servitutem. (*Prov.* 10.) *Egestatem operata est manus remissa : manus autem fortium divitias parat.* Item cap. 12. *Manus fortium dominabitur, quæ autem remissa est, tributis serviet.* In hujus signum quando Moyses elevabat manus, vincebat Israel : quando vero remittebat, superabat Amalech. (*Exod.* 17.) Quantum ad illud peccatum omissionis dicitur : *Erigite genua dissoluta.* In genibus totum pondus corporis sustentatur. Habent ergo genua dissoluta, qui non habent fortitudinem fortiter tolerandi adversa, hæc ergo remissio abjicienda est. (*Job.* 4.) *Manus lassas roborasti, et genua trementia confortasti, vacillantes confirmaverunt sermones tui.* (*Is.* 35.) *Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate.* Manus ergo et genua erigite, ut nec otio torpeatis, nec debilitate hæsitetis.

Deinde cum dicit : *Et gressus rectos*, improbat peccatum transgressionis. Istud autem peccatum est obliquitas

am et curvitas. Rectum enim
ır cujus medium non exit ab ex-
s, id est, cujus operatio non re-
ab intentione et fine debito.
ex autem est obliquitas, sc. in
u, in operatione et intellectu.
tres monet declinare. Ex affec-
autem iniqua, sequitur obliqui-
ı intellectu, et depravatio in af-
. Et ideo quantum ad primum,
est aliorum radix, dicit: *Facite
us rectos pedibus vestris*, id est,
s affectiones. Sicut enim pedes
nt corpus, ita mentem portant
iones. Recti ergo pedes sunt af-
ınes rectæ. (*Ezech.* 1.) *Pedes eo-
pedes recti.* Rectificate ergo af-
ınes, quibus totum corpus por-
spiritualiter. (*Is.* 40.) *Rectas fa-
n solitudine semitas Dei vestri.*
est quantum in vobis est date
ım ad hoc. Sed proprie rectifi-
est solius Dei. (*Ps.* 20.) *Dirige
us meos in semitis tuis.* Quantum
cundum dicit: *Ut ne claudicans*
quantum ad actionem exterio-
Sicut enim tibia dicitur clauda,
do non sequitur regulam poten-
ressivæ, ita operatio claudicat,
do sive ad dexteram, id est, in
ıeris, sive ad sinistram, id est,
versis, non sequitur regulam le-
livinæ. (*Is.* 30.) *Hæc est via,
ılate in ea, et non declinetis ne-
d dexteram neque ad sinistram.*
claudicat, qui ceremonialia ob-
ıt cum evangelio. Quantum ad
uitatem intellectus, dicit: *Erret.*
m enim operationem sequitur
intellectus. (*Prov.* 14.) *Errant
s, qui operantur malum.* (*Sap.
Hoc cogitaverunt et erraverunt,
cavit enim eos malitia eorum.*
ergo vult illas duas curvitates
re, habeat pedes et affectiones
s. Et ideo dicit: *Magis autem
sanetur.* Sicut enim sanitas corporis
consistit in contemperatione humo-
rum, ita sanitas spiritualis in ordi-
natione affectuum. (*Jer.* 17.) *Sana me
Domine, et sanabor.*

Deinde cum dicit: *Pacem sequimi-
ni, etc.* monet non peccantem ad vitan-
dum peccatum: et circa hoc duo fa-
cit. Primo enim præmittit quædam re-
media, quæ valent ad omnia peccata
vitanda. Secundo specialiter monet
ad vitationem eorum, ibi: *Ne qua ra-
dix.* Circa primum sciendum est,
quod actionum humanarum sunt di-
versi fines. Quædam enim ordinantur
ad alium, sicut justitia, quæ ordinat
hominem ad proximum. Et istarum
finis est pax. Unde (*Is.* 32.) *Erit
opus justitiæ pax.* Quædam ad ipsum
operantem, sicut jejunare, et isto-
rum finis est puritas. Non enim je-
junamus, nisi propter munditiam et
puritatem. Quantum ergo ad primum,
dicit: *Pacem sequimini*, id est, non
solum habete, sed quæratis quomodo
cum aliis habeatis. (*Rom.* 12.) *Si
fieri potest quod in vobis est, cum
omnibus hominibus pacem habentes.*
(*Ps.* 33.) *Inquire pacem, et perse-
quere eam.* Quantum ad secundum
dicit: *Et sanctimoniam.* (2 *Cor.* 7.)
*Mundemus nos ab omni inquinamento
carnis, et spiritus;* quod autem ista
remedia sint necessaria, ostendit per
duo damna, quæ incurrimus sine ip-
sis, sc. damnum gloriæ in futuro, et
gratiæ in præsenti. Quantum ad pri-
mum dicit: quod *sine pace et sanc-
timonia nemo videbit Deum*, in quo
consistit beatitudo. (*Joan.* 17.) *Hæc
est vita æterna, etc.* quasi dicat:
sine pace quo ad proximum, et mun-
ditia et puritate quo ad seipsum, ne-
mo potest esse beatus. (*Matth.* 5.)
*Beati pacifici, quoniam filii Dei vo-
cabuntur.* Solum autem filiis debetur

hæreditas divinæ visionis. Item (*Apoc.* 21.) *Non intrabit in ea aliquid coinquinatum.* (*Ps.* 14.) *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, etc.* Item, *Quis ascendet in montem Domini, etc.* Quantum ad secundum damnum, sc. gratiæ Dei in præsenti, dicit contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei. Gratia enim per discordiam et immunditiam amittitur. (1 *Cor.* 14.) *Non est Deus dissensionis, sed pacis.* (*Ps.* 75.) *In pace factus est locus ejus.* (*Abac.* 1.) *Mundi sunt oculi tui Domine, ne videant malum, et respicere ad iniquitatem non poteris.* (*Sap.* 1.) *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et corripietur a superveniente iniquitate.* Figurative autem loquitur Apost. Gratia enim etsi non habeatur ex meritis, alioquin gratia non esset gratia: tamen oportet quod homo faciat, quod in se est. Deus autem voluntate sua liberalissima dat eam omni præparanti se. (*Apoc.* 3.) *Ecce sto ad ostium et pulso, si quis aperuerit mihi intrabo ad eum.* (1 *Tim.* 2.) *Qui vult omnes homines salvos fieri.* Et ideo gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum in se est, se communicat : sicut nec sol deest oculis cæcis. Dicit ergo : Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei. Sed contra : quia si gratia non datur ex operibus, sed tantum ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum, ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, et non ex electione Dei, quod est error Pelagii. Respondeo : dicendum est quod hoc ipsum, quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit. Unde si aliquis ponat et tamen moveatur cor ejus ad removendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam. (*Gal.* 1.) *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam, etc.* Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo a quibusdam removetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei : quod autem non removetur, hoc est ex justitia ejus. Non autem dicit : ne tu desis, sed ne quis, id est, quicunque, quia quilibet debet esse sollicitus de proximo. (*Eccl.* 27.) *Unicuique mandavit de proximo suo.*

Deinde cum dicit : *Ne qua radix*, specialiter descendit ad monitionem vitationis peccatorum contrariorum unicuique prædictorum remediorum. Et primo monet vitare peccata contraria paci. Secundo contraria sanctimoniæ, ibi : *Ne quis fornicator.* Dicit ergo : Ne qua radix amaritudinis, etc. Illud dicitur amarum, quod non potest gustari nisi cum offensa. Conversatio ergo alicujus dicitur amara, quando non potest esse sine offensa eorum cum quibus conversatur. Quod contra dicitur de sapientia. (*Sap.* 8.) Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus, sed lætitiam et gaudium ; qui ergo in sapientia scit conversari, non est amaræ conversationis, quod fit quando non habet dura verba vel facta. Et ideo dicit : *Contemplantes ne qua radix amaritudinis*, id est, amaritudo paulatim inchoata et in corde radicata. *Sursum germinans impediat*, pacem, et per consequens gratiam et visionem Dei. (*Deut.* 29.) *Ne sit inter vos radix germinans fel et amaritudinem.* (*Oseæ* 12.) *Ad iracundiam provocavit me Ephraim in amaritudinibus suis.* Vel radix amaritudinis est mala cogitatio noxiæ delectationis, quæ sursum germinat, quando per consensum ad opus venitur. *Et per illam inquinantur multi*, quia non solum ille in quo est, sed et alii malo ejus

exemplo. (1 *Cor.* 5.) *Modicum fermentum totam massam corrumpit.*

Deinde cum dicit : *Ne quis fornicator*, monet vitare peccata contraria sanctimoniæ, cui specialiter opponuntur peccata carnalia, sc. luxuria et gula, quæ perficiuntur in delectatione carnali, per quam mens inquinatur. Unde ista mentem et carnem inquinant. Et ideo specialiter monet ista vitari. Et primo luxuriam, dicens : Contemplantes. Et non solum quilibet in seipso, sed ne quis fornicator, ita quod quilibet in proximo suo hoc contempletur. August. In vicem vestram pudicitiam custodite, etc. (*Ephes.* 5.) Fornicatio autem et omnis immunditia aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. (*Tob.* 4.) *Attende tibi ab omni fornicatione.* Secundo prohibet gulam, dicens : *Aut prophanus*, et dicitur quasi procul a phano, et tales sunt gulosi qui de ventre suo Deum faciunt, *Sicut Esau.* Quod dixerat, ostendit in exemplo Esau, qui propter gulam vendidit primogenita. Sic etiam gulosus pro minima esca vendit hæreditatem æternam. (*Prov.* 6.) *Pretium scorti vix est unius panis.* Esau autem non solum fuit gulosus, sed etiam luxuriosus : quia contra voluntatem parentum duxit uxores alienigenas. Jus autem primogeniti erat, quod habebat duplicem portionem : et ante sacerdotium Aaron habebat honorem sacerdotalem. Unde in hoc commisit ipse simoniam : ergo videtur quod etiam Jacob qui illud emit, similiter commisit simoniam, quod falsum est. Jacob enim per Spiritum sanctum intellexit illud sibi deberi, juxta illud (*Malac.* 1.) *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et ideo non emit, sed quod sibi debebatur ab injusto possessore redemit. Et hoc est quod dicit : *Qui*, sc. Esau, *Propter unam escam vendidit primitiva sua*, vel primogenita : ut dicitur (*Gen.* 25. *et* 27.) Et pœnam consecutam ostendit, subdens : *Scitote enim quoniam et postea cupiens hæreditare benedictionem reprobatus est.* Sicut enim dicitur (*Gen.* 27.) Postquam Isaac benedixerat Jacob, venit Esau et petiit benedictionem, quod tamen non obtinuit, licet pater fecisset ignorans, quia in illo stupore quem habuit, factus in extasi, edoctus est a Spiritu Sancto, quod non retractaret quod fecerat. Unde dicit : Benedixi ei, et erit benedictus. Et sic Esau consilio Spiritus Sancti reprobatus fuit. In quo datur intelligi, quod nullus debet negligere dum adhuc vivit benefacere, quantumcunque sit reprobatus in præscientia divina, quia post vitam ad hæreditatem Dei, etiam si desideretur, naturaliter non pervenitur. Sequitur : *Non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Sicut enim dicitur (*Gen.* 27.) *Irrugiit clamore magno, etc.* Sed contra : quia dicitur (*Ezech.* 18.) *Quacumque hora ingemuerit peccator, etc.* Respondeo : dicendum est, quod quamdiu præsens vita agitur, potest agi vera pœnitentia. Interdum tamen aliquis pœnitet, non propter amorem justitiæ, sed propter timorem pœnæ, vel damni temporalis. Et sic pœnituit Esau : non quia vendiderat primogenita, sed quia perdiderat. Unde non dolebat de peccato venditionis, sed de damno perditionis. Et ideo pœnitentia ejus non fuit accepta, quia non erat vera. Sic enim pœnitent damnati in inferno ut dicitur (*Sap.* 5.) *Pœnitentiam agentes, non quia peccaverunt, sed quia exclusi sunt.* Tamen secundum Gloss. hoc quod dicit hic, fornicator et prophanus, aliter intelligi

potest, ut fornicator dicatur, qui cum fide carnales ceremonias observat : sicut habens concubinam cum uxore propria. Sed prophanus, id est, procul a phano, sicut penitus infidelis.

LECTIO 4.

Ex collatione veteris, et novi testamenti assignat rationem, cur sint vitanda peccata.

18. *Non enim accessistis ad tractabilem montem et accessibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam.*
19. *Et tubæ sonum, et vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se ne eis fieret verbum.*
20. *Non enim portabant quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.*
21. *Et ita terribile erat quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum et tremebundus.*
22. *Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium angelorum frequentiam.*
23. *Et ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis, et judicem omnium Deum, et spiritus justorum perfectorum.*
24. *Et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem, melius loquentem quam Abel.*

Supra posuit Apost. monitionem ad vitandum mala culpæ, hic assignat istius monitionis rationem, quam sumit ex comparatione novi et veteris testamenti. Et circa hoc duo facit : primo enim ponit comparationem illam : secundo ex ipsa arguit, ibi : *Videte ne recusetis.* Circa primum duo facit : quia primo proponit ea quæ pertinent ad vetus testamentum : secundo ea, quæ ad novum testamentum, ibi : *Sed accessistis.* Circa primum sciendum est, quod ut dicit August. Brevis differentia legis et evangelii est timor et amor. Lex enim tanquam pædagogus noster fuit in Christo : parvuli autem terroribus ducendi sunt. (*Prov.* 19.) *Pestilente flagellato stultus sapientior erit.* Et ideo hic dicit Apostolus, quod in datione legis, facta sunt quædam terribilia. Unde primo ponit illa quibus territi sunt hi quibus lex dabatur : secundo agit de terrore legislatoris ibi : *Moyses dixit.* Quantum ad primum tria ponit, sc. terrorem quantum ad visa : secundo quantum ad audita, ibi : *Et procellam.* Tertio quantum ad comminationes, ibi : *Et si bestia tetigerit.* Et ista tria referuntur ad tria, quæ ibi erant terribilia, sc. ex parte Dei, ex parte legis datæ, et ex parte ministrorum legis. Quantum ad primum, sc. ex parte Dei, ponit tria terribilia, sc. zelum ad puniendum, severitatem pœnæ, et occultationem dantis legem. Zelus designatur per ignem. (*Deut.* 4.) *Dominus Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator.* (*Mal.* 3.) *Ipse enim quasi ignis conflans.* Unde ipse Deus frequenter vocat se zelotem, quia crimen sponsæ non dimittit inultum. (*Exod.* 20.) *Ego enim sum Dominus Deus tuus fortis zelotes.* Et 34. *Dominus zelotes nomen ejus.* (*Prov.* 6.) *Zelus et furor viri non parcet in die vindictæ.* Unde dicitur hic, Non enim accessistis sicut illi ad tractabilem et accessibilem ignem. Ille enim ignis, ut dicitur (*Exod.* 19.) erat corporalis, et ideo palpabilis et

sensibilis, et etiam in certo loco, ut ad ipsum posset accedi. In nova autem lege datus fuit ignis Spiritus Sancti. (*Act.* 2.) Sicut enim Judæis quinquagesimo die ab egressu de Ægypto apparuit ignis æmulationis, ita discipulis quinquagesimo die a die resurrectionis, ignis Spiritus Sancti non palpabilis, sed mente perceptibilis. (*Thren.* 1.) *De excelso misit in ossibus meis ignem et erudivit me.* Iste ignis infinitus est natura et loco. Lucem enim habitat inaccessibilem. (1 *Tim.* 6.) Et ideo non est accessibilis. Severitas pœnæ significatur per turbinem, qui est ventus cum aqua. (*Job.* 9.) *In turbine conteret me.* Vel potest referri ad tentationes. Lex enim non refrenabat concupiscentiam : quia non dabat gratiam adjutricem ex opere operato sed tantum cohibebat actum, et ideo generabat turbinem tentationum. Occultatio autem dantis legem, significatur per caliginem : in qua figurabatur quod status legis occultus erat, id est, velatus. (2 *Cor.* 3.) *Usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Sed in nova lege istud velamen ablatum est, in cujus signum in passione Christi velum templi scissum est : quia nos revelata facie gloriam Domini speculamur, ubi supra. Item caligo illa significabat divinam excellentiam. Sicut enim illud quod in caligine est, clare videri non potest, et lux excellens hebetat oculum, ita et facit ipsum caligare qui lucem habitat inaccessibilem.

Deinde cum dicit : *Et procellam*, ponit terribilia quantum ad auditum, quæ sumuntur ex parte legis. In lege autem tria erant valde terribilia, sc. magnitudo comminationum gravitas præceptorum et multiplicatio ipsorum. Quantum ad primum, dicit : Et procellam, quæ proprie est conturbatio maris : large autem dicitur turbatio aeris cum turbine et pluvia : unde significat austeritatem comminationum quæ erant in veteri lege. (*Deut.* 29.) Sonitus tubæ significat gravitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem, indicebatur homini quasi bellum contra seipsum. Vox verborum significat multitudinem præceptorum. Verborum, inquam, Dei per subjectam creaturam, sc. per angelum. (*Gal.* 3.) *Ordinata per angelos, etc.* Deus enim per angelos ibi loquebatur, quæ omnia a Deo terribilia fuerunt, *Quod illi qui vocem illam audierunt, excusaverunt se ne eis fieret verbum.* Unde dicitur (*Exod.* 20.) *Perterriti, atque timore percussi fuerunt, et steterunt procul dicentes Moysi : Loquere tu nobis, et audiemus : non loquatur nobis Dominus, ne moriamur.* Causam autem hujus excusationis subjungit, dicens : Quia non poterant verba Dei portare. Unde *Non portabant*, id est, non sustinebant, *Quod dicebatur.* (*Deut.* 5.) Quid est omnis caro, ut audiat vocem Dei viventis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audivimus, et possit vivere? Tunc autem dicuntur non portari verba Dei, quando vel intellectu non capiuntur, vel excedunt affectum.

Consequenter ponit pœnæ comminationem, dicens : *Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur.* (*Exod* 19.) ubi dicitur : Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur aut confodietur jaculis, sive jumentum fuerit, sive homo, non vivet. Apost. autem ad majorem terrorem non facit mentionem hic, nisi de jumentis, quæ jubentur in lege occidi, ad ostendendum gravitatem peccati. Tamen mys-

tice mons est altitudo mysteriorum divinorum : bestia vero est homo bestialiter vivens. (*Ps.* 48.) *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, etc.* Hæc bestia duobus modis tangit montem. Uno modo blasphemando. (*Ps.* 72.) *Posuerunt in cœlum os suum.* (*Levit.* 24.) *Educ blasphemum extra castra, et lapidet eum universus populus.* Alio modo ingerendo se indigne divinis. (*Prov.* 25.) *Qui perscrutator est majestatis, opprimetur a gloria.* Ex his concludit, quod intendit, sc. quod ista valde terribilia erant, quia etiam nec jumentis parcebatur : unde dicit, quod ita terribile est quod dicebatur, in quo designatur differentia novi et veteris testamenti : quia vetus testamentum datum fuit in terrore, ut corda Judæorum, quæ prona erant ad idololatriam, terrerentur. Novum autem datum est in amore. (*Rom.* 8.) *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba pater.* Unde et Christus non terrores in principio prædicationis suæ præmisit, sed regnum cælorum promisit. (*Matth.* 4.) *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* (*Prov. ult.*) *Lex clementiæ in lingua ejus.*

Deinde cum dicit : *Moyses dixit*, agit de timore legislatoris, sc. Moysi. Lex enim per Moysen data est. (*Joan.* 1.) Si ergo ipse Moyses in legis datione territus fuit, ita ut diceret, ut dicit Apost. hic, *Exterritus sum*, sc. interius, *Et tremebundus*, exterius, qui fuit perfectissimus inter omnes, signum erat quod ipsa lex terribilis erat etiam ipsis perfectis, quia non dabat gratiam, ut dictum est, sed tantum ostendebat culpam. Unde ipsa fuit grave jugum, de quo dicit Petrus (*Act.* 15.) Quod hoc est jugum quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Sed lex Christi jugum suave est, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. (*Rom.* 5.) Unde sciendum est, quod ista littera quam ponit hic Apost. non est (*Exod.* 20.) Sed forte accepit eam Apost. (*Exod.* 3) ubi in visione rubi territus fuit et dixit, non sum eloquens ab heri et nudius tertius. Ex quo dixit vel facto saltem, etsi non verbo, exterritus sum et tremebundus. Vel forte Apost. utitur alia littera quam nos non habemus. Ex quo apparet, quod lex vetus fuit lex timoris.

Deinde ponit conditiones novi testamenti, dicens : *Sed accessistis.* Ubi ostendit, quæ nobis in ipso proponuntur. Et sunt tria nobis promissa, sc. spes futuræ gloriæ, participatio ecclesiæ, et familiaritas Dei. Secundum ostendit, cum dicit: *Et ecclesiam primitivorum.* Tertium, ibi : *Et judicem omnium Deum.* In cælesti autem gloria duo sunt, quæ potissime bonos lætificabunt, sc. fruitio deitatis et communis sanctorum societas. Nullius enim boni possessio jucunda est sine socio, ut dicit Boet. et (*Ps.* 127.) *Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.* Fruitio autem in duobus consistit, sc. in visione intellectus, et in delectatione affectus, ut enim dicit Aug. Fruimur cognitis in quibus voluntas delectata conquiescit. Propter visionem enim dicit : *accessistis ad montem Sion.* Sion enim significat altitudinem divinæ comtemplationis. (*Is.* 33.) *Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ.* Jucunditas et delectatio affectus significatur per *Jerusalem*, *civitatem cœlestem Dei viventis.* Ibi

erit visio experimentalis pacis, ıihil erit perturbans sive inte- ve exterius. Unde dicitur civi- ɔi, id est, civium unitas. (*Ps. Jerusalem, quæ ædificatur ut* :. Item 147. *Lauda Jerusalem um, lauda Deum tuum Sion.* ur : *qui posuit fines tuos pacem* ɔe *frumenti satiat te.* (*Gal.* 4.) *uæ sursum est Jerusalem libera* nde nihil ultra erit desideran- (*Cant.* 8.) Ex quo facta sum eo quasi pacem reperiens. Com- ntum autem sanctorum est unis societas, de qua dicit : *um millium angelorum fre- am,* id est, assiduitatem, quia ır ibi sunt. (*Matth.* 18.) *Angeli in cœlis semper vident faciem mei qui in cœlis est.* Quod au- ınt multa millia, patet (*Dan.* 7.) *millium ministrabant ei, et centena millia assistebant ei.* 15.) *Numquid est numerus mi- ejus?* (*Apoc.* 5.) *Et erat nu- eorum millia millium.* (*Is.* 22.) *frequens civitas exultans.* — *lesiam primitivorum, qui con- sunt in cœlis.* Hæc de parti- ɔne ecclesiæ. Dicitur autem ec- domus Dei (1 *Tim.* 3.) Primi- ancti, sunt Apostoli, qui primi- ; abundantius dona gratiæ per- ınt, per quos derivata sunt in os. (*Rom.* 8.) *Non solum autem ɔd et nosipsi primitias spiritus tes.* (*Ephes.* 2.) *Superædificati fundamentum apostolorum et ıtarum, etc.* Sicut autem anti- ; apud Romanos senatores qui ebantur ad magnas dignitates bebantur, quos primus Pompilius ɔulis aureis scripsit, et dice- ır patres conscripti, ita Apost. l ostendendum dignitatem apos- ım dicit, quod conscripti sunt in cœlis, cujus scripturæ liber est notitia quam Deus apud se habet de salvandis. Unde sicut ibi illud, quod scribitur non de facili a memoria labitur, ita illi qui ibi per finalem justitiam scripti sunt, infallibiliter salvabuntur. Et dicitur liber ille, liber vitæ. (*Luc.* 16.) *Gaudete et exultate, quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.*

Deinde cum dicit : *Et judicem omnium*, ostendit quomodo consecuti sumus Dei familiaritatem. Et primo familiaritatem patris, quia dicit : *Accessistis ad judicem omnium Deum* patrem, sc. a quo est auctoritas judiciaria in divinis. Quod enim filius judicet, habet a patre. (*Gen.* 18.) *Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram.* Illud autem, quod dicitur (*Joan.* 5.) quod pater omne judicium dedit filio, intelligitur quantum ad corporalem præsentiam : quia sola persona filii apparebit in judicio. Iste autem accessus est per fidem et charitatem. (*Rom.* 5.) *Justificati igitur per fidem, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam, etc.* Secundo familiaritatem Spiritus Sancti, cum dicit : *Et Spiritum Sanctum justorum*, secundum Gloss. hic est triplex littera. Una est melior, quæ habetur in Græco, et spiritum justorum perfectorum, id est, accessistis ad Spiritum Sanctum, qui facit perfectos in justitia. (*Job.* 31.) *Ut video, spiritus est in hominibus.* (1 *Cor.* 3.) *Nescitis, quia templum Dei estis vos, et spiritus Dei habitat in vobis?* Omnis enim justitia et perfectio est a Spiritu Sancto. Alia littera, et spiritum justorum perfectorum, et est sensus. Accessistis ad Deum, qui quidem est judex omnium, sed est quasi hæreditas spi-

rituum justorum perfectorum.(*Thren.* 3.) *Pars mea, Dominus, dicit anima mea.* Tertia littera est,et spiritus justorum perfectorum, id est, ut habeamus societatem cum spiritibus sanctorum, qui sunt justi et perfecti : sed prima melior est et planior. Tertio quantum ad familiaritatem filii, dicit : *Et testamenti novi mediatorem Jesum*, quasi dicat : Accessistis ad Christum, qui est mediator illius novi pacti, in quo nobis promittuntur spiritualia. Non sic autem Moyses. Unde (*Supra* 9.) *Ideo novi testamenti est mediator.* (*1 Tim.* 2.) *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Modus autem istius mediationis fuit effusio sanguinis Christi : quia ut dictum est (*Supra*, 9.) *Sine sanguinis effusione, non fit peccatorum remissio.* Et ideo dicit : *Accessistis ad aspersionem sanguinis.* (*Supra* 10.) *Aspersi corda a conscientia mala.* (*Supra* 9.) *Si enim sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat, etc.* Et loquitur Apostolus secundum ritum veteris legis : ubi post dationem veteris legis : populus aspersus est sanguine, qui erat figura sanguinis Christi : quo fideles mundandi erant. Sequitur, *Melius loquentem quam Abel.* Effusio enim sanguinis Christi figurata fuit in effusione sanguinis omnium justorum, qui fuerunt ab origine mundi. (*Apoc.* 13.) *Agnus qui occisus est ab origine mundi*, id est, occidi prævisus. Et ideo effusio sanguinis Abel signum fuit istius effusionis. Sed Christi sanguis melius loquitur, quam sanguis Abel : quia iste clamat vindictam, sed sanguis Christi ibi clamat veniam. (*Luc.* 23.) *Pater ignosce eis.* (*Is.* 53.) *Pro transgressoribus oravit.* (*Matth.* 26.) *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Vel melius loquentem, id est, melius loqui facientem, quia sanguis Abel facit nos loqui, Abel esse hominem purum, et justum, sed sanguis Christi facit nos loqui, Christum verum Deum justificantem.

LECTIO 5.

Arguit ex præcedenti conditione, ostendens quomodo sanguis Christi melius loquatur, quam sanguis Abel.

25. *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur : multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus:*

26. *Cujus vox movit terram tunc : nunc autem repromittit, dicens : Adhuc semel et ego movebo non solum terram, sed et cælum.*

27. *Quod autem adhuc semel dicit : declarat mobilium translationem, tanquam factorum, ut maneant ea, quæ sunt immobilia.*

28. *Itaque regnum immobile suscipientes habemus gratiam : per quam serviamus placentes Deo, cum metu et reverentia.*

29. *Etenim Deus noster ignis consumens est.*

Supra posuit Apostolus conditionem utriusque testamenti, hic ex hoc arguit, et circa hoc facit duo. Primo enim arguit. Secundo inducit conclusionem principaliter, ibi : *Itaque re-*

gnum immobile. Circa primum duo facit. Primo enim præmittit intentionem suam. Secundo arguit ad propositum, ibi : *Si enim illi.* Dicit ergo: Ita dictum est, quod sanguis Christi melius loquitur quam sanguis Abel. Videte ergo, ne recusetis vel condemnetis loquentem, id est, quod loquitur implete. Duo autem nobis loquitur sanguis Christi : primo enim loquitur nobis commemorando suum beneficium, quo datur nobis remissio peccatorum. Qui ergo iterum peccat, loquentem contemnit. Item loquitur exhortans ad imitandum. (*1 Pet.* 2.) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Qui ergo non tollit crucem suam ad ipsum sequendum, recusat loquentem. (*Ps.* 94.) *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* (*Matth.* 17.) *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

Deinde cum dicit : *Si enim illi,* arguit comparando locutionem veteris testamenti ad locutionem novi testamenti. Et hoc quantum ad duo, sc. quantum ad modum loquendi : et quantum ad efficaciam locutionis. Modus loquendi, quia ipse loquebatur super terram : hic autem est de cælo. Unde dicit : *Si illi,* sc. antiqui patres, *Recusantes eum, qui loquebatur super terram,* sc. Christum. (*Is.* 52.) *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum,* sc. per angelos vel prophetas. (*Supra* 1.) *Multifarie multisque modis olim loquens patribus in prophetis.* — *Vel eum,* id est, angelum, per quem lex data est Moysi. (*Gal.* 3.) *Ordinata per angelos.* (*Supra* 2.) *Si enim, qui per angelos dictus est sermo, factus est firmus, etc.* (*Act.* 7.) *Hic est Moyses, qui fuit in ecclesia in solitudine, cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai, etc.* — *Non effugerunt,* sc. ultionem divinæ legis. (*Job.* 11.) *Effugium peribit ab eis.* (*Supra* 2.) *Omnis prævaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem.* Sequitur conclusio per locum a minori. Si illi qui recusaverunt loquentem de terra non effugerunt, *Multo magis nos, qui avertimus nobis loquentem de cælo,* non debemus recusare, quia sc. minus possemus effugere. Ille enim, qui nobis loquitur in novo testamento, Christus, sc. jam est in cælis. (*Matth. ult.*) *Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in cælum.* (*Deut.* 4.) *De cælo audire te fecit vocem suam, ut doceret te.* Doctrina ergo veteris testamenti est doctrina Christi loquentis de terra propter duo. Primo, quia ibi sub figura terrenorum traduntur cælestia. Item ibi promittebantur terrena, sed doctrina novi testamenti est Christi loquentis de cælo : quia terrena convertimus in significationem cælestium, per intellectum mysticum. Item in ipso promittuntur cælestia. (*Matth.* 10.) *Ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.* (*Joan.* 3.) *Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixero vobis cælestia credetis?*

Consequenter comparat ad invicem utrumque testamentum quantum ad efficaciam locutionis. Et de efficacia quidem locutionis veteris testamenti dicit : *Cujus vox movit terram tunc,* id est, fecit commotionem in terra multipliciter : quia per signa in Ægypto, per divisionem maris, per motum terræ in deserto. (*Ps.* 97.) *Terra mota est, etenim cæli distillaverunt, etc.* In quo significatur, quod tota illa locutio commovebat corda per terrena promissa.

Deinde cum dicit : *Nunc autem re-*

promittit, subjungit quantum ad efficaciam novi testamenti, et probat eam per auctoritatem Prophetæ, et post exponit eam, ibi : *Quod autem dixit.* Auctoritas illa ponitur (*Aggæi* 2.) Non tamen secundum litteram nostram. Nos enim sic habemus : Adhuc unum modicum est, et ego movebo, etc. Apost. autem accipit sic : *Adhuc semel et ego movebo non solum terram, sed etiam cœlum.* Et est sensus idem. Et manifestum est, quod ista prolata fuerunt tempore veteris testamenti circa finem ejus, sc. post reditum transmigrationis ejus, quo tempore nihil restabat de veteri testamento. Ergo manifestum est, quod illud quod promittebatur, erat implendum in novo testamento, sc. novum cælum et nova terra. (*Is.* 65.) *Ecce ego creo novos cœlos, et terram novam.* Quæ quidem creatio ostensa est in spiritu Joanni. (*Apoc.* 21.) *Et vidi cœlum novum et terram novam.* In illa enim innovatione movebuntur cæli. Potest autem cælum dupliciter accipi. Uno modo cælum aereum, et istud igne ultimæ flagrationis purgabitur, ut supra dictum est 10. cap. Alio modo cælum sydereum, et istud non purgabitur, sed mutabitur quantum ad novum statum, quia cessabit a motu, et augebitur claritas partium ejus : quia lux lunæ erit ut lux solis, et lux solis septempliciter, ut dicitur (*Is.* 30.) Dicit ergo : *Nunc autem*, id est, per novum testamentum, *Repromittit dicens, Adhuc semel et ego non solum movebo terram, sed etiam cœlum.*

Consequenter cum dicit : *Quod autem dicit, etc.* exponit verba prophetiæ, et facit magnam vim in hoc, quod dicit : *Adhuc semel.* Quod enim dicit, *Adhuc*, ostendit quod mobilia sunt. Sed quod dicit, *Semel*, ostendit quod a statu mobilitatis et corruptibilitatis mutanda sunt ad statum incorruptionis et immutabilitatis. Si enim post motionem illam remanerent in statu mutationis, non diceret, semel, sed iterum et iterum, quod est contra Origenem, qui voluit quod mundus in infinitum renovabitur ac recuperabitur. Dicit ergo: *Quod autem dicit, Adhuc semel, declarat translationem nobilium*, ad statum, sc. immobilitatis. Et quasi aliquis quæreret, utrum Deus hoc possit facere, subdit, *Tanquam factorum.* Omnia enim facta divinæ potestati subjiciuntur. Unde sicut ex nihilo fecit ea Deus, ita potest ea pro suæ voluntatis arbitrio immutare. Et hoc, *Ut maneant ea quæ sunt immobilia*, id est, quantum ad essentias suas principales remaneant immobilia, sed quantum ad aliquas accidentales dispositiones immutabuntur. (*Ps.* 101.) Et sicut opertorium mutabis eos et mutabuntur, etc. quæ (*Supra* 1.) sunt exposita. Ex his patet, quod ista in veteri testamento, etsi movebantur, non tamen ad statum incorruptionis et immutabilitatis, sed hoc fit tantum in novo, in signum quod promissa veteris testamenti erant mutabilia, non autem novi.

Deinde cum dicit : *Itaque regnum immobile*, ponit conclusionem principaliter intentam, postquam enim multipliciter commendavit gratiam et beneficia per Christum nobis collata et conferenda, principaliter intendit nos inducere ad serviendum ei. Et hoc concludit, quod ex quo nobis in novo testamento promittuntur bona immobilia, debemus Christo, qui repromittit, servire in timore et reverentia. Et hæc est conclusio principalis, unde primo resumit beneficium exhibitum, dicens : *Itaque*

o, sc. Deus nobis repromittit
ı et terram immobilia, per quæ
ıantur bona futura immobilia
ıpiterna, *Habemus*, id est, red-
ı, *Gratiam*, id est, gratiarum
em. (2 *Cor.* 9.) *Gratias ago*
uper inenarrabili dono ejus. Et
uscipientes, id est, quia susci-
ı etsi non in re, tamen in spe
ssionis, *Regnum immobile.* (*Ps.*
Regnum tuum regnum omnium
rum. (*Luc.* 1.) *Regni ejus non*
nis. Vel per gratiam intelligitur
n gratiæ, quod in præsenti re-
us tanquam pignus æternæ
ı. Et ideo dicit : *Itaque susci-*
s regnum immobile, id est, fu-
gloriæ, quod nobis promittitur.
12) *Nolite timere pusillus grex,*
omplacuit patri vestro dare vo-
gnum. Quod enim speramus,
ıus, sc. gratiam, quam tanquam
lam gloriæ inchoativum acci-
ı. Sicut enim natura non deficit
cessariis, multo minus Deus.
ıo dat nobis spem illius regni, et
onsequens gratiam per quam
niamus. (*Rom.* 5.) *Accessum*
ıus *per fidem in gratiam.* (*Ps.*
Gratiam et gloriam dabit Do-
ı. Sequitur, *Per quam serviamus*
ıtes Deo cum metu et reverentia,
ıducit ad obsequium ut a nobis
ıitum. Dictat enim ratio natu-
quod ei a quo multa beneficia
mus, obligamur ad reverentiam
l honorem exhibendum, ergo
ı fortius Deo, qui nobis maxima
vit, et infinita repromisit. Et
licit, quod per istam gratiam,
obis datam et dandam, servia-
Deo placentes, cum metu et reve-
ı. Non enim sufficit tantum ser-
Deo, quod potest fieri per ac-
n exteriorem, nisi etiam pla-
us ei per intentionem rectam, et
per amorem. (*Sap.* 4.) *Placens Deo*
factus est dilectus. (*Ps.* 114.) *Placebo*
Domino in regione vivorum. Maxime
autem servitur Deo per obsequium
interius.(*Ps.* 50 *et Luc.* 1.) *Serviamus*
illi in sanctitate et justitia. Deus au-
tem propter creationem, dicitur Do-
minus: propter regenerationem vero,
pater. Domino debetur timor, sed pa-
tri amor et reverentia. (*Mal.* 1.) *Fi-*
lius honorat patrem, et servus domi-
num timebit. Si ergo pater ego sum,
ubi est honor meus? Et si Dominus
ego sum, ubi timor meus? Ergo Deo
serviendum est cum metu et reve-
rentia. (*Ps.* 2.) *Servite Domino in*
timore, et exultate ei cum tremore.
Quod autem ita debeamus servire
Deo, probat per auctoritatem sumptam
(*Deut.* 4.) *Et enim Deus noster ignis*
consumens est. Hoc autem, quod Deus
dicitur ignis, non dicitur hoc secun-
dum Dionysium, quod sit aliquod
corporeum, sed quia intelligibilia de-
signantur per sensibilia, inter quæ
ignem reperimus habere majorem
nobilitatem, et majorem claritatem.
Item majorem activitatem. Item ma-
jorem altitudinem in situ. Item est
magis purgativus et consumptivus,
ideo Deus præcipue nominatur ignis,
propter ejus claritatem quia lucem
habitat inaccessibilem. (1 *Tim.* 6.)
Item quia maxime activus. (*Is.* 26.)
Omnia opera nostra operatus es in no-
bis. Item altior est in situ. (*Ps.* 112.)
Excelsus super omnes gentes Dominus,
etc. Item purgat peccata, et quasi con-
sumit. Unde dicit hic, quod *Est ignis*
consumens, sc. peccata. (*Mal.* 3.) *Ipse*
enim quasi ignis conflans. Et sequi-
tur, *Et purgabit filios Levi.* (*Supra*
1.) *Purgationem peccatorum faciens.*
Item consumit peccatores puniendo.
(*Supra* 10.) Terribilis autem quædam
expectatio et ignis æmulatio, quæ

consumptura est adversarios. Et ideo quia ista nobis promissa sunt. (*Is.* 10.) *Erit lumen Israel in igne et sanctus ejus in flamma.* (*Ps.* 96.) *Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus* : et ideo debemus studere ad serviendum, et placendum Deo.

CAPUT XIII.

Quomodo sese habere debent ad operandum bona ostendit, ac inter cætera hospitalitatis meminit, quia per eam nonnulli, etiam angelos hospitio susceperunt.

1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis.*
2. *Et hospitalitatem nolite oblivisci : per hanc enim placuerunt quidam, angelis hospitio receptis.*
3. *Mementote vinctorum, tanquam simul vincti : et laborantium, tanquam et ipsi in corpore morantes.*
4. *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus. Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.*
5. *Sint mores sine avaritia : contenti præsentibus. Ipse enim dixit, non te deseram, neque derelinquam.*
6. *Ita ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor : non timebo quid faciat mihi homo.*
7. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei : quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem.*
8. *Jesus Christus, heri et hodie : ipse et in secula.*

Postquam supra monuit eos Apostolus, qualiter se debent habere ad perferenda mala : hic monet quomodo se debeant habere ad operandum bona. Unde secundum Gloss. ab isto loco incipit moralis instructio post commendationem et exhortationem ad imitandum ipsum. Et circa hoc duo facit : primo enim hortatur ipsos ad bona : secundo orat pro eis, ibi : *Deus autem pacis.* Circa primum tria facit : primo enim ostendit, quomodo debent bonum operari, quantum ad proximos : secundo quantum ad seipsos, ibi : *Honorabile connubium.* Tertio quantum ad prælatos, ibi : *Mementote præpositorum.* Dicit ergo quantum ad primum sic. Dictum est, quod promissum est nobis regnum immobile, ad quod si volumus pervenire, necesse est nos charitatem habere. Ergo, *Charitas fraternitatis maneat in vobis.* (1 *Joan.* 4.) *Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere?* Item (1 *Pet.* 2.) *Omnes invicem honorate, fraternitatem diligite.* Quia vero charitas non est otiosa, ut dicit Greg. ideo hortatur ad opera charitatis. (1 *Joan.* 3.) *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Ideo dicit, quod debemus ostendere charitatem peregrinis per hospitalitatem, vinctis per compassionem, pauperibus per subventionem. Et primum ponit, ibi : *Et hospitalitatem nolite oblivisci.* Secundum, ibi : *Mementote vinctorum.* Tertium, ibi : *Et laborantium.* Dicit ergo quantum ad primum, *Nolite oblivisci hospitalitatem.* Et dicit, oblivisci, quia isti aliquando in prosperitate sua multum fuerant hospitales, sed modo depauperati erant : et ideo non ita bene poterant, tamen animat eos ad continuandum secundum possibilita-

tem suam. (*Rom.* 12.) *Hospitalitatem sectantes.* Et specialiter facit mentionem de hospitalitate, quia qui peregrinos recipit, tria opera misericordiæ simul implet, quia et recipit, et cibat, et potat. (1 *Joan.* 4.) *Hospitales invicem sine murmuratione.* Et subdit rationem, *Quia per hanc multi placuerunt, angelis hospitio receptis*, sicut patet de Abraham et Loth. (*Gen.* 19.) Alia littera habet, per hanc quasi nescientes, receperunt angelos, quia non credebant eos esse angelos quod verum est in principio : unde quod Abraham adoravit eos, putavit, quod essent viri sancti a Deo missi, et adoravit eos adoratione duliæ, quæ exhibetur sanctis, et quasi hominibus cibos obtulit. Sed postmodum intellexit eos angelos, in quibus Deus loquebatur, et locutus est eis sicut Deo, dicens : Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram, et similiter Loth. Quantum ad secundum dicit : *Mementote vinctorum* illorum, sc. qui propter Deum missi sunt in carcerem, mementote visitando et redimendo, tanquam essetis simul corporaliter cum eis vincti. Hoc enim est aliud opus misericordiæ. (*Matth.* 25.) *In carcere eram, et venistis ad me.* Contra quod (*Is.* 14.) dicitur : *Vinctis ejus non aperuit carcerem.* Hoc ipsi aliquando fecerunt, sicut patet (*Supra* 10.) Specialiter autem hoc pertinet ad opus misericordiæ, alienam miseriam suam reputare. Quantum ad tertium, dicit : *Et laborantium*, sive labore corporali. (*Ps.* 127.) *Labores manuum tuarum, quia manducabis* : sive sollicitudine spirituali. (2 *Tim.* 2.) *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Sive in malis sustinendis. (*Eccl.* 1.) *Et cognovi, quod in his quoque esset labor et afflictio spiritus.* Breviter tota præsens vita, labor quidam est. (*Job.* 5.) *Homo ad laborem nascitur, et avis ad volatum;* supple mementote, *Tanquam et ipsi in corpore morantes.* Per quod experti estis, quid necesse sit laborantibus. (*Eccl.* 31.) *Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso.* (*Matth.* 7.) *Omnia quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis.*

Deinde cum dicit : *Honorabile connubium*, monet bona facere quantum ad seipsum : et circa hoc duo facit. Primo enim ponit monitionem contra concupiscentias carnalium delectationum. Secundo contra cupiditatem rerum exteriorum, ibi : *Sint mores sine avaritia.* Primo ergo ponit monitionem, dicens : Honorabile, etc. Circa quod sciendum est, quod circa venerea contingit dupliciter peccatum. Uno modo per illicitam conjunctionem soluti cum soluta, et quantum ad hoc dicit : *Honorabile connubium*, supple sit in omnibus, qui continere nolunt, non conjunctio fornicatoria. Et dicitur, honorabile, quando fit secundum debitas circumstantias matrimonii. Ex quo patet quod actus matrimonialis potest esse sine peccato, quod est contra hæreticos. (1 *Cor.* 7.) *Si nupserit virgo, non peccavit.* Unde Dominus ad ostendendum bonum esse actum matrimonii, primum signum fecit in nuptiis : et matrimonium nobilitavit præsentia sua corporali : et nasci voluit de conjugata. Alio modo per violentiam thori maritalis, quando sc. vir accedit ad alterius uxorem, vel mulier ad alterius virum. Et quantum ad hoc dicit : *Et thorus immaculatus.* Et (*Sap.* 14.) *Neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per injustitiam occidit, aut adulterans contristat.* Item cap. 3. *Felix sterilis et incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habe-*

bit fructum in respectione animarum sanctarum. Subdit autem Apostolus rationem, dicens : *Fornicatores enim et adulteros judicabit Deus.* In quo elidit errorem aliquorum dicentium, quod Deus peccata carnalia non punit, nec curat. (*Ephes.* 5.) *Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hæc enim,* sc. propter peccata carnalia, quæ præmiserat, *venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Ideo dicit hic : Fornicatores, propter hoc quod dixit, honorabile connubium, et adulteros propter hoc, quod dixit : thorus immaculatus. *Deus judicabit,* id est, condemnabit. (*Ephes.* 5.) *Omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet partem in regno Dei et Christi.*

Deinde cum dicit : *Sint mores,* prohibet cupiditatem bonorum exteriorum : circa quæ contingit peccare duobus modis. Uno enim modo per tenacitatem. Alio modo per cupiditatem. Liberalitas enim est virtus, quæ ponit medium circa pecunias, quantum ad dationem, et quantum ad acceptionem. Quantum ad primum, sc. contra tenacitatem, dicit : *Sint mores sine avaritia.* Avarus enim dicitur nimis tenax, quasi avidus æris. Unde (*Eccl.* 10.) *Avaro nihil est scelestius.* Quantum ad secundum dicit : *Contenti præsentibus.* Illi qui super his quæ habent, volunt alia cumulare, non sunt contenti præsentibus. (1 *Tim.* 6.) *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Vel quod dicitur : *Sint mores sine avaritia*, prohibet avaritiam quantum ad cupiditatem et tenacitatem. Cum vero dicit : *Contenti præsentibus,* excludit causam avaritiæ, sc. sollicitudinem. (*Matth.* 6.) *Nolite solliciti esse, etc.* Non enim prohibetur, quod homo non sollicitetur de rebus in posterum necessariis, sed quod cura et sollicitudo non præoccupet mentem. Sic enim qui præoccupat futuram sollicitudinem, sollicitus est in crastinum.

Deinde cum dicit : *Ipsem eni dixit*, ponit monitionis rationem. Et est ratio, quare non debemus superflue esse solliciti, sed tamen facere quod in nobis est, sc. cum fiducia divini auxilii. *Ipse enim dixit* (*Josue* 1.) *Non te deseram,* sc. quin ministrem tibi necessaria, *Neque derelinquam,* sc. fame perire. (*Ps.* 30.) *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Vel, *Non derelinquam quin liberem te a malis.* Et ex hoc causatur fiducia in corde, *Ita ut confidenter dicamus.* (*Is.* 12.) *Fiducialiter agam, et non timebo.* Et quid dicemus ? Illud (*Ps.* 117.) *Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Adjutor inquantum a malis liberat. (*Ps.* 45.) *Adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.* Et ideo non timebo, quid faciat mihi homo, id est, adversarius quicumque carnalis. (*Is.* 51.) *Quis tu, ut timeas ab homine mortali ?* Vel diabolus, qui dicitur homo ab homine victo : sicut Scipio Aphricanus a devicta Aphrica, dictus est Aphricanus. (*Matth.* 13.) *Inimicus homo hoc fecit.*

Deinde cum dicit : *Mementote præpositorum, etc.* ostendit, quomodo debent bonum operari, quantum ad prælatos. Et circa hoc facit duo : primo enim ostendit, quomodo se debent habere ad mortuos, sc. ut eorum sequantur exempla : secundo quomodo ad viventes, sc. ut eis obediant, ibi : *Obedite præpositis vestris.* Quantum ad primum duo facit. Primo enim ostendit, quomodo bonorum doctrinam imitentur. Secundo quomodo malorum doctrinam devitent, ibi : *Doctrinis variis.* Dicit ergo : *Memen-*

præpositorum, vestrorum, qui locuti sunt verbum Dei, id est, ;tolorum qui vobis prædicave- .(*Is.* 51.) *Attendite ad Abraham :m vestrum, etc.* Non solum au- prædicaverunt verbo, sed etiam ostenderunt. (*Matth. ult.*) *Ser- m confirmante sequentibus si-* Non solum mementote verborum, :tiam intuemini exitum. (1 *Ma-* . 2.) *Mementote operum patrum, 'ecerunt in generationibus suis, :cipietis gloriam magnam, etc.* 5.) *Exemplum accipite fratres mali exitus et longanimitatis et -is et patientiæ, prophetas qui lo- sunt in nomine Domini, etc.* Sed solum hoc imitemini, sc. exitum, . pro Christo patienter sustinea- ed etiam *Conversationem*, ad bo- enim mortem venitur per bo- conversationem, *Imitamini etiam* . illorum, ut ab illa non declinetis. itur, *Jesus Christus heri, et ho- pse et in secula*, secundum Gloss. ıtroducitur litteraista. Ipse enim a dixerat, quod sc. dictum est *e* 1.) *Non te deseram, neque de- quam ;* poterant isti dicere. Ille cui hoc dictum est, bene debebat confidere de Dei adjutorio, nos autem non sic, quibus non est dictum. Hoc removet Apost. dicens, quod Christus, qui hoc dixit Josue, manet in æternum. Et ideo sicut tunc potuit ipsum juvare, ita potest modo auxiliari nobis. Ideo dicit : Jesus Christus heri et hodie, etc. Vel potest referri ad immediate dictum. Jam enim dixerat, quod deberent imitari Apostolos. Poterant dicere, quod non est simile, quia illi immediate instructi fuerunt a Christo et servierunt sibi, nos autem non sic. Et ideo dicit Apost. quod Christus manet: ideo et instruit nos ad serviendum sibi. Unde dicit: *Jesus Christus heri*, sc. in tempore primitivorum Apostolorum. *Et hodie*, sc. in tempore isto, *Ipse et in secula.* (*Matth. ult.*) *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* (*Apoc.* 1.) *Dicit Dominus Deus, qui erat, et qui est, et qui venturus est omnipotens.* (*Ps.* 101.) *Tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient* : in hoc ergo ostendit Apostolus æternitatem Christi.

LECTIO 2.

doctrina sanctorum, qui jam decesserunt, non vult Hebræos abduci, nam gratia cor firmare debent nos escis.

ıctrinis variis et peregrinis nolite duci. Optimum est enim gratia bilire cor, non escis, quæ non pro- erunt ambulantibus in eis.

Iabemus altare, de quo edere non bent potestatem, qui tabernaculo serviunt.

Iuorum enim animalium infertur nguis pro peccato in sancta per ntificem, horum corpora creman- · extra castra.

12. *Propter quod et Jesus, ut sanctifi caret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

13. *Exeamus igitur ad eum extra castra : improperium ejus portantes.*

14. *Non enim habemus hic manentem civitatem : sed futuram inquirimus*

15. *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus.*

16. *Beneficentiæ autem et communio-*

nis nolite oblivisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus.

Supra monuit Apostolus ad imitandum exempla et conversationem eorum, qui decesserunt, hic monet ad insistendum doctrinæ eorum. Et circa hoc duo facit. Primo enim ponit monitionem suam. Secundo assignat rationem, ibi: *Habemus altare.* Iterum prima in duas. Primo enim ponit monitionem suam in generali. Secundo explicat ipsam, ibi: *Optimum enim est gratia.* Dicit ergo: *Nolite abduci variis et peregrinis doctrinis*, quasi dicat: Ita dixi quod debetis imitari fidem apostolorum. Ergo a doctrina ipsorum per quamcumque aliam doctrinam nolite abduci, id est, removeri. Ubi sciendum est, quod cum veritas consistat in medio, cujus est unitas, et ideo uni vero multa falsa opponi possunt, sicut uni medio multa extrema. Doctrina ergo fidei una est, quia a puncto in punctum non convenit ducere nisi unam rectam lineam. Omnes aliæ doctrinæ multæ sunt, quia a recto multis modis contingit deviare. Et ideo dicit: *Doctrinis variis*, id est divisis. (*Oseæ* 10.) *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Hæ sunt illæ doctrinæ, de quibus (1 *Tim.* 4.) *Doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* Item sunt peregrinæ, sc. a fide catholica, a nobis autem tales doctrinæ non sunt sustinendæ, quia non sumus hospites et advenæ, sed sumus cives sanctorum et domestici Dei. (*Ephes.* 2.)

Deinde cum dicit: *Optimum est gratia*, explicat in speciali, quæ sunt variæ et peregrinæ doctrinæ. Unde sciendum est, quod in primitiva ecclesia fuit unus error, quod ad salutem necessaria erat observantia legalium, quæ præcipue consistebat in quibusdam cibis sumendis, puta agni paschalis (*Exod.* 12.) et in abstinendo a quibusdam cibis, sicut patet (*Levit.* 11.) et in aliis multis locis. Alius error fuit, quod passim licebat uti delectationibus corporalibus. Et iste fuit error Nicolaitarum. Et de utroque possunt hæc verba exponi, sed magis proprie de primo: dixit ergo supra: Nolite abduci a veritate fidei, per varias et peregrinas doctrinas. (2 *Thess.* 2.) *Non cito movemini a sensu vestro.* (*Gal.* 2.) *Miror quod sic tam cito transferimini ab eo qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud evangelium.* Deus enim a nobis requirit cor. (*Prov.* 23.) *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Et ideo: *Optimum est gratia stabilire*, nam debet esse firmum et stabile. Contra quod dicitur in (*Ps.* 39.) *Cor meum dereliquit me.* Hoc autem non stabilitur escis corporalibus, sed per gratiam justificantem. (*Rom.* 3.) *Justificati gratis per gratiam ipsius et per redemptionem, quæ est in Christo Jesu.* Et ideo dicit: *Non escis, quæ non profuerunt.* (*Rom.* 14.) *Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia et pax, etc.* Non est ergo stabilimentum cordis, in moderata vel superflua sumptione cibi, sed magis in gratia Dei. (*Ps.* 111.) *Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec, etc.* Spes autem est quasi anchora stabiliens corda. (*Supra* 6.) *Confugimus ad tenendam propositam nobis spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam et firmam.* Et dicit, quod non profuerunt *Ambulantibus in eis*, id est, sperantibus in eis, quia illis qui eis utuntur ad necessitatem prosunt ad salutem corporis, sed qui totum studium ponunt in eis, ambulant in ipsis, et talibus,

nec proficiunt ad salutem animæ nec corporis. (*Jer.* 11.) *Numquid carnes sanctæ auferent a te malitias tuas*[1], *in quibus gloriata es.*

Deinde cum dicit : *Habemus altare*, assignat rationem, et est valde subtilis. Sicut enim legitur (*Lev.* 16.) Decima die septimi mensis, summus sacerdos sanguinem vituli et hirci inferebat intra sancta, pro sua ignorantia, et illorum corpora cremabantur extra castra. Et quia erat oblatio sacerdotum, non comedebantur carnes eorum. Quod enim offerebant pro peccato sacerdotum non comedebant, sed extra castra comburebant. Ex ista ergo figura trahit Apostolus mysterium. Per sanguinem enim illum figurabatur sanguis Christi, ut supra dictum est, 9 cap. Vitulus enim et hircus Christum figurabant, quia vitulus erat hostia sacerdotalis, et hircus immolabatur pro peccato. In quo figurabatur, quod Christus debebat immolari pro peccato, non suo, sed populi. Vitulus ergo et hircus immolatus est, Christus sacerdos seipsum offerens pro peccatis nostris. Sanguis ergo Christi illatus est intra sancta, et caro cremata est extra castra. Ubi duplex est significatum. Unum, quod Christus in civitate immolatus est linguis Judæorum. Unde et Marcus dicit ipsum hora tertia crucifixum, licet hora sexta fuerit in cruce levatus. Aliud quod per virtutem passionis suæ Christus intra cælestia sancta nos introducit ad patrem. Quod autem corpora illorum cremabantur extra castra, quantum ad caput nostrum, significat quod Christus passurus erat extra portam : quantum vero ad nos, qui sumus membra, significat quod pro illis, qui sunt extra castra legalium vel exteriorum sensuum, immolatur Christus. Qui enim erant in castris, de carnalibus illis non comedebant. Hæc est ergo figura, quam proponit Apostolus, cujus primo ponit significatum. Secundo ponit figuram, ibi : *Quorum enim animalium*. Tertio inducit conclusionem. *Exeamus igitur*. Dicit ergo, Stabiliamus corda nostra non escis, sed gratia. Aliter enim non possumus : quia *Habemus altare*. Istud altare vel est crux Christi, in qua Christus pro nobis immolatus est. Vel ipse Christus, in quo, et per quem preces nostras offerimus. Et hoc est altare aureum, de quo dicitur (*Apoc.* 8.) *De isto ergo altari non habent potestatem edere*, id est, fructum passionis Christi percipere, et ipsi tanquam capiti incorporari, *Qui tabernaculo* legalium *deserviunt*. (*Gal.* 5.) *Si circumcidimini, Christus vobis nihil proderit*. Vel tabernaculo corporis deserviunt, qui carnales delectationes sequuntur. (*Rom.* 13.) *Carnis curam ne feceritis in desideriis*. Talibus enim nihil prodest. (1 *Cor.* 11.) *Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit*. Dicitur autem corpus tabernaculum, quia in ipso tanquam in bello habitamus contra hostes, et modicum manet. (2 *Pet.* 1.) *Velox est depositio tabernaculi mei*, et ideo non est ei deserviendum.

Deinde cum dicit : *Quorum enim animalium*, prosequitur figuram ipsam. Et primo figuram veteris legis : secundo figuram novi testamenti, ibi : *Propter quod et Jesus*. Quantum ad primum dicit : *Quorum enim animalium, etc.* Et potest legi littera ista duobus modis. Uno modo sic, *Horum animalium corpora cremantur extra castra*, sc. vituli et hirci, *quorum sanguis infertur in sancta per pontificem, pro peccato* secerdotum et multitudi-

nis. Aliter sic, ut per illa animalia intelligatur Christus vel sancti ejus. Per omnes enim hostias veteris legis figurabatur Christus, et per consequens membra ejus: Christi ergo corpus, cujus sanguis illatus est in sancta cælestia pro peccato totius mundi, igne passum in ara crucis, extra portas Jerusalem, quasi extra castra crematum est. Vel etiam sancti extra castra, id est, extra communem societatem hominum, igne charitatis, jejuniis, orationibus et aliis operibus misericordiæ se cremant. Quorum, id est, pro quibus efficaciter sanguis Christi in sancta illatus est. Primus sensus litteralis est. *Propter quod*, adaptat ad id, quod fuit in novo testamento figuræ veteris testamenti, ut sit consonantia inter ipsa. Unde dicit : *Propter quod et Jesus*, *etc.* Et patet totum.

Deinde cum dicit : *Exeamus igitur ad eum*, inducit duas conclusiones. Secunda, ibi : *Per ipsum ergo.* Quantum ad primum dicit : ita dictum est quod nos habemus altare, quod est extra castra. Duo ergo debemus facere, sc. ad ipsum accedere, et super illud sacrificare. Modus accedendi ponit primo, dicens, quod sicut Christus passus est, et improperium passionis extra portam sustinuit, sic et nos, *Exeamus ad eum extra castra*, id est, extra communem societatem carnalium, vel extra observantiam legalium. Vel extra sensus corporis, *Portantes improperium ejus*, sc. Christi, id est, signa passionis Christi, per quæ Christus factus est opprobrium hominum et abjectio plebis. (*Ps.* 68.) *Improperium expectavit cor meum et miseriam.* Vel improperium portemus, id est, renuntiemus legalibus, adveniente veritate, propter quod sumus Judæis improperium, id est propter signa pœnitentiæ quæ a carnalibus improperantur. (*Supra* 11.) *Majores divitias æstimans thesauris Ægyptiorum, improperium Christi.* Sicut enim accusatus est Christus, quod subverteret legem, ita Apostolo improperabatur, quod prædicaret non debere servari legalia. (*Gal.* 5.) *Ego autem fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior ?* Subdit autem rationem ejus, dicens : *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus.* Homo enim libenter manet in loco suo proprio. Finis enim noster non sunt legalia, nec temporalia, sed finis noster Christus est. (*Rom.* 10.) *Finis noster Christus est, ad salutem omni credenti.* Non ergo habemus hic manentem civitatem, sed ubi est Christus : ergo exeamus ad ipsum. (*Col.* 3.) *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, etc.* (*Is.* 33.) *Respice Sion, civitatem solemnitatis nostræ.* (*Supra* 11.) *Expectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor, Deus.* Item meliorem civitatem appetunt, id est cælestem. Ad ipsum enim intendimus transferri, sicut ad locum et altare nostrum. Ergo exeundum est ad illud.

Deinde cum dicit : *Per ipsum ergo offeramus*, ponit secundam conclusionem, quod sc. super istud altare sacrificare debemus, et qualia sacrificia. Duplex est autem sacrificium, quod super altare Christi offerre debemus, sc. devotionem ad Deum, et miserationem ad proximum. Quantum ad primum dicit : quod postquam non sunt offerenda sacrificia legalia. (*Ps.* 39.) *Sacrificium et oblationem noluisti.* — *Ergo per ipsum*, id est per Christum, *Offeramus semper Deo hostiam*

laudis. (*Ps.* 49.) *Sacrificium laudis honorificabit me.* Istud autem sacrificium laudis vocat fructum labiorum, id est confessionem vocis. Melius enim laudatur Deus ore, quam occisione animalium. Unde dicit : *Fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Hoc est enim necessarium. (*Rom.* 10.) *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* (*Oseæ* 14.) *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* (*Is.* 57.) *Creavi fructum labiorum, pacem.* Hoc autem sacrificium debet esse *Semper*, id est, continue : sicut in lege erat juge sacrificium, sicut patet (*Num.* 28. *Ps.* 33.) *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* Aliud sacrificium ponit, cum dicit : *Beneficentiæ autem et communionis nolite oblivisci*, quasi dicat : Olim opere exhibebatis opera misericordiæ, modo autem saltem corde, si non potestis opere. Et ideo dicit : *Nolite oblivisci beneficentiæ*, id est, liberalitatis, quantum ad ea quæ datis. Largus enim beneficus dicitur. (*Gal.* 6.) *Bonum autem facientes, non deficiamus.* (*Eccl.* 12.) *Benefac humili, et non dederis impio.* — *Et nolite oblivisci communionis*, quantum ad ea quæ servatis, ut tempore suo communicetis. (*Act.* 2.) *Omnes etiam qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia.* (*Rom.* 12.) *Necessitatibus sanctorum communicantes.* Vel communionis, id est charitatis, per quam sunt omnia communia. Quare autem istud duplex beneficium offerre debeamus, ostendit, dicens : *Quia talibus hostiis promeretur* passive *Deus*, id est, possumus Deum mereri talibus sacrificiis : ipse enim est merces nostra, quam istis operibus possumus acquirere. (*Gen.* 17.) *Ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis.* (*Ps.* 50.) *Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, etc.* (*Is.* 19.) *Colent eum in hostiis et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent.*

LECTIO 3.

Quomodo erga prælatos adhuc viventes, se habere debeant ostendit, pro se cupit orationes fieri, ac demum gratia epistolium signat.

17. *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes. Hoc enim non expedit vobis.*

18. *Orate pro nobis. Confidimus enim quia bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes conversari.*

19. *Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius restituar vobis.*

20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Jesum Christum :*

21. *Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum : cui est gloria in secula seculorum. Amen.*

22. *Rogo autem vos fratres, ut sufferatis verbum solatii. Etenim perpaucis scripsi vobis.*

23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo, si celerius venerit, videbo vos.*

24. *Salutate omnes præpositos vestros,*

et omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres.

25. *Gratia cum omnibus vobis. Amen.*

Supra monuit Apostolus, quomodo se debent habere ad prælatos mortuos, ut sc. in fide ipsorum permaneant : hic moneteos, qualiter se debeant habere ad viventes, et primo quomodo ad alios, secundo quomodo ad seipsum Paulum, ibi : *Orate pro nobis, etc.* Dicit ergo: *Obedite præpositis vestris.* Ubi considerandum est, quod duo debemus prælatis, sc. obedientiam, ut ipsorum mandata impleamus. Unde dicit : *Obedite.* (1 *Reg.* 15.) *Melior est obedientia quam victimæ.* Item reverentia, ut eos honoremus tanquam patres, et ipsorum disciplinam toleremus. Et ideo dicit : *Subjacete eis.* (1 *Pet.* 2.) *Subjecti estote omni humanæ creaturæ.* (*Rom.* 13.) *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Rationem subjectionis subdit, dicens : *Ipsi enim pervigilant.* Quare enim debeamus obedire et subjici prælatis, hoc est, ideo, quia incumbit eis labor, et periculum imminet. Unde quantum ad laborem sollicitudinis, qui eis incumbit de regimine subditorum, dicit, quod *Ipsi pervigilant*, id est, perfecte vigilant. (*Rom.* 12.) *Qui præest in sollicitudine.* Vigilare enim super gregem commissum incumbit prælatis. Unde (*Luc.* 2.) dicitur : Pastores, per quos designantur prælati, erant vigilantes et custodientes vigilias noctis super gregem suum, quia dum dormiunt homines, inimicus homo supersemina t zizania in medio tritici, ut dicitur (*Matth.* 13.) Quantum autem ad periculum quod imminet, dicit : *Quasi pro animabus vestris reddituri rationem.* Hoc est enim maximum periculum, hominem de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. (3 *Reg.* 20.) *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Reddent enim prælati in die judicii rationem de sibi commissis, quando fiet eis illa quæstio. (*Jer.* 13.) *Ubi est grex qui datus est tibi pecus inclytum tuum ?* Quid dices, cum visitaverit te ? Tu enim docuisti eos adversum te, sc. loquendo bona et faciendo mala, et erudisti in caput tuum, per mala tua exempla. Gregor. Scire debent prælati, quod tot mortibus digni sunt, quot exempla perditionis ad subditos transmittunt. (*Prov.* 6.) *Fili, si sponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus.* Fac ergo quod dico fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum, etc. Prælatus enim manu, id est, exemplo boni operis, et ore, id est prædicatione obligat se Christo pro subditis. Dicitur autem Christus extraneus, quia ut dicit Bernardus : Amicus est in sponsione, sed extraneus in exigenda ratione. Sed non videtur, quod aliquis teneatur reddere rationem nisi pro se tantum. (2 *Cor.* 5.) *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis, prout gessit.* Respondeo : dicendum est, quod quilibet principaliter reddet rationem de factis suis. Sed inquantum actus sui quodammodo pertinent ad alium, in tantum reddet rationem de illo. Facta autem prælati pertinent ad subditos, secundum illud (*Ezech.* 3.) *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, et audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me.* Ubi sequitur, quod si prælatus (qui nomine speculatoris intelligitur) non annuntiaverit impio, ipse

quidem impius in iniquitate sua morietur : sed sanguis de manu speculatoris requiretur. Si igitur pervigilant, quasi reddituri rationem pro nobis, et nos debemus, quod in nobis est, facere, sc. obedire, et non rebellare, *Ut ipsi cum gaudio hoc faciant, et non gementes*, sustineant periculum et laborem pro nobis cum gaudio, et non cum gemitu, quia bonus prælatus multum gaudet, quando videt subditos bene operantes : quia tunc labor suus non est inanis. (*Joan.* 3.) *Majorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* (*Philip.* 4.) *Itaque fratres mei charissimi et desideratissimi gaudium meum et corona mea, sic state in Domino charissimi.* Ipsi autem gemunt in rebellione vestra. (*Gal.* 4.) *Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* (*Jer.* 9.) *Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Gemunt etiam compatiendo, quando propter rebellionem nostram non consequimur fructum laborum ipsorum, qui est fructus æternæ hæreditatis. (*Is.* 33.) *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt.* Subdit autem rationem, quare debemus obedire eis, quia, *Hoc enim non expedit vobis*, quod, sc. ipsi gemant pro nobis ex rebellione nostra. Deus enim vindicabit pro ipsis. (*Ps.* 105.) *Irritaverunt Moysen in castris Aaron sanctum Domini.* Aperta est terra, et deglutivit Datham et operuit super congregationem Abiron. (*Is.* 63.) Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt eum, et afflixerunt Spiritum Sanctum ejus. Sequitur: et conversus est eis in inimicum, et ipse debellavit eos. Nota autem, quod dicit : *Non expedit vobis.* Non enim dicit : Non expedit illis. Gemere enim pro commissis subditorum bene expedit prælatis. Sic gemebat Samuel super reprobatione Saulis. (*1 Reg.* 15 *et* 16.)

Deinde cum dicit : *Orate pro nobis*, monet Apostolus, qualiter se debeant habere ad ipsum. Petit enim quod ipsi orent pro eo. Simile habetur (*Rom.* 15.) *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Jesum Christum, et per charitatem Spiritus Sancti, ut adjuvetis me in orationibus vestris* : quia sicut dicit Gloss. impossibile est, id est valde difficile, preces multorum non exaudiri. (*Matth.* 18.) *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet eis a patre meo.* In hoc ergo, quod Apostolus, qui certus erat, quod Deo erat acceptus, petit orari pro se, percutit superbiam aliquorum qui dedignantur ab aliis preces petere, ut dicit Gloss. Rationem suæ petitionis assignat, dicens: *Confidimus enim, etc.* quod potest duobus modis intelligi. Uno modo respectu ipsorum, quorum petit orationes : quia cum Apostolus Judæis non prædicaret, sed tantum Gentibus, non videbatur eis acceptus. Et ideo poterant se excusare, ne exaudirent petitionem ejus: et ideo dicit quasi se excusando : quod ipse non habet conscientiam quin bonum ipsorum velit. Unde dicit : *Confidimus enim, quia habemus bonam conscientiam, volentes vos etiam bene conversari in omnibus.* Per quod dat intelligere, quod intendit eis prodesse cum poterit. Quia vero bonum conscientiæ est a solo Deo, ideo illud attribuit fiduciæ quam gerit de ipso. Vel potest referri ad ipsum Apostolum, quia cum non prædicaret Judæis, non videbatur dignus quod orationes pro ipso fierent, quia Do-

minus non exaudiret eos, quia hostis fidei ipsorum videbatur, sicut dicitur. (*Jer.* 7.) *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem et orationem, et non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* Hoc ergo removet Apostolus, dicens : *Orate pro nobis, quia non habemus conscientiam alicujus peccati nec alicujus malefacti, sed confidimus.* Nec ait, certi sumus, quia delicta quis intelligit ? (*Eccl.* 9.) *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.* (1 *Cor.* 4.) *Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non justificatus sum.* Quia ergo *Bonam conscientiam habemus bene volentes conversari in omnibus*, ideo non repugnat mihi quin orationes vestræ sint utiles.

Deinde cum dicit : *Amplius autem deprecor*, assignat aliam rationem, quare debent orare pro ipso : quia sc. hoc erit eis utile. Unde dicit : Amplius, id est propter aliud, *Deprecor hoc vos facere*, sc. orare. *Quo restituar vobis celerius*, quod erit ad utilitatem vestram. (*Rom.* 1.) *Desidero videre vos, ut aliquid impartiar vobis gratiæ spiritualis.* Apostolus autem, qui sic pro omnibus factis suis recurrit ad orationem, insinuat nobis, quod omnes viæ ejus et facta ordinabantur ab ipso, secundum Dei dispositionem. (*Job.* 37.) *Nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit.* Per nubes enim prædicatores et apostoli intelliguntur. (*Is.* 60.) *Qui sunt isti, qui ut nubes volant ?*

Deinde cum dicit : *Deus autem pacis*, orat Apostolus pro ipsis, et primo orat. Secundo aliquid ab ipsis petendo se excusat, ibi : *Rogo autem vos fratres.* Circa primum, prius describit eum, quem orat, dicens : *Deus autem pacis.* Proprius enim effectus Dei est facere pacem. Non enim est Deus dissensionis, sed pacis. (1 *Cor.* 4.) Item (2 *Cor.* 13.) *Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum.* Pax enim nihil aliud est, nisi unitas affectuum. Quos unire est proprium solius Dei, quia per charitatem, quæ a solo Deo est, uniuntur corda. Deus enim novit colligere et unire, quia Deus est charitas : quæ est vinculum perfectionis. Unde ipse habitare facit unanimes in domo. (*Ps.* 67.) Homo inter se et Deum, pacem fecit per mysterium Christi. Et ideo dicit : *Qui eduxit de mortuis pastorem magnum ovium.* Quandoque autem dicitur Christus suscitatus per virtutem patris. (*Rom.* 8.) *Si spiritus ejus, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis :* quandoque vero dicitur seipsum suscitasse. (*Ps.* 3.) *Ego dormivi et soporatus sum.* Quæ tamen non sunt contraria, quia surrexit virtute Dei, quæ est una, patris et filii et Spiritus Sancti. Eduxit ergo de mortuis, id est, de sepulchro, quod est locus mortuorum. (*Rom.* 8.) *Quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Dicitur autem Christus magnus pastor ovium, id est, fidelium et humilium. (*Joan.* 10.) *Ego sum pastor bonus, etc.* Oves enim sunt, qui Deo obediunt. Ibidem : *Et oves meæ vocem meam audiunt.* Dicit autem ipsum, *Pastorem magnum*, quia omnes alii sunt vicarii ejus, quia ipse pascit oves proprias : alii vero oves Christi. (*Joan. ult.*) *Pasce oves meas.* (1 *Pet.* 5.) *Cum apparuerit princeps pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Eduxit autem ipsum *In sanguine testamenti æterni* ; id est, in virtute sanguinis Christi, per quem confirmatur testamentum novum, in quo æterna promit-

tuntur ad differentiam veteris. Christus enim sanguinem suum dicit sanguinem novi testamenti, Apostolus autem dicit æterni. Et ideo in consecratione sanguinis in forma ponitur utrumque. Ipse vero Christus per passionem suam meruit sibi et nobis gloriam resurrectionis. Ideo dicit, quod *Eduxit Dominum nostrum Jesum Christum de mortuis in sanguine testamenti æterni.* (*Phil.* 2.) *Humiliavit semetipsum, etc.* (*Zach.* 9.) *Tu vero in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, in quo non erat aqua.*

Consequenter subjungit petitionem suam, cum dicit: *Aptet vos in omni bono.* Voluntas enim humana cum sit quædam inclinatio rationis, est principium actuum humanorum: sicut gravitas est principium motus gravium deorsum, unde se habet ad actus rationis, sicut inclinatio naturalis ad actus naturales. Res autem naturalis dicitur apta ad illud ad quod habet inclinationem. Sic etiam homo quando habet voluntatem benefaciendi, dicitur aptus esse ad illud. Deus etiam quando immittit homini bonam voluntatem aptat eum, id est, facit ipsum aptum. Et ideo dicit: Aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem, id est, faciat vos velle omne bonum. (*Prov.* 11.) *Desiderium justorum omne bonum.* Hæc est enim voluntas Dei, sc. quod Deus vult nos velle. Aliter enim non est bona voluntas nostra. Voluntas autem Dei est bonum nostrum. (1 *Thess.* 4.) *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* (*Rom.* 12.) *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta.* Dupliciter autem aptatur homo ad benefaciendum. Uno modo exterius operando. Et sic unus homo aptat alium persuadendo, vel commiserando. Alio modo aliquid interius exhibendo, et sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus ipsam potest immutare. (*Prov.* 21.) *Cor regis in manu Domini quocumque voluerit, inclinabit illud.* Unde dicitur, *Faciens in vobis.* (*Phil.* 2.) *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* Quid autem faciet? *Quod placitum est coram se,* id est faciet vos velle quod placet ei. Hæc autem sunt fides et mansuetudo, et timor Domini. (*Eccl.* 1.) *Beneplacitum est ei fides et mansuetudo.* (*Ps.* 32.) *Beneplacitum est Deo super timentes eum.* Hæc autem omnia habent *per Christum.* Nihil enim a patre impetratur, nisi per filium. (*Joan.* 10.) *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Et ideo dicit: Per Jesum Christum. (2 *Pet.* 1.) *Per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit.* (*Rom.* 3) *Per quem accessum habemus, etc.* – *Cui* sc. Christo, *Est gloria in secula seculorum, Amen,* id est, gloria sempiterna. (1 *Tim.* 1.) *Regi seculorum immortali, invisibili, soli Deo honor, et gloria in secula seculorum, Amen.* Hæc enim gloria sibi debetur inquantum est Deus.

Deinde cum dicit: *Rogo autem vos fratres, etc.* subdit petitionem suam, in qua excusat se: deinde concludit epistolam, ibi: *Gratia Dei.* Circa primum tria facit: quia primo ponit excusationem suam. Secundo recommendationem nuntii per quem scribit. Tertio ponit quasdam salutationes. Dicit ergo quantum ad primum. *Rogo vos fratres, ut sufferatis verbum solatii,* id est, patienter portetis verba epistolæ hujus, in qua etsi in aliquo vos reprehendi, totum est ad consolationem vestram. (*Rom.* 15.) *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et quare debent

patienter portare, ostendit, dicens: *Quia perpaucis*, id est valde paucis, *Scripsi vobis*, quod verum est respectu mysteriorum, quæ in ipso continentur. In ista enim epistola fere omnia mysteria veteris testamenti continentur. Sermones autem breves valde accepti sunt, quia si sunt boni, inde avidius audiuntur, si vero mali, parum gravant. (*Eccl.* 5.) *Pauci sunt sermones tui.*

Consequenter recommendat illum, per quem scribit, dicens: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum*, sc. a carcere, in quo cum Apostolo erat, vel a me dimissum ad prædicandum et ad vos missum. *Cognoscite*, id est gratiose recipite: tum quia ut habetur (*Act.* 16.) fuerat circumcisus. Tum etiam quia *Si celerius venerit, cum ipso videbo vos.* In quo ostendit dilectionem quam ad ipsos habebat. Hoc etiam dicit, quia etsi ad ipsos non venerit, quia Romæ passus est, tamen incertus erat utrum vel ad tempus deberet dimitti.

Consequenter ponit salutationes suas. Et primo injungit eis salutationem aliorum, dicens: *Salutate omnes præpositos*, id est, Apostolos adhuc viventes. *Et omnes sanctos*, sc. alios discipulos. Istis autem non scribit quia non intendebat scribere, nisi contra observantes legalia. Et ideo quia ista epistola est instructiva, non intendebat instruere apostolos, quia erant antecessores sui in fide. Secundo salutat eos ex parte aliorum, dicens: *Salutant vos fratres de Italia.* Scripsit enim epistolam istam a Roma. Tertio more solito concludens, et quasi pro sigillo ponit salutationem, dicens: *Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen*, id est, peccatorum remissio, et omnia alia Dei dona, quæ per gratiam Dei habentur, sint firmiter cum omnibus vobis. *Amen*, confirmatio est omnium.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

QUÆ IN HOC LIBRO

D. THOMÆ AQUINATIS CONTINENTUR.

A

Abba Hebraice et Græce, idem est quod latine pater. Tom. I, p. 151 II, 209
Abel figura Christi . . . . III, 390
Abiron et Dathan cur a terra absorpti fuerunt . . . . . I, 241
Abortivus quid . . . . . I, 514
Abraham fuit septuaginta quinque annorum quando exivit de terra sua. . . . . II, 196
Abraham adoravit angelos, et qua adoratione . . . . . .
Abraham duos filios habuit . I, 175
Abraham genuit Ismaelem incircumcisus et Isaac circumcisus I, 176
Abraham cur Patriarcha . . III, 286
Abraham vacavit operi carnali non propter concupiscentiam, sed propter prolem suscipiendam. II, 222
Abraham semen duplex, scilicet carnale et spirituale. . . . I, 87
Abrahæ fides commendatur qua Deum prosecutus est, quamque usque ad mortem illæsam servavit . . . . . III, 357
Abundare in sensu suo quid. . I, 257
Actio duplex, scilicet completa, et incompleta . . . . . I, 133
Actio non attribuitur instrumento I, 325
Actus infidelium num omnes sint peccata. . . . . I, 269
Actus conjugalis quando meritorius et quando non. . . I, 374
Actus humani ex objectis speciem habent . . . . . I, 330
Actus et passiones nostræ quomodo sunt meritoriæ, et quomodo non I, 153
Adam cur primus formatus est, deinde Eva. . . . . III, 73
Adam quomodo non est seductus, sed mulier. . . . . III, 73
Adam quomodo sit forma futuri I, 103
Adæ anima num fuerit in Paulo III, 63
Adæ primum peccatum quodnam fuit . . . . . I, 105
Adæ pœnitentia cur non dolevit peccatum posterorum. . . I, 98
Adjuvare dicitur quis alium dupliciter. . . . . I, 326
Admonitio lenis tria requirit . II, 243
Advocati officium quale. . . I, 166
Adversitas vel prosperitas in rebus temporalibus tribus consistit. II, 66
Ædificii constructio quatuor requirit . . . . . II, 295
Ædificium spirituale comparatur ædificio corporali . . I, 326, 327
Æmulari quatuor modis exponitur I, 209
Æmulari et zelari in quo differunto et conveniunt . . . . . II, 104
Æmulatio quid. . . . . II, 214
Æmulatio quotuplex . . . . I, 209

Æneas fuit inceptor idololatriæ in Italia . , . . Tom. I, p. 35
Æs sonans et cimbalum tinniens qui differunt . . . . . I, 479
Æternitas Dei per tempora æterna designatur. . . . . I, 289
Affectus quadruplex consurgit in cordibus diligentium ex bonis quæ dilecti operantur. . . II, 74
Agere malum et non agere bonum qui differunt . . . . . I, 133
Agi a spiritu Dei, quomodo intelligitur . . . . . I, 149
Agnum Paschalem comedentes non habebant fermentum domi . I, 354
Agnus Paschalis fuit figura Christi . . . . . I, 353
Allegoria quid. . . . . II, 218
Alligatus uxori et ligatus qui differunt . . . . . I, 383
Ad Altare quid agendum. . III, 399
Amantes amorem suum silentio tegere nequeunt . . . . . I, 169
Amen duobus modis intelligitur. . . . . I, 223
Amor mulieris ad virum ardentior est, ad filium naturalior . III, 169
Amor duplex . . . . . II, 77
Anathema quid. . . . . I, 465
Anathema unde et quid. I, 172, II, 155
Anathema esse a Christo dupliciter quis fieri potest . . . . I, 169
Angeli an judicabuntur a sanctis I, 359
Angeli damnati an sint per Christum redimendi . . . . . II. 266
Angeli an didicerint aliquid ab Apostolis. . . . . II, 304
Angeli an cognoverunt mysterium Incarnationis a principio mundi II, 305
Angeli an cognoscant cogitationes cordis ut opinatur Scotus. I, 317
Angeli sunt deputati ad custodiam hominum singulorum . . . I, 169
Angeli boni nostri dicuntur proximi, quomodo . . . . . I, 247
Angeli dicuntur ministri. . III, 217
in Angelis an sit paternitas. II, 307
Angelorum duplex cognitio . II, 304
Angelorum ordines sunt novem. II, 274
Angelorum lingua quæ . . . I, 479
Angelorum ordines an remanebunt post resurrectionem generalem, et qua ratione . . . . . I, 522
Angelus bonus qui differt a malo dum visibiliter apparet . . II, 111
Angustiari quid sit. . . . . II, 69
Anima Adæ num fuerit in Paulo III, 63
Anima hominis non est effigiaria secundum formam hominis, ut posuit Tertulianus . . . . I, 137
Anima ipsa sola non est homo, ut posuit Plato . . . . . I, 137
Anima potest adhærere Deo dupliciter . . . . . II, 391
Anima an differat a spiritu in homine . . . . . III, 32
Anima rationalis an habeat figuram corpoream et membra corporea . . . . . II, 44
Animæ hominum non fuerunt simul cum Angelis creatæ ut opinatur Origenes . . . . I, 176
Animæ decedentium sanctorum an statim ad visionem Dei deducantur post mortem . . . II, 51
Animal Deo immolatum cur hostia dicebatur. . . . . I, 224
Animalis homo quis . . . . I, 319
Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus . . . , I, 319
Antichristus cur dicitur homo peccati et filius perditionis . III, 41
Aporos unde , et quid . . . II, 41
Apostolatus duo habet . . . III, 65
Apostolatus præcipuus gradus Ecclesiæ . , ... I, 20
Apostoli columnis comparantur II, 170
Apostoli post Spiritum Sanctum receptum nunquam mortaliter peccaverunt . . . . . II, 171
Apostoli habuerunt primitias spiritus. . . . . I, 157
Apostoli omnibus aliis sanctis præferuntur, et quare . . . . I. 157

Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ. . . . Tom. II, pag. 294
Apostoli delibationi comparantur I, 211
Apostoli quo in loco receperunt Spiritum Sanctum . . . . I, 216
Apostoli potestatibus restiterunt, nec tamen peccaverunt, et qua ratione . . . . . I, 241
Apostoli potius prædicabant quam baptizabant, et quare . I, 300, 301
Apostolis mysteria Christi clarius et perfectius revelata fuerunt quam Prophetis et Patriarchis, et hoc propter tria . . . . II, 298
Apostolis succedunt Episcopi et 72 discipulis succedunt alii sacerdotes . . . . . II, 6
Apostolorum verba a Spiritu Sancto et Christo revelata sunt servanda sicut præcepta Christi. . . I, 510
Apostolus interpretatur missus. I, 292
Apparentiæ veritatis duplex est principium . . . . . II, 426
de Apparitionibus Christi I, 513, 514
Appetitur aliquid dupliciter. II, 238
Aqua an solvat jejunium . . I, 444
Aquæ mystice designant tribulationes. . . . . III, 5
Arabia quid interpretatur . . II, 220
Archarius civitatis quis dicitur I, 288
Architectus quis dicitur. . . I, 327
Arma carnalia quæ . . . . II, 97
Armorum spiritualium virtus ex triplici effectu . . . . . II, 97
